This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books


https://books.google.com



.HOF BIBLIOTHEK
74.574-B



Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google


Österreichische Nationalbibliothek
+Z228973801

Digitized by Google

Digitized by Google

DE RATIONIBUS FESTORUM
SACRATISSIMI CORDIS JESU
ET
PURISSIMI CORDIS MARIÆ

E FONTIBUS JURIS CANONICI ERUTIS

AUCTORE

NICOLAO NILLES S. J.,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE,

Professore p. o. ss. Canonum in C. R. Universitate, Regente Convict. Theolog. ad S. Nicolai Oeniponte.

ACCEDUNT SELECTA PIETATIS EXERCITIA
ERGA UTRUMQUE SS. COR.

Editio altera,
Auctior et emendatior.

OENIPONTE 1869.
TYPIS ET SUMPTIBUS FELICIANI RAUCH.

LONDINI
apud Joannem Philp.
BARCINONE
apud vid. et fil. J. Subirana.

PARISIIS
apud M. Putois-Cretté.
TAURINI ET ROMÆ
apud Petrum H. F. Marietti.

74574-B.

Digitized by Google

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

JOANNI SIMOR,

ARCHIEPISCOPO STRIGONIEN., SEDIS APOSTOL. LEGATO NATO, INCLYTI REGNI HUNGARIAE PRINCIPI PRIMATI, &c. &c. &c.

Nicolaus Nilles S. J.

Inter tot tamque acres rerum civilium motus, quibus populi agitantur, imperia nutant, regna convelluntur, dum nullibi certa tranquillitatis statio patet, pax et securitas nulla, ibi tandem perfugium nobis tutissimum quaerendum esse intelligimus, ubi summa Dei miseratio immensas caritatis suae divitias congessit et cumulavit ad salutem, ad solatium, ad vitam omnium mortalium, hoc est, in **Corde Jesu Christi**, *qui ait:* Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. .... Ego sum via, veritas et vita. *Jam quod ille semel promisit, id semper ac fidelissime praestitit, et in suo ipse latere ostium patere voluit, per quod intrarent velut*

Digitized by Google

in arcam divinissimi Cordis *sui quicumque diluvio absorbentium cupiditatum perire cum incredulis nolunt.*

Haec ego mecum tacitus considerabam, quando in mentem venit, posse me pluribus adhuc scopuloso in pelago laborantibus hunc munitissimum portum quasi digito commonstrare, si ex Actis fide dignis ea in unum congessissem, quae ad cultum illustrandum, fovendum, amplificandum Cordis Jesu *viderentur magis accomodata. Quod quum pro ingenii ac virium mearum tenuitate praestitissem, nihil putavi gratius facturum CELSITUDINI TUÆ, quam si opusculum hoc meum Tibi sisterem et offerrem veluti pignus observantiae erga Te meae, et testimonium propensissimae voluntatis, qua teneor*

Digitized by Google

aliquid conferendi, quod et paterno cordi Tuo esset acceptum, ovibusque pastorali Tuae sollicitudini commissis maxime salutare.

Sine igitur, CELSISSIME AC REVERENDISSIME PRÆSUL ET PRINCEPS, *ut singulari benevolentia Tua, Tuaeque amplitudinis splendore ac nomine ornatus parvulus hic liber prodeat, ut qui cupit pluribus prodesse lectoribus, id per Te facilius consequatur. Accedit eo, quod in clericorum maxime commodum editus fuit: quamobrem hunc sibi honorem videtur quasi suo jure vindicare posse, ut e Tuis quodammodo manibus in sacerdotum manus deveniat, ideo gratiosior, quia tanti Pontificis commendatione auctus et insignitus.*

Digitized by Google

Faxit Deus O. M. et Dei Filius Jesus Christus D. N., ut pro immensa **Cordis** *sui erga homines dilectione multorum pectora inflammentur ad redamandum; et quo magis* angustantur vasa carnis *in hac temporum iniquitate, eo plus* dilatentur spatia caritatis *inter Ecclesiae Catholicae filios, quorum exemplo et infideles ad viam veritatis, et desertores ad fidei unitatem suavius redigantur.*

Eadem divina Bonitas fortunct, precor, in omnibus et conservet ad multos annos CELSITUDINEM TUAM, cui me totum venerabundus offero et humillime subdo in Christo Jesu.

Digitized by Google

PROLOGUS BERNARDINUS
AD ALUMNOS SS. CORDI DEVOTOS,
primæ editioni præfationis loco præfixus.

Rogastis me, Fratres, ut ea quae de obortis quaestionibus [1]) coram locutus fueram pleniori vobis tractatu dissererem. Distuli aliquamdiu: non quod contemnenda videretur petitio, sed ne levis praecepsque culparetur assensio, si quod alibi melius melior implere sufficeret praesumerem imperitus, et res admodum necessaria per me minus forte commoda redderetur. Verum, ne jam magis nolle quam non posse viderer, tandem ego — malens sine illa quae inflat, quam absque illa quae aedificat, inveniri, — quod

---

[1]) *De objecto* videlicet *cultus publici atque inde festi SS. Cordis Jesu*: sitne Cor, quod Ecclesia speciatim tanquam mysterium hujus festi determinavit, Cor carneum proprie *et* absolute sumptum, sc. ut caro est et praecipua corporis Christi pars, propter hypostaticam ejus cum Verbo conjunctionem infinita veneratione dignum? an Cor carneum proprie quidem sumptum, sed non absolute, verum cum inhaerenti illi symbolica amoris significatione? An vero Cor non proprie, sed metaphorice acceptum, h. e., Cor tropicum, figuratum, translatum, quo in sensu Cor Jesu in privato ejus cultu praeeuntibus piis ac sanctis hominibus adhortanteque maxime Ecclesia procul dubio recte salubriterque colimus?

Digitized by Google

potui feci. Caeterum id brevius, quam vestra forte deposcebat intentio, sed non plane, quam mea occupatio sineret. Curavi tamen, ne vos utcunque lateret, quidquid super interrogatis ego sentirem: vestro sane eadem mea sensa et otio et ingenio plenius adstruenda relinquens. Lectores vobis noverint a me super consultis quod sentio dictum, non sibi contradictum; etiamsi quid aliter ab ipsis hinc inde sapere videar. Non quaerimus pugnas verborum; novitates quoque vocum juxta Apostolicam doctrinam evitamus. Patrum tantum opponimus sententias ac verba proferimus et non nostra: nec enim sapientiores sumus quam patres nostri. Quod si cui forte aut minime placeat aut non sufficiat, non tamen interest mea, qui vestrae pro meo sapere non defui voluntati.

Die festo SS. Cordis Jesu 1867.

Digitized by Google

PRAEFATIO
ad II. Editionem.

Antiqua apud omnes consuetudo est, inquit *Attil. Bulget.*, [1]) ut qui librum in aliqua scientia aut arte confectum in lucem edit, una ex tribus causis a Galeno propositis [2]) hoc facere sit coactus: *prima*, ut gratificetur amicis; *secunda*, ut qui scribit exerceatur in re utilissima vehementerque sibi animus ad materiam traditam accendatur; *tertia* tandem, ut per ejusmodi librum succurrat oblivioni, quae adveniente senio illius rei, de qua agitur, succedere posset. Scripturus ego de festis Sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae fateor, me omnibus hisce causis opus ut aggrederer fuisse inductum. Ac primo quidem *caritatis me paruisse imperio*, ut verbis utar ven. magistri, *ac fraternæ utilitati deservisse, prout fuit studio possibile*, Prologus ad primam editionem patefacit. Accedit, quod *dilectissimam et carissimam Jesu Chrisi amicam, devotionem* scilicet erga sacratissimum Cor suum et purissimum Cor Matris ejus *in cordibus amicorum depicturus atque expressurus*, cum S. Francisco Salesio *in spem veni*, *me interim*, *dum aliorum animis illam insculpere conarer*, *sancto ejus amore accendendum et inflammandum*. Ad ultimum in elaborando commentario id maxime spectavi, ut per ordinatam methodum explicata ab oculos authenticorum Actorum serie descriptisque a

---

[1]) De affectionibus cordis l. I, c. 1.

[2]) Method. medendi h. e. de morb. cur. l. VII, c. 1.

Digitized by Google

capite ad calcem Decretis singulis et ipsa haec monumenta ab oblivione vindicarentur, et scriptoribus felicioris ingenii, qui ad argumentum istud magis illustrandum curas studiaque adjungere vellent, genuini fontes exhiberentur, unde quisque, quantum sibi opus esset, haurire posset: qua ratione quum plures auctores meam hanc qualemcunque lucubrationem vel primo ab ejus editione anno in usus suos adhibuerint, non exiguum sane laboris mei fructum percepisse jam videor. Hae sunt, amice Lector, consilii mei de festis utriusque SS. Cordis scribendi rationes, quas tu etiam pro tua benignitate bonam in partem accipias. Iis unum adjectum volo, in excutiendis scriniis Romanis colligendisque monumentis adjutores mihi fuisse duos homines in primis navos ac diligentes, quorum est effectum sagacitate et industria, ut multo plura, quam ego opinabar initio, illustria documenta hoc loco producantur in lucem: duos clarissimos Viros dico, gente Rhenanos, hujus nostri Oenipontani Convictus quondam alumnos, qui quum Doctoralibus Theologiae insignibus in hac Caesarea et Regia Universitate multa cum laude ornati spes in saeculo haberent magnas, cuncta ejus vanitate tamen rejecta nuper admodum, anno 1868 exeunte, res suas mundum habere jusserunt, et Christi vexillum secuti Romae in novitiorum domo ad S. Andreae Deo se in religione consecrarunt, videlicet ut in paupertate voluntaria invenirent, quod omnia mundi ornamenta, opes, dignitates dare non possunt. Utrique hic pro multa atque utilissima, quam mihi in adornanda auctiori hac editione praestiterunt, opera meritam debitamque gratiam publice repono.

Ex aedibus Oenipontani Convictus Theologorum ad S. Nicolai, die festo SS. Cordis lancea vulnerati 1869.



Digitized by Google

PARS I.

DE FESTO
SACRATISSIMI CORDIS JESU.

Digitized by Google

„Omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut . . . semper confugiant ad Dominum Nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, ejusque dulcissimum Cor, flagrantissimae erga nos caritatis victimam, enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes."

(**SS. D. N. PIUS PP. IX.** in literis encyclicis d. d. 8. Decemb. 1864.)

Digitized by Google

PROŒMIUM.

I.
SEDES MATERIAE.

I. Acta apud Sacram Rituum Congregationem.

1. Disputationes habitae in S. R. C.

Memoriale *Frigidiani Castagnorii*, e Colleg. Patron. Caus. S. P. A., an. 1697, cum exceptionibus *Prosperi Bottinii*, Archiepiscopi Myrensis, Fidei Promotoris et replicationibus Frigidiani Castagnorii. [1])

Memoriale Patris *Josephi de Gallifet*, sacerdotis Societatis Jesu, in sacra Congregatione distributum an. 1726, cum exceptionibus *Prosperi de Lambertinis*, tunc Fidei Promotoris. [2])

Observationes novae de Festo ss. Cordis Jesu, Sacrae Congregationi Rituum oblatae Romanis typis in fol. separato impressae.

---

[1]) ***Benedict. PP. XIV.*** De Servorum Dei Beatific. et Beat. Canoniz. lib. IV. P. II. 31. n. 19. et Analecta Juris Pontificii an. 1860. pp. 1240 seqq.

[2]) ***Benedict. PP. XIV.*** l. c. nn. 20. seqq.

Digitized by Google

Scriptura typis impressa ac Sacrae Congregationi **oblata** a Postulatoribus Causae an. 1765. [1]

Opus seu votum Magistri Apostolici Caeremoniarum, recitatum in S. Congregatione die 11. Augusti an. 1860. [2]

Memoriale R. P. D. *Dominici Can. Borghi*, Postulatoris Causae Beatificat. Margaritae Mariae Alacoque, S. Congregationi oblatum die 17. Octob. an. 1864. [3]

2. Libelli supplices Sacrae Rituum Congreg. porrecti sub Benedicto PP XIII.

A Sanctimonialibus Visitationis B. V. M. [4]

Ab Henrico Episcopo Massiliensi an. 1720. [5]

A Constantino Episcopo Cracoviensi. [6]

Ab Augusto, Rege Poloniae an. 1726. [7]

A Philippo, Rege Hispaniarum an. 1727. [8]

3. Decreta Sacrae R. Congregationis.

Gebennen. *Ordinis Monialium Beatissimae Virginis Galliarum.* Decret. diei 30. Martii an. 1697. [9]

Viennen. Decret. S. R. C. diei 5. Octob. an. 1697. [10]

---

1) Bullar. Roman. Continuat. tom. 3. p. 52. et Anal. J. P. an. 1860 p. 1239.

2) Anal. J. P. an. 1861 pp. 323 seqq.

3) Eod. an. 1864 pp. 938 seqq.

4) *Gallifet:* de Cultu Sacrosancti Cordis Dei ac D. N. J. Ch. edit. Roman. an. 1726 p. 147; edit Augustan. an. 1753 p. 527.

5) Eod. edit. Roman. p. 149.

6) Eod. p. 154.

7) Eod. p. 155.

8) Novae observationes etc. initio libri.

9) *Benedict. PP. XIV.* l. c. n. 19. et Anal. J. P. an. 1860 p. 1237 et an. 1865 p. 1367 n. 2630.

10) Anal. J. P. an. 1865 p. 1374. n. 2648.

Digitized by Google

Nicien. Decret. S. R. C. diei 5. Julii an. 1698. [1]
Decret. S. R. C. diei 12. Julii 1727 et
Decret. S. R. C. diei 30. Julii 1729. [2]
Polona. Decret. S. R. C. diei 26. Januarii 1765. [3]
Decret. S. R. C. diei 11. Maji 1765. [4]
Ordinis Sanctimonialium Visitationis S. Mariae. Decret. S. R. C. diei 10. Julii 1765. [5]
Venetiarum. Decret. S. R. C. diei 23. Julii 1765. [6]
Terrae Sanctae. Decret. S. R. C. diei 28. Sept. 1819. [7]
Augustodunen. seu Aeduen. Decret. diei 23. Aug. 1846. [8]
Decret. S. R. C. diei 24. April. 1864. [9]
Decretum Urbis et Orbis diei 23. Aug. 1856. [10]
Augustodunen. seu Aeduen. Decret. S. R. C. diei 27. Sept. an. 1864. [11]

4. Catalogus Indulgentiarum ex Archivo Romano fideliter desumptus ac Sacrae Rituum Congregationi oblatus. [12]

---

1) Anal. J. P. p. 1376. n. 2658.
2) *Benedict. PP. XIV.* l. c. n. 25.
3) Bullar. Roman. Contin. tom. 3. p. 52 et Anal. J. P. an. 1860 p. 1239.
4) Anal. J. P. an. 1857. n. 2590.
5) Eod. an. 1860. p. 1240.
6) Eod. an. 1861. p. 338.
7) Eod. an. 1855. p. 601 et 622.
8) Super virtutibus ven. Margaritae Mariae Alacoque.
9) Super miraculis ejusdem Margaritae Mariae.
10) Anal. J. P. an. 1857. p. 2589.
11) Eod. an. 1864 p. 939.
12) *Gallifet,* edit. Roman. pp. 161 seqq. Augustan. pp. 547 seqq.

Digitized by Google

II. Summorum Pontificum Constitutiones et Literae in Forma Brevis.

---

1. Constitutio Pii PP. VI. *Auctorem Fidei* edita die 28. Augusti 1794. [1]

2. Literae in Forma Brevis Pii PP. VI.
   d. d. 7. Julii 1779; [2]
   d. d. 29. Junii 1781; [3]
   d. d. 7. Novembris 1797; [4]
   d. d. 10. Aprilis 1798; [5]
   d. d. 30. Aprilis 1798. [6]

3. Literae in Forma Brevis Pii PP. VII.
   d. d. 17. Aprilis 1804; [7]
   d. d. 13. Novembris 1807. [8]

4. Literae in Forma Brevis SSmi. D. N. Pii PP. IX.
   d. d. 19. Aug. 1864. [9]

---

1) Bullar. Roman. Continuat. tom. 9. p 411.
2) Eod. tom. 6. p. 104.
3) In plerisque omnibus exemplaribus typis exscriptis loco verborum III Kalendas Julias incongrue haec alia leguntur III Kalendas Junias.
4) Eod. tom. 10. p. 122.
5) Eod. tom. 10. p. 147.
6) Eod. p. 152.
7) Eod. tom. 12. p. 152.
8) Eod. tom. 13. p. 242.
9) Anal. J. P. an. 1864 p. 934.

Digitized by Google

III. Breviarium Romanum.

1. *Officium Sanctissimi Cordis Jesu,* feria VI. post Octav. Corporis Christi; cum explicationibus, quas Sacrae Rituum Congregationi exhibuit Magister Apostolicus Caeremoniarum die 11. Augusti 1860. [1])

2. *Officium transverberationis cordis S. Theresiae.* [2])

3. *Officium Beatae Margaritae Mariae Alacoque,* collatum cum actis ea de re apud Sacram Rit. Congregationem gestis. [3])

---

[1]) Anal. J. P. an 1861 p. 339. coll. Decret. S. R. C. d. d. 27. Mart. 1824 cum subjectis annotationibus apud *Gardellin.* n. 4604.
[2]) Propr. Carmelitarum d. 27. Augusti.
[3]) Anal. J. P. an. 1864 p. 937.

Digitized by Google

II.
PRAEMONITUM
DE AUCTORITATE ATQUE USU SCRIPTURARUM SAC. CONGREGATIONI DISTRIBUI SOLITARUM.

Scriptura Postulatoris Causae (quae aliis *memoriale Postulatoris* vel *opus Secretarii* nuncupatur) distinguenda omnino est ab ipsa decisione a Sacra Congregatione data.

Postulator Causae vel etiam Secretarius Congregationis controversiam exponit, quaestionis statum cum omnibus rerum, personarum temporumque adjunctis explicat, praecipua rationum momenta, quae resolutionem praeparare possunt, adducit, decisiones in similibus dubiis alias editas enarrat ac plerumque brevem formulam in fine subjicere solet, qua ipsum dubium perspicue proponitur solvendum. Ad Congregationem vero sola responsio pertinet, quae ad propositam causae vel dubii formulam datur. Consule quae ea de re late scripsimus in *Annotationibus canonico-liturgicis in Decreta Concilii Provinciae Viennensis anni 1858.* [1])

Ejusmodi scripturae licet vim legis non attingant, magnae tamen auctoritatis sunt ac mediate saltem fontibus juris accensentur, praesertim si Congregatio juxta proposita resolvit. Ex iis enim ad veras decretorum rationes indagandas aditus datur atque utilia nunquam non depromuntur argumenta ad genuinam mentem Congregationis determinandam. Quemadmodum sc. juris interpretibus identidem est ad *partes* a s. Raymundo *decisas* in inter-

---

[1]) Apud *Moy:* Archiv für kath. Kirchenrecht, tom. V. pp. 385 seqq.

Digitized by Google

pretatione decretalium recurrendum ad solidiora legum canonicarum fundamenta stabilienda: [1]) ita etiam in casu nostro nonnisi adhibitis scripturis in sacra Congregatione distributis (quae ipsas decisiones praepararunt) veras rationes Decretorum de festo sacratissimi Cordis Jesu atque inde ipsius hujus festi penitus percipiemus. *Ut igitur unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat,* [2]) juxta canones in jure propositos *intelligentiam dictorum ex causis assumemus dicendi.* [3])

III.
COMMENTARII DIVISIO.

Quas ex variis fontibus supra adductis eruimus rationes festi sacratissimi Cordis Jesu, eas in tres partes seu sectiones ita dividimus, ut

prima sectio historiam festi adumbret;
altera objectum ac finem declaret, et
tertia tandem sententias Patrum aliorumque virorum pietate ac doctrina praestantium exhibeat, quibus usi apud S. Congregationem sunt, qui hujus causae patrocinium susceperant.

---

[1]) Qua de re conferri possunt, quae disputant *Antonius Contius* in praefat. ad Decretal.; *Franciscus Pegna* in Romana editione Corporis J. c., *Boehmer* in Dissertatione preambula ad Decretales, et nos ipsi in cit. Annotationibus canonico-liturgicis observavimus l. c. p. 389.

[2]) C. *Inter alia* 31. X. d. sent. excommunicat. (V, 39.)

[3]) C. *Intelligentia* 6. X. d. verb. signif. (V, 40.)

Digitized by Google

SECTIO I.

HISTORIA FESTI SACRATISSIMI CORDIS JESU EX ACTIS ADUMBRATA.

CAPUT I.

ACTA SUB INNOCENTIO PP. XII.

***ARGUMENTUM**. Orta in Sacrorum Rituum Congregatione anno 1697 est petitio institutionis Festi cum Missa propria in honorem Sanctissimi Cordis Domini Nostri Jesu Christi pro Ecclesiis Monialium Visitationis Beatissimae Virginis, postulante Maria, Angliae Regina exule, de Catholica Religione optime merita. Frigidianus Castagnorius in sua Scriptura multa collegit petitioni favorabilia argumenta, inter quae praecipuum erat illud, quod Sanctimoniales Visitationis pio sane affectu erga Cor Jesu ferebantur juxta praescripta ab earum institutore S. Francisco Salesio. Prosper autem Bottinius Archiepiscopus Myrensis, tum fidei promotor, opposuit novitatem Festi adversantem Ecclesiasticae disciplinae. Quare tunc S. R. C. prudenti temperamento usa mediam inivit viam atque ita annuendum duxit votis instantium, ut pro die, qui in Ordine Visitationis Cordi Jesu esset sacer, Missam quinque vulnerum concederet. (Benedict. PP. XIV.* Canoniz. SS. lib. IV. part. 2. cap. 31. n. 19.)

§. I.

Disputatio habita in S. R. C. Anno MDCXCVII.

A. Memoriale Frigidiani Castagnorii Sacrae R. Congregationi oblatum.

„Sicut Deus Optimus Maximus, qui uno eodemque momento omnia simul creare poterat, nihilominus mundi opificium ad sex dierum spatium trahere voluit, [1]) sic

---

[1]) Gen. 1. et 2.

Digitized by Google

ejusdem ineffabilis bonitas et misericordia miro consilio suis quaeque temporibus apte disponit, ut dixit Urbanus VIII. in diplomate Canonizationis sancti Ignatii Loyolae. [1]) Hinc est quod ad sui suorumque Sanctorum cultum per varias temporum series excitavit fidelium mentes, ut plures ac diversae festivitates a sancta Ecclesia instituerentur, ex late adductis a Thomassino. [2]) Ita enim fuisse expediens aperuit per visum s. Joannes Evangelista sanctae Gertrudi, a quo interrogatus: *Cur ad utilitatem Ecclesiae non omnes exposuerit pulsus divinae suavitatis, quas e Dominici pectoris fonte potavit?* ad rem nostram respondit: *Eloquentia suavitatis pulsuum istorum reservata est moderno tempori, ut ex talium audientia recalescat jam senescens et amore Dei tepescens mundus.* [3]) Id profecto contigit in religiosissimo cultu, qui omni jure debetur Sacratissimo Cordi Domini Nostri Jesu Christi; nam licet ab Ecclesiae exordio ei multi Sancti addictissimi fuerint, ut inferius ostendam; [4]) nostris tamen temporibus, charitate hominum frigescente, vix aderat, qui ad illud sui cordis affectus dirigeret; idcirco benignissimus Dominus paucis abhinc annis piorum virorum inflammavit animos ad amorem sui Sacratissimi Cordis in Anglia, ubi religio adhuc effulget, in Gallia aliisque Europae regionibus, ita ut altaria et sodalia sub invocatione ejusdem Sacratissimi Cordis erecta fuerint cum assiduis eximiae devotionis exercitationibus a SSmo. etiam Domino Nostro locupletata indulgentiarum thesauro, ut ex documento penes Emum. D. Relatorem, quo expressa sodalitate fidelium, erecta sub

---

[1]) Apud *Contelorium:* de Canonizatione Sanctorum p. 789.

[2]) De celebratione festorum per totum.

[3]) Insinuationum divinae pietatis IV, 4.

[4]) Sect. III.

titulo Cordis Jesu, Sanctitas Sua indulgentias elargiri declarat ad augmentum dictae piae confraternitatis."

„Hac autem amantissima pietate animi potissime fervent Sanctimoniales Visitationis Bmae. Virginis ab institutore s. Francisco Salesio instillata lib. IV. epist. 64, 71 et 101; lib. VI. epist. 62 et lib. VII. epist. 6 [1]) et 61. Atque ad firmius roborandam devotionem hujusmodi serenissima Maria, Regina Angliae, catholicae religionis optime merita, supplices litteras ad SSmum. Dominum Nostrum scripsit, ut praedictis monialibus Monasterii in civitate Annesii Gebennen. dioecesis, ubi instituti Visitationis est prima sedes, aliorumque monasteriorum ejusdem ordinis liceat quotannis in suis ecclesiis prima Feria sexta post octavam Augustissimi Corporis Christi Festum agere dicti Sacratissimi Cordis cum Missa propria celebranda a sacerdotibus tam inservientibus dictis Ecclesiis, quam exteris tali die ad eas confluentibus, remissisque precibus a Sanctitate Sua ad hanc Sac. Congregationem supplicantur Eminentissimi Patres pro gratiae hujusmodi concessione, quae serenissimae Reginae postulanti minime deneganda videtur."

---

[1]) Inprimis observatu digna est epistola haec 6 lib. VII. (alias 800: tom. 6, pag. 312, edit. an. 1758), quippe quae non solum devotionem erga sacratissimum Cor Jesu tangat, sed Apostolatum Orationis etiam majorem in modum commendet, ejus efficaciam ac necessitatem exemplo illius famuli illustrando, qui organoedo ad follem ministrare debet, ut is organis canere possit. Ejus verba autem quum a Frigidiano Castagnorio inferius non afferantur inter auctoritates laudatas sect. III. hoc loco afferenda censemus De ss. Corde Salvatoris recens nati itaque loquendo s. Franciscus haec scribit: . . . „Dans la chrêche sacrée le Sauveur de nos âmes nous enseigne tant de vertus par son silence: mais qu'est-ce qu'il ne nous dit pas en se taisant? Son petit

Digitized by Google

Quo historico exordio praemisso idonea rationum momenta subjunxit Frigidian. Castagnorius, quibus Eminentissimi Principes ritibus tuendis praepositi moverentur, ut sanctimonialibus atque ipsi Reginae institutionem festi petentibus satisfacerent. Allatae rationes autem in duplici differentia versantur; aliae quippe internae sunt atque ex ipsa rei natura deductae, aliae vero externae seu aliunde petitae: illas ex ipso hujus devotionis objecto eruit, has ex auctoritate sive sacrarum literarum, sive sanctorum Patrum aliorumque piorum auctorum adsciscit: incredibili sane diligentia amplius triginta Sanctorum ac Theologorum sententiis cultui sacratissimi Cordis Jesu faventibus undique congestis ac fideliter enarratis.

Postquam Postulator causam suam adeo certis ac illustribus argumentis proposuit, scripturam ita concludit:

---

coeur pantelant d'amour pour nous devrait bien enflammer le nôtre. Mais voyez combien amoureusement il a écrit votre nom dans le fond de son divin coeur qui palpite là sur la paille pour la passion affectueuse qu'il a de votre avancement et ne jette pas un seul soupir devant son père auquel vous n'ayez part, ni un seul trait d'esprit, que pour votre bonheur. L'aimant attire le fer, l'ambre attire la paille et le foin: ou que nous soyons fer par dureté, ou que nous soyons paille par imbecillité, nous nous devons joindre à ce souverain petit Poupon, qui est un vrai tire-coeur." . . . . Ad exercitium Apostolatus Orationis deinde sic hortatur: „Si vous désirez de prêcher avec moi, je vous en prie, faites-le, toujours priant Dieu qu'il me donne des paroles selon son coeur et selon vos souhaits. Combien de fois arrive-t-il que nous disons de bonnes choses, parceque quelque bonne âme nous les impètre? Ne prêche-t-elle pas assez, et avec cet avantage que ne sachant rien elle ne s'enfle point? Nous ressemblons aux orgues, où celui qui met le souffle fait en verité le tout et n'emporte point la louange. Aspirez donc souvent pour moi, et vous prêcherez avec moi."

Digitized by Google

„Cum igitur ex praedictis liqueat Sacratissimo Christi Cordi, uti sedi et fonti amoris, praecipuum deberi cultum, in memoriam innumerorum beneficiorum, prout illud summa ratione venerati sunt tot eximii sancti, devotio monialium Visitationis (postulante maxime serenissima Maria, Regina Angliae) exaudienda videtur, ut in suis ecclesiis celebretur petitum festum."

Cui disputationi cum Promotor fidei ex officii sui debito rationes opponere ac notas veluti margini adscribere debuisset, in suis *animadversionibus* petitionis aequitatem quidem perspectam esse concessit; ast quominus precibus indulgeretur, ipsam rei novitatem obstare censuit. „Negari non potest, inquit, quod sit admodum pia haec instantia monialium Visitationis B. Virginis ob ardentissimam devotionem, quam habent erga Sacratissimum Cor Jesu Christi, eis instillatam ab institutore S. Francisco Salesio, qui pluribus in epistolis indicatis eundem ardentissimum amorem patefecit. Praesertim vero dum roboratur ab enixis precibus porrectis SSmo. Domino Nostro a serenissima Regina Angliae, de catholica religione adeo merita; valdeque insuper videntur motiva luculenter ac erudite in memoriali adducta."

B. Exceptiones Promotoris Fidei.

„Verum non modica sese offert difficultas, considerando, quod novitatem introducendi festa contra ritum antiquum ecclesiae valde improbat D. Bernardus epist. 174. [1]) scribens ad canonicos Lugdunenses, qui tentabant novam introducere festivitatem, in haec verba: *Miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse*

[1]) Scripta circa annum Christi 1140. Cfr. ***Migne:*** Patrol. Lat. tom. 182 pp. 332 seqq.

mutare colorem optimum, novam introducendo celebritatem, quam ritus ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio; numquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose praesumitur, quidquid ipsorum in talibus prudentiam praeterivit. Et post multa sic ait: *Sed de avis et proavis id ipsum posset pro simili causa quilibet flagitare et sic tenderet in infinitum et festorum non esset numerus; patriae est, non exilii, frequentia haec gaudiorum et numerositas festivitatum.* Quodquod novitates in ecclesia semper sint fugiendae, habetur in Can. *Quis nesciat 11.* in fin. *Dist. 11.* ibi: *Nobis indicare non differas, ut scire valeamus, qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius ecclesiae, quam Romanae existimant consuetudinem esse servandam;* [1]) et in Can. *Haec autem scripsimus 16. Dist. 30.,* [2]) et in Cap. *Cum consuetudinis 9. De Consuetud.,* [3]) et ibi Glos. verb. *vel novas,* et aliis relatis probant Megal. *Var. resol.* tom. I. resol. 88, n. 7, et Pignatel. consultat. can. 25, n. 5, tom. 4."

„Neque hujusmodi petitioni solidum fomentnm praestare posse videtur, quod jam per Breve SSmi. sub die 8. Januarii 1694 approbata fuerit confraternitas sub titulo Cordis Jesu in ecclesia monialium de Notre-Dame de Poitiers cum indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus, qui prima vice ad eandem confraternitatem fuerint admissi, quique anno quolibet secunda Dominica post Pascha eandem ecclesiam visitaverint. Siquidem ex concessione talis indulgentiae non venit in consequentiam, quod sit insti-

---

¹) ***Innocent. PP. I.*** ad Decent. Eugubin. circa an. 416. Apud ***Migne***: Pat. Lat. tom. 20. p, 553.

²) Concil. Gangrens. circa an. 376. Apud ***Hardouin***: Concil. tom. 1. p. 538.

³) ***Honor. PP. III***. Parisiensi capitulo an. 1221.

Digitized by Google

tuenda festivitas cum Missa propria in honorem ejusdem Sacratissimi Cordis, praesertim dum eadem indulgentia concessa fuerat praecedenti anno die 24. Decembris confraternitati erectae in dicta ecclesia de Notre-Dame de Poitiers sub titulo Sacri Cordis Bmae. Virginis, absque eo quod petita fuerit peculiaris institutio festi cum missa propria. Unde si modo concederetur monialibus Visitationis, negari non posset festivitas cum missa propria etiam in honorem Cordis Bmae. Virginis, et sic tenderetur in infinitum et festorum non esset numerus, quemadmodum pro inconvenienti ponderavit D. Bernardus in supracit. epist. 174, dum ait, quod pro avis et proavis posset pro simili causa quilibet flagitare."

Ad quas animadversiones haec exstat Postulatoris *responsio.*

C. Replicatio Postulatoris Causae.

„Cum Rmus. D. Promotor fidei, veritatis impulsu, admodum piam fateatur supplicationem monialium Visitationis Bmae. Virginis super petita institutione festi propter ardentissimum amorem in Sacratissimum Christi Cor, a S. Francisco Salesio instillatum, maxime accedentibus enixis precibus serenissimae Mariae Reginae Angliae cum rationibus in memoriali congestis, non videtur obesse sola difficultas novitatis ab eodem Rmo. D. Promotore excitata, cui jam occurrimus in ejusdem memorialis exordio."

„Et profecto quoties admittitur, prout nemo inficiari potest, quod hujusmodi festum sit pium et sanctum, illius institutionem nequit novitas impedire; nam, ut Cassiodorus var. lib. III. ep. 17. scribit: [1] *„Non sit novitas molesta,*

---

[1]) Apud *Migne:* Pat. Lat. tom. 69. p. 585. Floruit Magnus Aurel. Cassiodor. saec. VI.

Digitized by Google

quae proba est"; et Fulgent. Petroll. [1]) egregie ad rem nostram distinguit: „*Novitas duplex esse potest, detestabilis alia, commendabilis alia. Detestabilis ea est, quae vana, inutilia, falsa, moribus fidei contraria, pugnantia cum scripturis divinis sacrisque Patribus pronuntiat. Commendabilis vero novitas est, quae seria, utilia, vera, constantia, moribus apposita, fidei convenientia, sacris paginis ac Patribus refert.*" Institutio autem festi ad honorem Sacratissimi Cordis Christi continet rem seriam, veram, utilem ac moribus satis appositam, cum excitentur corda fidelium ad amorem Christi Domini; convenit fidei, quia recolitur memoria passionis, consonat divinis litteris, quibus insinuatur devotio hujusmodi, cohaeret doctrinae et exemplo SS. Patrum, ut haec omnia luculenter ostendimus in memoriali. Quamobrem parum refert, quod hucusque festum istud institutum non fuerit; nam religionis auctoritas non est tempore aestimanda, sed nomine, nec colere qua die, sed quid coeperis aestimare ait Arnobius *contra Gentes* et S. Ambros. inquit: [2]) *Nec fides gravatur annis*, et de institutione festorum Theophil. Raynaud. [3]) in *Heteroclit. Spirit.* loquitur: „*Non nego, Ecclesiam, ut in dogmatum planiore explicatione ac illustratione, ita et in rituum novorum et decentis cultus apparatu posse proficere;*" et post pauca: „*Cum sit apertissimum, subinde multos ritus novos singulis prope saeculis esse inductos.*"

---

[1]) Tom. 1. 91. Art. 2. n. 14.

[2]) L. VII. in c. 15 Luc. Apud ***Migne:*** Patrol. Lat. tom. 15. p. 1756

[3]) ***Theoph. Raynaud.*** S. J. oriundus e Sospello, in comitatu Niciensi, Lugduni vita defunctus est anno 1663 aetatis 80. Opera ejus omni genere doctrinae referta extant voluminibus 20 in fol., uti videre est apud Backer: bibliothèque des écrivains d. l. C. d. J. tom. 1. pp. 607 seqq.

Digitized by Google

Et sane si festorum initia indagare velimus, perspicuum erit, quamplura retroactis saeculis non fuisse peracta, et praesertim SSmae. Trinitatis, Augustissimi Corporis Christi, passionis dominicae, Nativitatis Bmae. Virginis, obitus s. Josephi, SS. Apostolorum, ut caeteras recentiores festivitates omittam. Haec enim per varias temporum series nec admodum vetustorum, ab Ecclesia introducta docet *Thomassin.* integro tractatu *de celebr. fest.* Quapropter nihil obstat novitas; maxime si ponderetur, quod daemon nova quotidie invenit, per quae homines in mala incidant, ideo decet Ecclesiam nova inducere festa, per quae ad agenda bona excitentur, ut mirabundus Tertullian. *de veland. virg.* ratiocinatur: „*Quale est enim* (inquit), *ut diabolo semper operante et adjiciente quotidie ad iniquitates ingenia opus Dei aut cessaverit aut proficere destiterit, cum propterea Paraclytum miserit Deus, ut, quoniam humana mediocritas omnia simul capere non poterat, paulatim dirigeretur disciplina ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto?*" [1])

„Neque his officit auctoritas D. Bernardi a Rmo. D. Promotore Fidei allegata. Etenim improbat Sanctus novum festum Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis, cujus mysterium suo tempore non erat tot pontificiis oraculis illustratum, et nihilominus subinde Romana Ecclesia dictum festum instituit, et rationes tunc temporis a S. Bernardo adductae in fine dictae epistolae non aptantur Sacratissimo Cordi Christi, cui etiam idem Sanctus addictissimus fuerat. Praeterea Sanctus redarguebat canonicos Lugdunenses, quod dictum novum festum indixissent inconsulta Sede Apostolica; quare ad finem dictae epistolae ait: *Nam si sic videbatur, consulenda erat prius*

[1]) De velandis virginibus cap. 1. *Migne:* Patrol. Latin. tom. 2. p. 889.

Digitized by Google

Apostolicae Sedis auctoritas; qua reprehensione dignae non sunt moniales Visitationis, quae festum hujusmodi non *instituunt* proprio marte, sed supplices institui flagitant a Sancta Sede Apostolica."

„Sic non obstant canones et auctores a Rmo. D. Promotore allati, quia ab iis improbantur tantummodo novitates propria auctoritate introductae et religioni perniciosae, non commendabiles et pro quibus supplicatur Apostolica Sedes. Has namque laudat etiam praecitatus S. Bernardus *de vita solitar.* sub initium his verbis: *Implet gaudium non meum tantummodo, sed omnium diligentium nomen Dei, ut in varietate vestitus deaurati de auro sapientiae Dei . . . ad Dei gloriam . . . hoc sanctae novitatis instauretur ornamentum. Novitatem vero dico propter linguas nequam hominum impiorum, qui cum manifestum lumen veritatis obnubilare non queant, de solo novitatis nomine cavillantur. Sed haec novitas non est novella vanitatis, res enim est antiquae religionis, perfectae in Christo fundatae pietatis, antiquae haereditatis Ecclesiae Dei.* [1]) Quae verba mire congruere videntur cultui Sacratissimi Cordis Christi."

„Breve indulgentiarum, quo Summus Pontifex hanc devotionem augere velle professus est, ex adductis in memoriali sub finem exordii non asserimus, satis esse ad concedendam festi hujusmodi institutionem, sed ad id proficere; nec ex eo infertur, quod concedendum etiam sit confratribus sodalitatis, quibus Summus Pontifex dictas indulgentias largitus est. Quod si hi similem gratiam

---

[1]) Locum hunc minus recte sancto Bernardo assignarunt antiqui; desumptus enim est ex *Guigonis* Prioris V. Majoris Carthusiae († 1137) Epistola seu Tractatu ad Fratres de Monte Dei, apud *Migne:* Patrol. Lat. tom. 184. p. 510.

Digitized by Google

petituri unquam sint, Eminentissimi Patres perpendent petitionis justitiam; et respectu Cordis Beatissimae Virginis, si peteretur festum a monialibus Visitationis, ut ponderat Rmus. D. Promotor, major inspectio necessaria foret, cum non assistant tot fundamenta, quae favent Cordi Christi."

Difficultatibus Promotoris fidei ita solutis rationes in memoriali jam expositas ad extremum uno veluti fasce complexus in hunc modum responsioni finem imponit: „Ex his itaque piissima et maxime commendabilis videtur petita institutio festi, absque eo quod officiat objecta novitas, potissimum postulante serenissima Regina Angliae, certe digna, quae a Sede Apostolica exaudiatur."

§. II.
Decreta S. R. C.

Sacra Rit. Congregatio rerum temporumque adjunctis accurate perpensis viam quandam mediam ingressa monialibus Visitationis festum quinque Plagarum alias jam approbatum concessit edito hoc Decreto:

Gebennen.

Institutionis festi cum Missa propria in honorem sacratissimi Cordis Domini nostri Jesu Christi, referente Emo. de Janson. Concedatur Missa quinque vulnerum Christi pro feria sexta immediate post Octavam Corporis Christi. Pro monialibus totius ordinis Visitationis die 30. Martii 1697.

Ordinis Monialium Visitationis B. Virginis Galliarum.

„Sacra Rituum Congregatio ad supplices preces Serenissimae Mariae Angliae Reginae Sanctissimo Domino Nostro porrectas eidem sacrae rituum Congregationi remis-

Digitized by Google

sas et ab Emo. et Rmo. D. Cardinali de Janson relatas Monialibus Visitationis Beatissimae Virginis sub Instituto s. Francisci Salesii militantibus benigne indulsit atque concessit, ut in earundem ecclesiis quotannis feria sexta immediate post Octavam augustissimi Corporis Christi sacerdotibus tam inservientibus eisdem ecclesiis, quam exteris ad easdem tali die confluentibus liceat Missas quinque Vulnerum Jesu Christi celebrare, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur. Die 30. Martii 1697. Facta igitur deinde per me secretarium de praedictis SSmmo. D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit die 3. April. ejusdem anni 1697."

Quam eandem Concessionem postero anno confirmavit in Decreto dato ad Moniales Visitationis Nicien. Dioecesis, addita tamen clausula: *servatis rubricis missalis Romani.* [1])

Atque haec concessa leguntur monialibus Visitationis Bmae. Virginis. Caeteris Ordinibus vero S. Congregatio simpliciter respondit, *Non expedire,* ut precibus satisfieret, quemadmodum colligimus ex hoc Decreto:

Viennen.

„Ad supplices preces Rmi. Archiepiscopi Seleucien. et apud Caesaream Majestatem nuntii Apostolici, nomine comitissae de Valdestheim SSmo. D. N. Innocentio Papae XII. porrectas et ad S. Congregationem remissas, quibus Sanctitati Suae enixe supplicabatur, ut monialibus Ursulinis civitatis Viennensis facultatem celebrandi festum SSmi. Cordis Jesu prima die veneris post Octavam Corporis Christi benigne concedere dignaretur. S. Rituum Congregatio, re mature perpensa, censuit respondendum: *Non expedire.* Die 5. Octobris 1697."

---

[1]) Decret. Nicien. d. d. 5. Julii 1698.

Digitized by Google

Notandum vero Sedem Apostolicam, licet Monialibus Ursulinis petentibus festum negaret, propagando cultui Sacratissimi Cordis tamen adeo non fuisse impedimento, ut imo eodem ferme tempore Confraternitatem in ejusdem Monasterii Ecclesia sub titulo *Sacri Cordis Jesu Christi* erectam multarum indulgentiarum literis solemniter decorarit Decret. d. d. 22. Aprilis 1698. [1])

Corollarium.

Nulla veri specie ab osoribus cultus SS. Cordis Jesu affirmatur, Sacram Rituum Congregationem die 30. Martii anno 1697 respondisse, *Cordis materialis, carnei, proprie sumpti cultum redolere separationem Cordis per se subsistentis a Corpore Christi, quocirca de eo nec festum, nec Missam nec Officium esse celebrandum,* [2]) *adeoque loco Festi Cordis Jesu Festum substitui voluisse quinque vulnerum eo quod ipsa haec vulnera*, notante Guyeto, *ex Corpore Christi separari haudquaquam possint.* [3]) Expli-

---

[1]) Duorum horum annorum spatio (1697 — 1698) non minus 17 Confraternitates SS. Cordis Jesu erectas atque Indulgentiis a Summo Pontifice Innocentio PP. XII. ditatas legimus apud Gallifet in Catalogo ex archivo eruto. Ex iis una extat utrique Sacro Cordi Jesu simul ac Mariae consecrata (d. 22. Septembris 1698), una sub titulo sacri Cordis Domini Nostri Jesu Christi ac B. M. V. necnon S. Josephi (d. 10. Aprilis 1698), et una sub titulo Cordis Jesu et perpetui amoris ejusdem, indulgentiis ornata die 13. Septembris 1698. Caeteras sub solo titulo Cordis, vel Sacri Cordis vel Sacratissimi Cordis Domini Nostri Jesu Christi institutas reperimus.

[2]) Sacram Congregationem sic respondisse narrant praeter alios Continuat. Hist. Eccles. ***Fleury*** L. 250, §. 1 et ***Camill. Blasius:*** Dissertat. Commonitor. de Festo Cordis Jesu in prolus. n. 2.

[3]) De Fest. prop. Sanctor. L. 1, C. 6, q. 12.

Digitized by Google

catis enim ob oculos adjumentis et praesidiis a capite ad calcem singulis, quibus Postulator Causae et Promotor Fidei usi sunt, exhibitoque in forma extensa Sacrae Rituum Congregationis Decreto, apertissimum est, Benedictum PP. XIV. rectissime scripsisse *De Canonizat. SS.*, [1]) apud S. R. C. sub Innocentio PP. XII. nonnisi exceptionem *novitatis* oppositam fuisse. Quod si praeterea falsa sive argumenta contendentium sive responsa S. Congregationis ad discordiam confingant adversarii, tribuendum id esse liquet improbae eorum cupiditati sanctissimae devotioni injuriam faciendi, tanquam si cultores Sacratissimi Cordis rem solemni Purpuratorum Patrum oraculo jam definitam perimere aut saltem in perversum sensum detorquere conniterentur.

Ex eo vero quod petentibus festum Sacratissimi Cordis concessum fuit, ut vulnera colerent, adeo non sequitur preces fuisse rejectas, ut imo Sacra Rituum Congregatio eas admisisse dicenda sit, quantum objecta novitatis exceptio ferret. *Quid enim vulnus Cordis nisi Cor vulneratum?* [2])

---

[1]) Lib. IV. part. 2, cap. 31. cit.

[2]) Ita Card. *Gerdil:* Annotat. in Bullam „Auctorem Fidei" in Analect. Juris Pontif. an. 1855, p. 505.

Digitized by Google

CAPUT II.

ACTA SUB BENEDICTO PP. XIII.

ARGUMENTUM. Sub Benedicto PP. XIII. semel atque iterum ventum est ad novam petitionem festi cum Missa propria et Officio; verum Sacra Rituum Congregatio nihilo secius ac ante factitaverat, etiam tunc abstinendum a concessione censuit, tum quod vetus obstaculum ab exosa novitate desumptum nondum sufficienter videretur e medio sublatum, tum quod revelatio venerabili Margaritae Mariae facta nondum esset juridice probata, tum denique quod Ecclesia prudenter abstinere deberet ab edendo Decreto, quod quaestionem philosophicam de sede affectionum humanarum tangeret. Ne tamen lata a S. Congregatione sententia quasi in rem judicatam transiret, negotium apud Sanctam Sedem mox redintegrandum ac novis praesidiis persequendum conficiendumque curarunt causae Postulatores.

§. I.

Preces Summo Pontifici porrectae.

Igitur post decursum triginta ferme annorum Serenissimus Augustus Rex Poloniae, Episcopi Cracoviensis et Massiliensis, Monialesque ejusdem Ordinis Visitationis B. M. Virginis, ferventiores, uti ait Benedictus XIV., Sanctae Sedi exhibuerunt supplicationes pro concessione Officii et Missae propriae in honorem Sanctissimi Cordis Jesu. [1]) Supplicationis causa Massiliensibus ab insigni illo beneficio venit, quo divina bonitas illius populi devotionem erga Sacratissimum Cor Domini compensatam voluit; quamprimum sc. tam Clerus quam Senatus Massiliensis solemni voto et publica supplicatione Cordis divinissimi opem implorarunt, attrocissima lues, quae in omnium ordinum homines ita saevierat, ut quotidie plura millia de

[1]) De serv. Dei Beatific. l. IV. P. II. c. 31. n. 20.

Digitized by Google

medio tollerentur, illico remisit. Prodigii testes Episcopos varios legere est apud Gallifet. [1]) Ex iis Massiliensis antistes ipse, Henricus Franciscus Xaverius de Belsunce de Castelmoron, magni vir nominis, in suo quem Summo Pontifici obtulit libello supplici, post eloquentem et patheticam narrationem malorum, famam superantium, quibus civitas plena populo et divitiis ex gravissima pestilentia afflicta lachrymis et desolationi tradita ac morti addicta fuerat, miraculum describit descriptionique preces Massiliensium adjungit. Sed antequam oratores audiantur, in justam eorum notitiam venire decet, ut quid ponderis libelli supplices ab iisdem oblati habere potuerint, in antecessum videamus.

A. Notitia Oratorum pro Festo SS. Cordis Jesu sub Benedicto PP. XIII.

1. Henricus, Episcopus Massiliensis.

Henricus Franciscus Xaverius de Belsunce, Catholicis et patriciae stirpis parentibus natus 4. Decemb. 1671 in castello Petrocoricensis Provinciae (in Gallia Aquitanica), cui *de la Force* nomen, adolescentulus se Deo in Societate Jesu consecravit: ad omnia summa natus factusque, ut posterior aetas palam fecit. Ingenio ac judicio improboque studio brevi tantum profecit, ut eximiam suae virtutis et doctrinae commendationem apud omnes quidem, sed apud Ludovicum XIV. Regem praecipue obtinuerit. Deo ita disponente Episcopus Massiliensis creatus anno 1709 cuncta optimi vigilantissimique Praesulis officia cumulatissime obivit, praesertim quum dira epidemiae lues Massiliae grassabatur annis 1721 et 1722. Omnibus pro

[1]) De cultu ss. Cordis a pag. 511. Edition. August. an. 1753.

Digitized by Google

sua cuique necessitate succurrens tum spiritualibus auxiliis tum corporalis zeli pastoralis praestantiam tanta humilitate, caritate, beneficentia expressit, ut totam Europam in sui admirationem converterit. Summus Pontifex literis d. d. 14. Septembris dignis eum laudibus cumulavit, quod „*perfecta illa incensus caritate, quae foras mittit timorem, nullum tam necessario tempore subterfugisset laborem, nulla contagionis pericula devitasset, nullum mortis metum admisisset, sed vero animam suam, boni pastoris exemplo, pro ovibus fidei suae creditis dare paratus, toto illo tempore peste afflatos frequenter invisisset, paterno affectu consolatus esset opportunisque monitis ad implorandam a divina bonitate peccatorum veniam excitasset, illis Ecclesiae sacramenta propriis etiam manibus administrasset etc.*“ [1]) Has atque hisce similes laudes Christiani principes plena manu celebriter graviterque de illius virtutibus sparsere. Herois virtutem amplis donaturus praemiis Rex ei Laudunensem Episcopatum magna contentione obtulit anno 1722; hujus Urbis antistes quippe Dux seu Comes erat et unus e duodecim antiquis Galliae Paribus, ut vocant, atque e supremis regni judicibus; verum obtrusum honorem incredibili constantia rejecit magna totius regni admiratione, gregis sui gaudio et Christi gloriae amplificatione. Quasi ob mercedem operae, tempore calamitoso Reipublicae navatae, ab humili Massiliensi Ecclesia ad ducalem Episcopatum Laudunensem transferri, ex s. Hieronymi doctrina tantundem reputavit, ac virginis pauperculae societate contempta ditioris adulterae quaerere amplexus. [2]) Post haec mirum non est, viri qualis fuit

---

[1]) Apud **Fleury:** Hist. ecclesiast. contin. L. 220, §. 55.

[2]) Epist. 69 alias 83 ad Oceanum n. 5. Apud ***Migne:*** Pat. Lat. tom. 22. p. 658.

Digitized by Google

vita, in pietate tota, talem fuisse mortem, et discedentem eum reliquisse Massiliae fragrantem virtutum memoriam desideriumque sui maximum. Mortuus itaque est plenus dierum et bonorum 4. Junii 1755 cum magno Massiliensium totiusque Reipublicae christianae luctu, cui operam sectariis, Jansenianis praesertim, confutandis et refellendis insignem navavit. [1]) Praeter varias pastorales epistolas pro dioecesi sibi a Deo commissa exaratas plura alia pro ecclesia Massiliensi publici juris fecit, quae comprehensa tomis 3 prodierunt Massiliae annis 1747 seqq. Quantam operam curamque in propagando cultu SS. Cordis Jesu consumpserit, mirari quam describere nobis aliisque facilius contingit. Ut vero ex ungue leonem discas et agnoscas, lege, si lubet, epistolam ejus ad Summum Pontificem datam, quam continuo in forma extensa exhibebimus.

2. Constantinus, Episcopus Cracoviensis.

Constantinus Felicianus Szaniawsky, nobilissima apud Polonos stirpe oriundus, quum a primis annis totum se sapientiae et eloquentiae studiis dedisset ac prope adolescens gravissimo Referendarii Lituaniae munere felicissime perfunctus Christianae Reipublicae plurimum profuisset, res suas saeculum habere jussit, et clericali militiae adscriptus, virtutibus magis quam sanguine inclarescere, Christi potius quam Suorum nomen illustrare voluit. Verum juvenem summae spei Levitam sub umbra delitescere non permisit Deus. Ad Episcopatum Vladislaviensem in Cujavia mox assumptus in publicis regni comitiis Polonos inter senatores semper emicuit ac praesertim

---

[1]) Extat ea de re *Clementis PP. XI*. epistola gratulatoria d. d. 25. Januarii an. 1719 apud *Fleury*: Hist. ecclesiast. contin. L. 219, §. 27.

Digitized by Google

anno 1716 Ecclesiae, patriae et Regi Augusto gloriosam operam navavit in componenda pace Varsaviensi inter armatas confoederationes et milites auxiliares. Infula Cracoviensi ac ducatu Severiae donatus anno 1721 in celeberrima illa totius regni primaria, veluti in amplissimo theatro, antiquae probitatis, episcopalis vigilantiae, eximiae liberalitatis aliarumque, quas felicissimo nexu copulabat, virtutum laudibus et exemplis ad imitandum abundans obdormivit in Domino an. 1732 die 2. Julii. Constantino nostro magnam habent gratiam amici Cordis Jesu pro ea, quam semel atque iterum in propugnandum diffundendumque sanctissimum hunc cultum conferebat operam quamque praeter alia testatam facit ejus ad Benedictum PP. XIII. epistola d. d. 6. Maji an. 1726, quae statim afferetur.

8. Augustus, Rex Poloniae.

Fridericus Augustus, Saxoniae Elector, vir non modo belli sed etiam domi laude ingenii clarissimus, haeresim Lutheri in manibus Christiani Augusti, Ducis Saxo-Citiensis *(Sachsen-Zeitz),* Episcopi Jaurinensis, clam ejuravit die 2. Julii an. 1697, sanctissimae Trinitati sacro. Eodem anno Rex Poloniae creatus catholicam fidem publice se professum esse significat Innocentio PP. XII., *haud dubius,* ut ipse ait, *quin, sicut Angeli super peccatore poenitentiam agente laetantur, ita et Sanctitas Sua non sine animi laetitia perceptura sit, quod veritatem et fidem catholicam coram hominibus confessam etiam coram Deo Patre et Filio ejusque Vicario confiteatur. Placeat igitur Sanctitati Suae,* ita pergit, *testimonium hujus veritatis reddere ac quae hucusque clam de ejus conversione inaudiit praedicare super tecta.* Addit vero Rex, *quod quidem Poloniae proceres regni coronam ejus imposuissent capiti, ipse vero eam acceptare differret, donec*

Digitized by Google

a Sua Sanctitate benedictionem recepisset palamque fecisset, se obsequentissimum Sacrae Sedis filium esse. Rex in felicitatem salutemque populorum suorum nunquam non intentus quum per septem lustra et quod excurrit omnes ejus obtinendae vias iniisset, ad aeternum regnum, ut sperare est, transiit Varsoviae die 1. Febr. 1733, anno aetatis 63, Regni Polonici 36 atque Electoratus Saxonici 39. Princeps fuit, teste historia, animi fortitudine, ingenii excellentia, scientiarum ubertate, regia liberalitate, ac magnificentia, illo aevo longe celeberrimus: in bello victor, in pace pater amantissimus. [1]) Restituendae religionis alendaeque pietatis studiosissimus magnam adhibuit curam de propagando cultu SS. Cordis Jesu, quod perspicuum facit libellus supplex Summo Pontifici datus d. 15. Maji 1726.

4. Sanctimoniales Visitationis Beatissimae Virginis.

Ordo Sanctimonialium a Visitatione dictus etiam sub Benedicto PP. XIII. merito primas partes sibi sumpsit in postulando festo SS. Cordis cum Missa propria et Officio. Gravissima quippe traditio est nascentis ordinis coaeva, ordinem hunc a S. Francisco Salesio non sine divino afflatu ad eum finem in Ecclesia fuisse institutum, ut sacratissimum Cor Jesu peculiari ratione coleretur [2]) eumque non aliam ob causam Cor spinis circumdatum

---

[1]) Regis merita brevi elogio complectitur ***Fleury:*** Hist. ecclesiast. contin. L. 227, §. 42.

[2]) In vita ***M. Annae Margaritae Clement***, quam probante Cardinale Joanne Bona edidit ***P. Galice***, Barnabita, confessarius dictae religiosae virginis, de s. Francisco Salesio narratur: „Ce saint législateur a été inspiré de dresser un ordre dans l' église pour honorer l' adorable coeur de J. Ch. et ses deux plus chères

Digitized by Google

tanquam propria ordinis insignia a Sancto Fundatore recepisse die 10. Junii an. 1611. Quam multa vero Ordo Sanctimonialium a Visitatione pro cultu sanctissimi Cordis praestiterit, nimis longum hic esset scribendo recensere. Illud unum notare liceat, religiosas has virgines dignas se exhibuisse titulo *Filiarum Cordis Jesu*, nomen hoc jam pridem Sancto Fundatore ipsis praedicente, si tamen praecipuas duas virtutes Cordis Jesu, nempe mansuetudinem et humilitatem a Regula sua illis tantopere commendatas imitarentur. Petentibus Missam propriam Cordis Jesu Clemens PP. XI. rescripserat die 4. Junii anni 1707, ipsarum zelum, pietatem ac prudentiam in causa proponenda sibi maxime probari; quiete igitur Ecclesiae judicium expectarent, sincera hac submissione *recta et in compendio ad ipsum Domini Cor perventurae.* [1]) Sub Benedicto PP. XIII. caeteros oratores sua supplicatione pro Missa et Officio propriis praevenerant literis ad Pontificem datis die 6. Junii an. 1725.

5. Philippus, Rex Hispaniae.

Ante nominatis anno 1727 accessit Philippus V., Hispaniarum et Indiarum Rex, Ludovici Galliarum Regis ex Filio Delphino Nepos secundogenitus. Is erat, historia

vertus, qui sont le fondement des Règles et Constitutions de la Visitation. . . . Il n'y avait point d'ordre qui fît profession de rendre hommage à ce divin Coeur. Il y en a qui honorent les prédications de N. Sgr.; d'autres ses jeûnes; quelques-uns sa solitude et quelques autres sa pauvreté et son mépris du monde; mais celui de la Visitation est établi pour rendre un continuel hommage à son Coeur et pour imiter sa vie cachée." (Edit. Gall. Ch. 14. p. 266.) Quae eadem occurrunt in linguam italicam translata apud *Gallitia:* Vita di S. Francesco di Sales Lib. V, C. 14, Edit. Venet. an. 1720, p. 410.

[1]) *Languet:* La vie de la vénérable Mère Marg. Marie, l. VIII.

Digitized by Google

teste, princeps religionis studio praeclarus, moribus integerrimis, prudentia atque in utraque fortuna constantia longe clarissimus. Pie decessit die 9. Julii anno salutis 1746, aetatis 62, Regni 45. Laudavit Philippum publica panegyri P. Lorenzo Lopez, S. J., quae exstat impressa Parisiis quamque ex hispanico sermone gallice redditam censent Eruditi Trivultiani an. 1748, mense Julio p. 1506. Refertur Philippi ad Summum Pontificem data epistola pro festo SS. Cordis Jesu in *Novis observationibus*, de qua non sine Principis injuria detrahere conati sunt Fontaninius, Blasius caeterique cultus SS. Cordis osores. [1])

B. Libelli supplices Summo Pontifici dati.

1. Literae Episcopi Massiliensis atque universi ipsius Dioecesis cleri.

Beatissime Pater!

Devotissimus Filius vester *Henricus Franciscus Xaverius de Belsunce de Castelmoron Episcopus Massiliensis*, cum universo Dioecesis Suae Clero tam Saeculari quam Regulari, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus cum omni reverentia et filiali confidentia ipsi exponit: Quod anno 1720 multiplicatis Massiliensium sceleribus, ultionum Dominus saevissima peste ex thesauris irae suae educta, eam sumsit de infelici populo vindictam, quae cunctis vel maxime dissitis totius orbis terrarum nationibus formidanda fuit. Superba haec Massiliensis civitas plena populo et divitiis, divino judicio, subito lacrymis et solitudini hactenus inauditae, ac desolationi tradita et ita

---

[1]) Videsis „*Note sopra le nuove Osservazioni per ottenere l' Uffizio e la Messa del Cuor di Gesù*" apud Cam. Blasium: Dissertat. commonit. p. 300. Edit. Norimberg.

Digitized by Google

morti addicta est, ut quotidie omnium ordinum hominum millia, saeviente pestilentia de medio tollerentur; morientium simul et mortuorum corpora, non in aedibus tantum, sed maxime, quod horrendum fuit, per vicos omnes et plateas hujus vastae Urbis passim permixta, ibidemque coacervata et putrefacta cadavera, canibus esca jacerent. Sed, quod dolendum maxime afflictissimo Pastori fuit, Pater Sanctissime, ipsa ineunte pestifera vastitate, ducentis quinquaginta fere eodem tempore Christi Ministris gloriosa morte sublatis, aliis peste laborantibus, fugientibus caeteris, fere ab omnibus derelictus, dilectas oves magna ex parte absque Ecclesiae Sacramentorum auxilio misere morientes, moerore confectus ipse videre quotidie ac deflere coactus est.

Quid in tot ac tantis rerum omnium calamitatibus ageret Pastor quotidie moriens? Humanae sapientiae conatus omnes in vanum adhibiti, frustra in honorem Sanctorum vota multiplicata fuerant. A solo Domino Nostro Jesu Christo semper vivente ad interpellandum pro nobis, laboranti et morienti populo auxilium sperans Massiliensem populum cum reliqua sua Dioecesi, quam fere totam devastabat pestilentia, publice *Sacratissimo Cordi Domini Nostri Jesu Christi,* omnium misericordiarum nunquam exhauriendo fonti consecravit: statuitque, ut in posterum in reparationem populi, et in gratiarum actionem, in tota Dioecesi dies festus solemniter et perpetuo celebraretur quotannis in honorem adorandi *Cordis Jesu,* feria sexta prima post octavam Corporis Christi, et sanctissimi Nominis Jesu, die 14. Januarii.

Ubi primum in lugubri supplicatione seu processione habita die Sanctorum omnium, assistente paucissimo superstite Clero et Populo (frementibus modicae fidei hominibus, qui ex ista generali omnium communicatione infausta omnia Urbi et Civibus minabantur) haec solemnis conse-

Digitized by Google

oratio in medio desolatae Civitatis pronuntiata fuit, et supra dictae solemnitates ab Episcopo ante Missam inter vivos et mortuos promulgatae fuerunt, si plaga non cessavit subito, misericordia tamen commotus est Dominus super populum suum, atque ex illa hora, quod est prodigio par, imminui semper et usque ad cessationem integram decrescere manifeste visa est lues pestifera.

Tanti beneficii testes ac memores Massiliae Consules, singulis annis in die festo *Sacratissimi Cordis Jesu* in Ecclesia primi Monasterii Monialium Visitationis B. Mariae Virginis, sumto divino Eucharistiae Sacramento, Cereum Majestatis offensae piaculum et grati animi pignus, ex voto offerunt, et intersunt eodem die solemni omnium Ordinum supplicationi, quae per totam Urbem, ad perpetuam rei memoriam, ex eodem voto indicta est.

Undique tanti beneficii, dicam, an prodigii sparso rumore, non solum apud Massilienses, sed etiam apud fere omnes istius Provinciae Dioeceses adaugetur et effervescit in dies nova illa Christi Domini in sacrosancto Eucharistiae Sacramento colendi ratio, quam Deus Optimus Maximus, signis non dubiis comprobavit, et quae quotidie et in aliis Regnis mirifice propagatur. Ad augendam talem Populorum Dioecesis Massiliensis devotionem Innocentius XIII. in omnibus fere ac singulis totius hujus Dioecesis Ecclesiis plenariam Indulgentiam, in praedicta feria sexta proxima post octavam Corporis Christi, benigne ac paterne concessit.

Ut haec ergo tum expiationis, tum gratiarum actionis solemnitas cum omni celebritate et devotione in perpetuum Massiliae celebretur, unum deest, *Pater Sanctissime,* nimirum ut Missa, et Officium in honorem *Sacratissimi Cordis Jesu* Liberatoris Nostri, id est ipsius Domini Nostri Salvatoris semper super peccatores miserentis, Vestra et Sanctae Sedis authoritate approbentur, eaque

Digitized by Google

recitari a Clero tam Regulari quam Saeculari liceat. Hoc suppliciter et enixe deprecantur a peste divinitus liberati Episcopus, et Clerus hujus Urbis, quae nunc multo magis sua erga Sedem Romanam reverentia et obedientia gloriatur, quam olim honorifico sororis Romae titulo.

Henricus,
Episcopus Massiliensis.

(*Sequuntur subscriptiones cleri.*)

2. Epistola Celsissimi Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiae.

Sanctissimo Patri ac Domino Domino BENEDICTO divina Providentia PAPAE XIII., sacrosanctae Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater!

Ad osculum pedum *Sanctitatis Vestrae* humillime provolutus, supplices in conspectu ejus cum Filiali reverentia effundo preces, pro gratia ejusmodi. Quod cum constans devotio Fidelium erga Sacratissimum *Cor Jesu Christi* etiam in Regno Poloniae viget, ardent quoque piarum animarum corda, ut amoris divini *Cor* istud sanctissimum majori in dies colatur devotione, ac honore. Cujus quidem propagandi cultus singulari fervent desiderio religiosa pectora Monialium instituti Visitationis Beatae Mariae Virginis, quarum pietatis zelus omnium accendit animos. Unicum optant animae Deo sacratae, ut has piorum desideriorum sanctiores flammas *Sanctitas Vestra* Paterna admissione dignetur. Fovebit autem et magis excitabit, si ex sua Pastorali benignitate, et Apostolicae Potestatis plenitudine, ad vota expectantis populi *Festum Sanctissimi Cordis Jesu*, cum officio proprio et Missa,

Digitized by Google

pro universali Ecclesia instituere decreverit. Quam gratiam Cordi divino sine dubio acceptissimam, cum a *Sanctitatis Vestrae* clementia, supplicibus imploro votis, pro longaeva incolumitate *Sanctitatis Vestrae,* ejusque felicissimo regimine divinam Majestatem exoro *Sanctitatis Vestrae* obedientissimus exorator et humillimus servus,

Constantinus Szaniawsky.

Cracoviae 6. Maji 1726.

8. Epistola Serenissimi Regis Poloniae.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino BENEDICTO divina Providentia Papae ejus Nominis XIII. Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater, Domine, Domine Clementissime!

Post oscula beatorum pedum *Sanctitatis Vestrae,* mei regnique ac dominiorum meorum humillimam commendationem. Cum regnum meum peculiari patrocinio et protectione *Sacratissimi Cordis Jesu* fruatur, quod speciali cultu ac singulari devotione tum ego, tum gens tota Polona prosequimur, supplicandum esse duxi *Sanctitati Vestrae,* ut non solum ad meum subditorumque meorum spirituale solatium, verum etiam ad aedificationem christifidelium aliarum regionum, hujusmodi devotionem statuere et suprema auctoritate sua ad totum orbem extendere velit. Etenim quum *Beatitudo Vestra* humillimae supplicationi meae clementissime annuere dignata fuerit, coelestes benedictiones mihi regnoque meo, ejusdem *Sanctissimi Cordis* patrocinio profecto sperare licebit. Ego vero tanto beneficio auctus diuturnum ac felix christiani orbis regimen

Digitized by Google

Sanctitati Vestrae apprecari non praetermittam. Ac interim filiali cum observantia maneo.

Dabantur Varsaviae die XV. mensis Maji anno Domini MDCCXXVI. Regni vero mei anno XXIX. *Sanctitatis Vestrae* obedientissimus filius

Augustus,
Rex Poloniae.

4. Libellus Supplex Sanctimonialium a Visitatione B. V. M. dictarum.

Beatissime Pater!

Divinae gloriae promovendae zelus, quo incenditur *Sanctitas Vestra*, facit, ut magna cum fiducia ad ipsam accedamus, et ab ipsa supplices petamus, quod maximum pietati tum ornamentum, tum incrementum afferet. Fervet in Monasteriis nostris *Sacratissimi Cordis Jesu* solemnitas. Uni e Sororibus nostris hujusce Monasterii Professae manifestavit olim Dominus, quantum sibi placet religiosus hic cultus: nec sine ingenti gaudio hunc videmus in orbem fere totum disseminari, quemadmodum ipsa divino afflata Numine praenuntiaverat. Habet haec solemnitas Praelatorum gratiam, in tantum, ut sibi eam nonnulli suas in Ecclesias, etiam cum voto, et percepti fructu voti transtulerint. Habet studia Populorum, qui eam plurimis in locis omni devotionis fervore celebrant. Habet munera Summorum Pontificum, *Sanctitatis Vestrae* praedecessorum, qui plenarias indulgentias e thesauro Ecclesiae excerptas larga manu benigne concesserunt. Verum, ut in dies augeatur magis, atque ut servetur idem ubique in hoc festo celebrando ritus, ad *Sanctitatis Vestrae* pedes provolutae petimus supplices, ut dignetur oblatam Missam una cum Officio *Sacratissimi Cordis Jesu* approbare; ut Pontificiae authoritatis suffragio munita, neque variationem deinceps,

Digitized by Google

neque contradictionem patiatur. Nec vero petimus nostro tantum nomine, sed et Monasteriorum nostrorum Anneciensis, Lugdunensis, Gratianopolitani, Parisini, Divionensis, Mussipontani, Vesuntini, Rhotomagensis, Metensis, aliorumque tum e Gallia tum e Lotharingia bene multorum, a quibus perscriptam negotii bene gerendi authoritatem accepimus. Quod si petitioni nostrae annuat *Sanctitas Vestra*, aeternum sibi vota precesque nostras devinciet, aeternum omnes Visitationis Beatae Mariae Sanctimoniales tanti beneficii memores experietur. Ita testantur totius instituti nomine. Pareii Moniaci.

6. Junii, anno Domini 1725.

5. Epistola Ferdinandi, Regis Hispaniae, ex hispanico in Latinum sermonem translata. [1])

Beatissime Pater, concurrere exoptans, quantum est ex me, ut devotio erga divinum *Jesu Cor* propagetur, persuasus maneo, hoc facile assequendum, si *Sanctitas Vestra* pro omnibus meis regnis et ditionibus Missam et Officium proprium benigne concedat. Itaque paterno Vestrae Beatitudinis amore fretus enixe deprecor *Sanctitatem Vestram*, ut hanc gratiam mihi concedere dignetur.

---

[1]) Exemplar archetypum hispanicum hoc est:

CARTA DE PHELIPE V. REY DE ESPANA AL SUMMO PONTIFICE BENEDICTO XIII.

Muy S. P. deseando por mi parte concurrir, à que se extienda, y propague la devocion al Divino Corazon de Jhs, estoi persuadido, à que esto se facilitarà, concediendo V. Santidad para todos mios Reynos, y Dominios la Missa, y Oficio proprio suio. Por lo que fiado en el Paternal Amor de V. Beatitud passo a suplicar a V. Santidad con las majores veras, y empeno, se sirva de dispensarme esta gracia, que espero merecerle: como el que me

Digitized by Google

Quam promereri spero: aeque ac suam Sanctam et Apostolicam Benedictionem, quam a Vestra Beatitudine humiliter imploro. Deus Optimus Maximus ad multos annos servet incolumem Sanctissimam Personam Vestrae Beatitudinis ad bonum et faustum Universalis Ecclesiae regimen.

Datum in bono recessu 10. Martii 1727.

Sanctitatis Vestrae humillimus et devotus Filius D. Philippus, Dei gratia Hispaniarum Rex, utriusque Siciliae, Jerusalem etc., qui Suos Sanctos pedes et manus deosculatur

Ego Rex.

Joannes Baptista de Orendayn.

§. II.
Acta apud S. R. C.

A. Memoriale Postulatoris Causae.

Postulator hujus concessionis sub Benedicto PP. XIII. fuit P. *Josephus de Gallifet*, S. J., qui typis Romanis eodem hoc anno 1726 librum edidit *de cultu sacrosancti Cordis Dei ac Domini Nostri Jesu Christi*. Scripturae pariter sacrae Rituum Congregationi distributae sunt, teste

---

conceda igualmente su Santa y Apostolica Benedicion, que humilmente imploro à V. B. N. Senor Guarde la muy Santa Persona de V. Santidad al bueno, y prospero Regimiento de su Universal Iglesia. Del Buen Retiro à 10. de Marzo de 1727.

De V. Santidad Muy humilde, y devoto hijo D. Phelipe por la gracia de Dios Rey de las Espanas, de las dos Sicilias, de Jerusalem etc., que sus Santos Pies, y Manos beso

El Rey.

Juan Baptista de Orendayn.

Digitized by Google

Benedicto PP. XIV.,[1]) *omnibus numeris absolutae.* Plura vero afferebantur ex *vita Venerabilis Matris Margaritae Alacoque Ordinis Visitationis B. M. V.*, conscripta a D. Languet, Episcopo Suessioniensi, necnon ex *coelestibus illustrationibus* P. Claudii la Colombière e Societate Jesu, spiritualium exercitiorum tempore in codicem relatis: in quibus omnibus revelatum dicebatur eidem venerabili Matri, divinae voluntatis esse institutionem festi in honorem Cordis Jesu. „*Retulit itaque haec Dei serva,*" sic scriptum reliquerat Pater Claudius, „*se die quodam infra Octavam Corporis Christi, cum orationi coram sanctissimo Sacramento vacaret, coelestibus gratiis a Domino supra modum repletam fuisse, et Christum Dominum sibi dixisse: a te requiro, ut feria sexta, quae post Octavam festi Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata, qua die ad sacram mensam accedendo injuriae cordi meo in altaris mysterio inflictae, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur. Et quidem spondeo, eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu coelestium gratiarum copia cumulandos.*"

Expositum praeterea a venerabili Margarita eidem Patri Claudio fuerat, eam se peccatricem confessam fuisse ideoque ineptam, quae esset adjutrix conciliorum divinorum; tum Christum respondisse, se infirma mundi eligere solitum, ut fortia confunderet, et suae esse sapientiae imbecilles homines in consiliis exequendis adhibere, ut nimirum, cum ipsi sibi nihil adscribere possint, potentia sua gloriosius manifestetur.

---

[1]) De serv. Dei Beatif. l. c.

Multa deinde a Postulatore fuerunt allata pro comprobanda sanctitate vitae ejusdem venerabilis Dei famulae. Catalogus etiam productus est Regnorum, Provinciarum, Dioecesium, Ecclesiarum saecularium, ordinum religiosorum tum virorum tum mulierum piarumque sodalitatum ,in quibus cultus Cordis Dei solemniter exhibetur. Denique maxima diligentia Patrum et Theologorum dicta de devotione Cordis Jesu fovenda fuerunt collecta.

Quod vero attinet ad ipsius festi institutionem, maxima vis constituta fuit in institutione festi sanctissimi Corporis Christi, quae originem suam habuisse dicebatur a revelatione facta in civitate Leodiensi Beatae Julianae Virgini, cujus festum celebratur die 5. Aprilis. [1])

B. Exceptiones Promotoris Fidei.

Argumenta Postulatorum refellere conatus est Prosper Lambertini (Benedict. XIV.), qui tunc temporis munere fungebatur Fidei Promotoris. Atque initio quidem antiqua exceptione *novitatis* usus omnes illas difficultates ex citata jam epistola *s. Bernardi ad canonicos Lugdunenses* iterum opposuit, quae sub Innocentio PP. XII. contra institutionem festi sacratissimi Cordis allatae fuerant. Deinde vero propter suscepta Postulatoris officia partes adversarii impigre agens contra postulatorem causae ex doctrina ejusdem S. Bernardi animadvertit *l. c.*, in festi institutione sedulo examinandum esse, an ex ea deduci possit consequentia ad aliorum festorum institutionem; admissa quippe consequentia, praxis Ecclesiae est, ut ab institutione festi abstineatur. *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Ut honoretur inquiunt, et con-*

[1]) Acta Sanctorum Bolland. ad d. 5. Apr.

Digitized by Google

ceptus, qui honorandum praeivit partum; quoniam si ille non praecessisset, nec iste esset, qui honoratur. Quid si alius propter eandem causam etiam utrique Parenti ejus festos honores asserat esse deferendos? Sed de Avis et Proavis idipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, et sic tenderetur in infinitum et festorum non esset numerus. Patriae est, non exilii frequentia haec gaudiorum; et numerositas festivitatum cives decet, non exules. Et profecto, ita pergit, quum ex concessione Officii et Missae in honorem Cordis Jesu consimiles instantiae tractu temporis promoveri possent in honorem sanctissimi Lateris ipsius, sanctorum Oculorum, sanctissimae Linguae, necnon in honorem Cordis Beatissimae Mariae Virginis etc. abstinendum idcirco a petita festi institutione dixi.

Quia vero a Postulatoribus novum argumentum desumebatur ex institutione festi Corporis Christi, subjecit, eam utique institutionem causam suam desumpsisse a revelatione facta Beatae Julianae; sed revelationem ipsam examinatam fuisse a Roberto Episcopo Leodiensi et aliis Episcopis atque ecclesiasticis Doctoribus; rursus Urbanum IV. tunc Archidiaconum Leodiensem, deinde evectum ad summum Pontificatum, noluisse assensum praebere extensioni festi ad universam ecclesiam, nisi postquam novo miraculo edoctus cognovit Divinae id voluntatis esse; [1]) in praesenti causa vero nec juridicum revelationis ven. Margaritae

[1]) Quum etenim Urbanus — verba sunt ejusdem Promotoris Fidei l. c. — in Civitate Urbevetana degeret, ut impetum Saracenorum evaderet, quos Manfredus Siciliae Tyrannus in Italiam evocaverat, contigit, ut incredulo sacerdote Missam celebrante in Ecclesia Vulsinii, Urbevetanae Dioecesis, hostia appareret oculis ipsis vera caro, roseo cruore respersa, ea tantum excepta particula,

Digitized by Google

examen nec ullum miraculum intercessisse, quo institutio novi festi in honorem sacratissimi Cordis Christi commendaretur proindeque exemplum institutionis Festi Corporis Christi institutioni Festi in honorem Cordis nequaquam suffragari. Haec ex tabulariis sacrae Rituum Congregationis. Iis vero oretenus se addidisse refert Benedictus PP. XIV. in opere *de Servorum Dei Beatificatione,* statui tanquam certum a Postulatoribus, cor esse, ut vocant *comprincipium* sensibile omnium virtutum et affectionum quasique centrum voluptatum et dolorum omnium interiorum; [1]) sed id quaestionem philosophicam involvere, a qua definienda ecclesia prudenter abstinuerit atque abstineat. Unde *reverenter,* inquit, *insinuavi non esse petitioni annuendum.*

---

quae sacerdotis digitis tangebatur; vitta autem linea, quae ad reverentiam calici erat imposita, ex sanguinis effusione madefacta est, ita ut sacerdote studente cooperire Corporale, dextera autem Domini faciente virtutem, singulae guttae sanguinis ex vitta ipsa manantes et in Corporale fluentes singulas figuras in similitudinem hominis in eo impresserint. Itaque re ad Urbanum IV. delata ab ipso sacerdote, qui poenitentia ductus suam priorem incredulitatem amare deflebat, decretum est, ut prodigiosum Corporale ad Eccleciam Urbevetanam deferretur, prout sane delatum est ipso Pontifice cum universo clero et populo illud excipiente et in Templo majori Urbivetano collocante, in quo etiamnum asservatur et statis diebus publice ostenditur.

[1]) Consule *Gallifetum:* De cultu sacrosancti Cordis Dei ac D. N. J., qui ea de re copiose agit lib. II. cap. I., ubi ex hoc principio plura eruit, quae ad excellentiam Cordis Jesu in se spectati pertinent.

Digitized by Google

§. III.
Decreta S. R. C.

Sacra Rituum Congregatio quum nullatenus edere vellet Decretum, quo vel judicium Sedis Apostolicae de adducta revelatione venerabili Margaritae Mariae facta occupare vel unam potius quam aliam opinionem philosophicam confirmare videretur, *his* (i. e. animadversionibus Promotoris Fidei) *cohaerenter* in comitiis habitis die 12. Julii 1726 rescripsit *Non proposita;* qui rescribendi modus, notante eodem Prosp. Lambertinio, aliquando adhibetur, ut Postulatores admoneantur, a petitionibus esse abstinendum, quae quum multas involvant difficultates, viam aperiunt negativo responso. Quibus difficultatibus solvendis quum multum operae dedissent Postulatores ac paulo post novis conatibus pro eadem concessione supplicassent, Sacra Congregatio sive quod existimaret, quaestionem nondum esse maturam decisioni, sive quod putaret, difficultatibus oppositis non esse sufficienter satisfactum, die tandem 30. Julii 1729 simpliciter respondit *Negative.*

Corollarium.

Falso calumniantur adversarii cultus sacratissimi Cordis Jesu, Postulatores Officii et Missae propriae sub Benedicto PP. XIII. idcirco repulsam tulisse, quod Prosper Lambertinius ostendisset, *ejusmodi cultu religionis puritati labem inuri eumque periculi esse plenissimum, utpote qui Nestorianismum saperet, quum cultores Cordis Jesu Cor materiale a corpore separatum tanquam objectum adorationis per se subsistens proponerent; ac proinde non nisi ex obduratione cordis factum esse, ut post iteratam repulsam denuo Congregationis aures suis precibus*

Digitized by Google

fatigarent Postulatores. [1]) Id maligne absurdeque fictum Acta exhibita demonstrant. Difficultates enim, quas, interprete Prospero Lambertinio, proposita petitione involvi Responsum primum *(Non proposita)* indicat, maxime ex novitate rei atque ex ejusdem nexu cum quaestione philosophica petitas fuisse in oculos incurrit. Adversarii autem quo probrum Nestorianismi in cultum SS. Cordis majori confidentia jacerent, calumniae originem praeclaro aliquo nomine honestare studebant, eam sc. ab Augustissimo Sacrae Congregationis Senatu aut saltem a doctissimo Prospero Lambertinio, magna cum amborum injuria, repetendo. Nam praeterquam quod Lambertinius hanc difficultatem in suis animadversionibus exclusit, [2]) ipse P. Gallifet eam accurata solutione jam praeverterat sic scribendo: *Cor Jesu ita colendum proponitur, ut ab aliis rebus maxime spiritualibus, quibus intime conjunctum est, minime separetur. Non separatur a persona Verbi, per quam ad divinum ordinem evehitur; non ab anima Christi, a qua vitam et sensum obtinet quaeque suam ei nobilitatem ac excellentiam totam quasi infundit et communicat; non a Spiritus Sancti donis, a quibus sanctitatem immensam participat. . . . . Haec autem omnia quum Cordi Jesu nexu indissolubili conjuncta sint et ab his ipsis dignitatem, pretium, nobilitatem, sanctitatem, divinitatem, omnem denique perfectionem Cor accipiat, prorsus necesse est, ut cultus Cordi adhibitus haec omnia simul et indivise attingat, adeo ut . . . . objecto illo*

---

[1]) ***Camill. Blas.:*** de festo Cordis Jesu prolus. et Continuat. ***Fleury:*** Hist. Eccles. L. 250, §. I.

[2]) Expositum fuit, rationem Festi consistere . . . . in Corde Jesu humanitati sacrosanctae unito, et consequenter uti rem unam constituente cum anima et divina persona. Ita de Canonizat. SS. l. c. n. 21.

Digitized by Google

cultus nostri adaequate sumpto nihil esse possit seu in terris seu in coelis nobilius, sanctius, sublimius, divinius. [1] Et paulo inferius, *Quum Cor Jesu,* inquit, *animae personaeque Christi intime et indissolubiliter conjunctum sit, sane oratio, quae ad ipsum Cor dirigitur, eodem tempore eodemque actu necessario dirigitur ad ipsam animam et personam indivise, adeoque hic orandi modus nequaquam videri potest, hominibus saltem attentis, contra rectam rationem. Quod autem orando non persona Christi sed Cor ipsum appelletur, invocetur, laudetur, id fit piissime ex affectu erga ipsum Cor, quem affectum Christo esse gratissimum ex variis Sanctorum testimoniis ac revelationibus a nobis allatis et afferendis liquido constat. Certe Ecclesia ipsa orationes et laudes publico ac solemni cultu dirigit ad Christi crucem, quamvis de se materialem et inanimam:* **O crux ave spes unica . . . . auge piis justitiam reisque dona veniam. O crux splendidior cunctis astris . . . . salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. O crux venerabilis, quae salutem attulisti miseris, quibns te efferam praeconiis, quoniam vitam nobis coelitem praeparasti. . . . .** *Si ergo ab Ecclesia universa ejusmodi orationes, laudes et praeconia ad crucem ipsam materialem et inanimam diriguntur, quanto magis hic orandi et laudandi modus conveniet Cordi Christi? Quae enim comparatio crucem inter et Cor Jesu?* [2]

---

[1] Lib II. c. 2. p. 75. Edit Roman. cit.
[2] L. c. p. 91.

Digitized by Google

§. IV.
Prosecutio Causae.

Quamquam edita decisione anni 1729 causa cadebant Festi Postulatores, neutiquam tamen desperanda videbatur gratiae concessio tum generatim ob naturam Decretorum S. R. C., [1]) tum speciatim vero ob verba citatae responsionis d. d. 12. Julii an. 1726. *Novis* igitur *observationibus de festo ss. Cordis Jesu* praeparari coeptis imprimis ostendere connitebantur, causae definitionem non ab antiquorum philosophorum sententia *de principio sensibili affectionum in corde collocando* pendere; [2]) tum vero ferventioribus precibus apud Deum agere studebant, ut festum hoc ab universa Ecclesia reciperetur, [3]) juxta quae P. Gallifet qua Postulator causae in prima defensione an. 1726 Benedicto PP. XIII. oblata monuerat *lib. II. c. 2. Cum agitur de novo aliquo cultu in Ecclesia generaliter inducendo, non hominum hoc opus esse, sed Spiritus Sancti. Neque putandum, institutionem ejusmodi publicam ac constantem a cujusvis hominis voluntate aut arbitrio pendere posse. Humanae hoc certe sapientiae aut potentiae non est, sed solius Dei, qui hominum corda solus inflectit, cujusque providentia Ecclesiae suae invigilans ac bono consulens, diversa religionis officia diversis*

---

[1]) Lege sis nostras ***Quaestiones selectas in jus liturgicum*** in novellis theologicis, inscriptis ***Revue théologique*** mensis Aug. an. 1858, ubi late omnia sumus persecuti, quae ad naturam atque auctoritatem Decretorum S. R. C. spectant.

[2]) Novas has observationes exhibebimus infra sect. II. cap. 3.

[3]) Inter varias praxes colendi Cor Jesu in libris sub id tempus editis etiam hanc legimus propositam, sc. ferventes ad Deum fundendas preces esse, ut festum Cordis Jesu ab universa Ecclesia Christi solemne habeatur. Cfr. Amabilissimum Cor Jesu p. 128.

Digitized by Google

temporibus exoriri facit: ea ratione, eoque tempore, prout major sua ipsius gloria et fidelium utilitas exigunt. Inde effectum est, ut ea pietatis exercitia, quae jam constituta videmus, non omnia simul fidelibus proposita sint, sed alia aliis temporibus, citius aut serius, juxta divinam electionem ac beneplacitum. Haec *P. Gallifet lib. II. c. 2.*

Quod vero in *novis hisce observationibus* Sacrae R. Congregationi oblatis adversus *novitatis exceptionem* a Promotore Fidei oppositam nullam compararint replicationem, id ea de causa factum esse puto, quod eam et Frigidianus Castagnorius jam ante triginta annos sufficienter removisset et Postulator causae nunc iterum in ipsa defensione in antecessum diluisset hac usus distinctione:

Quod ad Novitatem cultus attinet, I. Negamus, pias erga Cor Jesu affectiones, in quibus interior cultus ac praecipuus consistit, novitatis insimulari posse: ut constat ex testimoniis Sanctorum superius adductis; *II. Fatemur,* novam esse rationem Cor Jesu venerandi; quippe quae *cultum publicum* inducit ac certis exercitiis circumscribit; sed ea novitas si justam cultus nostri calumniandi causam praebeat, eadem certe calumnia inferri potuit omnibus pietatis officiis, quotquot actis retro saeculis in Ecclesia nata sunt; cum nullum sit, quod aliquando novum non fuerit; initium enim habuisse necesse est. Ergo ad repudiandum novum aliquem cultum sola non sufficit novitas; nisi enim rationibus evincatur, rejiciendum esse aut tanquam pravum, aut frivolum aut superfluum: quod, ut evincatur de cultu Cordis Jesu, non est sane, cur timeamus, cum ejus veritas, soliditas, sanctitas tot jam argumentis demonstrata sit.

Neque novis argumentis refellenda putabant, quae Prosper Lambertinius ex objecta, quae inde sequeretur, festorum multitudine contra concessionem festi dixerat.

Digitized by Google

Hanc difficultatem enim Postulator Causae satis praevenisse videbatur enucleate ea de re in oblata scriptura sic disputando:

Objiciebant in hunc modum: si cultus peculiaris Cordi Jesu adhibendus sit, festumque proprium in ejus honorem instituendum, quidni idem praestetur honos aliis divinissimi corporis partibus? Cur enim potius istis, quam caeteris, cum par pro omnibus videatur esse ratio? Ergo tot erunt jam instituenda festa, quot sunt in sacro corpore diversae partes: agetur festum pedis, festum manus, festum capitis, frontis, oculorum, oris, etc. . . . . Nec finis erit ejusmodi celebritatum instituendarum: quod certe nemo sapiens approbabit.

Hoc fuit quasi palmare contradictorum argumentum; hoc omni occasione insultantes oggerebant; hoc telo cultores Cordis Jesu ita percelli putabant, ut ab eis nullo conamine aut repelli, aut eludi posse crederent. Denique hoc unico argumento freti, victoriae securi, prostratos adversarios miserantes aspernabantur. Verum haec omnia qua veritate, qua soliditate, qua sapientia et prudentia, acta dictaque sint, ex sequentibus animadversionibus planum fiet.

I. Negari nullo pacto potest, infinitum quoddam discrimen esse inter proprietates Cordis Jesu, quae illius cultum peculiarem suadent, et rationes colendi, quae ad caeteras sacri corporis partes pertinent: ut ex his, quae toto superiori capite exposita sunt, perspicuum esse confidimus. Hinc fit, ut tametsi caeteris partibus cultum deferre non expediret (quod ab adversariis errore delusis, tanquam certum assumi videtur) nullum propterea cultui Cordis praejudicium afferretur; cum illius praerogativae supra reliquas partes sint indubitatae. Eos vero, qui tanta confidentia nos interrogant, cur potius Cordi honorem

Digitized by Google

haberi velimus, quam caeteris corporis partibus, facile revincere possumus interrogatione simili: dicant ergo, si placet, cur apud omnes nationes, sola natura duce, usus invaluerit, quod, si homo aliquis eximie amator, aut beneficus, illustre quoddam amoris ac benevolentiae pignus relinquere post mortem velit; is non pedem, non manum, non caput relinquit, sed cor? Interrogamus itaque et nos, cur potius cordi hic honos habeatur, quam caeteris corporis partibus? Respondeant adversarii, hujusque differentiae ab omnibus hominibus assertae rationem afferant: afferent certe simul eam, quam a nobis expostulant, Cordis Jesu praerogativam.

II. Notandum diligenter est, vehementer errare adversarios, cum assumere tanquam rem certam videntur, adhibendum non esse cultum peculiarem caeteris corporis Christi partibus. Indubitatum quippe est, singulas divinissimi corporis partes, etiam singillatim sumtas, honore infinito dignas esse; cum infinitae excellentiae sint, propter conjunctionem cum Verbo. Neque hoc a quoquam sine errore manifesto negari posse videtur. Fatendum insuper, in singulis sacratissimi corporis partibus, praeter illam rationem universalem, e conjunctione cum Verbo petitam, qua honore infinito in communi dignae redduntur, peculiarem inesse proprietatem, qua unaquaeque pars peculiari quoque veneratione et affectione digna efficitur. Quod, ut statim persentias, optime ac religiose lector, respice, precor, animoque perlustra sacrosancti corporis partes singulas. Inspice frontem illam ex una parte majestate humano-divina refulgentem; ex altera spinea corona redimitam, plurimoque vulnere cruentatam. Inspice divinos illos oculos coelesti modestia ac gravitate conspicuos, quorum suavitate, conspectuum misericordiam ubique spirantium, tot peccatores ad poenitentiam adducti sunt. Os illud sacrum,

Digitized by Google

intuere, ex quo tot oracula, tot coelestia ad salutem documenta, tot admonitiones, exhortationes, allocutiones, divina vi ac suavitate condita prodiere. Aures illas Salvatore dignas considera, peccatorum precibus semper pervias, et ad miserorum postulationes exaudiendas unice factas. Manus illas contemplare infinita potestate praeditas, divina liberalitate ac munificentia commendabiles, tot patratis miraculis ac prodigiis admirandas, denique tot collatis in homines beneficiis, ac fixuris maxime clavorum amabilissimas. Sacra genua conspice, toties ad Deum tibi placandum in oratione humi fixa. Pedes sanctissimos intuere, tot itineribus, laboribus, defatigationibus ac saevis demum clavorum vulneribus veneratione nostra, amore, amplexibus, ac repetitis osculis dignissimos. Totum denique corpus plagis a planta pedis usque ad verticem pro te conscissum contemplare, et fatere, verissimum esse, quod diximus, in singulis divinissimi corporis partibus, peculiarem aliquam reperiri rationem, qua fidelium venerationem, admirationem, amorem, miserationem, amplexus, oscula, intimamque viscerum commotionem omnimodis mereantur. At in his certe affectionibus verus interior cultus consistit.

Ergo, inquies, jam singulis sanctissimi corporis partibus cultus adhibendus erit. Id quidem omnino sane, si de cultu privato sermo sit; sed nondum, si de publico. Nam, quod ad privatum cultum attinet, eum non modo licitum et honestum esse, sed etiam sanctum et in Ecclesia usurpatum Sanctorum exempla declarant. Quis enim ita peregrinus in rebus spiritualibus sit, qui ignoret, animas vitae interiori deditas in contemplando corpore Christi assidue versari; ejusque diversis partibus venerationem singillatim adhibere solitas: quo in exercitio, et magna se spiritus voluptate frui, et solidum pietatis, amorisque praesertim alimentum reperire testantur. Inde oratio illa

Digitized by Google

D. Bernardi numeris adstricta, mellifluí doctoris affectibus plena ad singulas corporis Christi partes; ad pedes, ad manus, ad genua, ad pectus, ad Cor, etc., quae in operibus illius editis post epistolas collocata reperitur. Inde oratio illa pervulgata, Sancto Ignatio, aliisque familiaris: „Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me. etc." Inde aliae similes affectiones, quas passim in operibus et actis Sanctorum reperire est.

Itaque de cultu quidem privato dubitationi locus esse non potest. Sed non continuo inde sequitur, publicum quoque cultum adhibendum esse: non, quod singulae partes corporis Christi dignae non sint, sunt enim dignissimae: sed, quod ad publicum cultum non sufficit rei dignitas; sed aliae praeterea requiruntur convenientiae, de quibus judicium ferre penes Ecclesiam est. Illud autem in primis requiritur, ut Deum divinam suam voluntatem Ecclesiae manifestare certa aliqua ratione dignetur; aut privatis revelationibus, aut miraculis patratis, aut indita inspiratione quadam universali, uti semper alias in similibus casibus contigisse, ex ecclesiasticis historiis certum est.

Igitur hoc in re nostra diligentissime observandum est: nimirum, cum agitur de novo aliquo cultu in Ecclesia generaliter inducendo, non hominum hoc opus esse, sed Spiritus Sancti. Neque putandum, institutionem ejusmodi publicam ac constantem a cujusvis hominis voluntate aut arbitrio pendere posse. Humanae hoc certe sapientiae aut potentiae non est, sed solius Dei, qui hominum corda solus inflectit; cujusque providentia Ecclesiae suae invigilans ac bono consulens, diversa religionis officia diversis temporibus exoriri facit; ea ratione eoque tempore, prout major sua ipsius gloria, et fidelium utilitas exigunt. Inde effectum est, ut ea pietatis exercitia, quae jam constituta

Digitized by Google

videmus, non omnia simul fidelibus proposita sint; sed alia aliis temporibus, citius aut serius, juxta divinam electionem ac beneplacitum.

His praemissis responsionem ad objectionem propositam duobus verbis concludimus: Cor Jesu in cultu nostro aliis sanctissimis corporis partibus praeferimus, tum, quia id exigunt praerogativae et excellentia singularis Sanctissimi Cordis, uti fuse jam explicatum est: tum praecipue, quia sic est voluntas Dei, cujus indicia minime dubia toti jam Ecclesiae patent; ut constare credimus ex iis, quae libro praecedenti de origine, progressu, ac natura piissimi cultus exposita sunt."

Et in hunc quidem statum adducta res erat, quum terras relinqueret Benedictus PP. XIII. die 21. Februarii an. 1730.

CAPUT III.

ACTA SUB CLEMENTE PP. XIII., PIO PP. VI. ET PIO PP. VII.

ARGUMENTUM. Causa sub Clemente PP. XIII. instaurata rationibusque a S. R. C. denuo mature ponderatis Sedes Apostolica tandem precibus Postulatorum annuendum censuit, maxime quod cultus SS. Cordis Jesu tam late ad novi usque Orbis fines propagatus esset. Pius PP. VI. non ita multo post novum Officium proprium approbavit, quod tum ipse tum Pius PP. VII. petentibus facillime concedendo sanctissimae huic devotioni commendandae stabiliendaeque insigniter serviebant.

Refertur in Breviario Romano, [1]) *Clementem XIII. Pontificem maximum sanctissimi Cordis festum quibusdam petentibus ecclesiis celebrari permisisse.* Id vero quomodo

[1]) In Festo SS. Cordis Jesu lect. VI.

Digitized by Google

factum sit, ex Sacrae Rituum Congregationis Rescripto d. 26. Januarii anni 1765 atque ex solemni, quod Rescriptum mox excepit, Decreto paucis accipe.

Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis cum Decreto concessionis.

Instantia positionis:

Polona.

Concessionis Officii et Missae propriae in honorem SS. Cordis Jesu. Respondet Congregatio: „Pro gratia, pro Episcopis regni Poloniae, qui specialiter supplicarunt, necnon pro Archiconfraternitate sub titulo SS. Cordis Jesu. Datum die 26. Januarii 1765.“

„Instantibus pro concessione officii et missae Sanctissimi Cordis Jesu plerisque Reverendissimis Episcopis Regni Poloniae, necnon Archiconfraternitate Urbis, hoc sub titulo erecta, Congregatio Sacrorum Rituum habita die 26. Januarii hujus anni, probe noscens, cultum Cordis Jesu jam esse per omnes fere catholici orbis partes, faventibus earum episcopis propagatum, saepe etiam a Sede Apostolica decoratum millenis indulgentiarum brevibus, datis ad innumeras propemodum confraternitates sub titulo Cordis Jesu canonice erectas [1]) simulque intelligens, hujus missae et officii celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam institutum et symbolice renovari memoriam illius divini amoris; quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis

[1]) Non minus 1090 confraternitates ss. Cordis Jesu pluribus indulgentiis ditatae numerabantur, quum Sacra Congregatio hoc Decretum ederet. Cfr. Analecta J. P. an. 1860, p. 1239.

Digitized by Google

corde; his de causis referente Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Episcopo Sabinensi, audito R. P. D. Cajetano Forti Promotore Fidei, praevio recessu a decisis sub die 30. Julii 1729 annuendum precibus censuit Episcoporum Regni Poloniae et dictae Archiconfraternitatis Urbis: deliberatura deinceps de officio et missa rite approbandis. Quod quidem Congregationis votum per me Secretarium relatum SS. Domino Nostro Clementi Papae XIII. Sanctitas Sua, hujus etiam tenore perlecto, in omnibus approbavit. Hac die 6. Februarii 1765."

S. Rituum Congregatio quod pollicita hoc decreto erat, praestitit sub die 11. Maji ejusdem anni approbando sc. officium proprium et Missam sanctissimi Cordis Jesu pro Regno Poloniae et pro Archiconfraternitate ejusdem tituli in Urbe erecta.

Quae vixdum Polonis ecclesiis erant concessa, quum sanctimoniales Ordinis visitationis B. M. Virginis properarent porrectis novis precibus pro extensione hujus officii proprii et Missae Sanctissimi Cordis Jesu, recitandi feria sexta post octavam Sanctissimi Corporis Christi sub ritu duplicis majoris pro universo ordine supplicare. Petitis Sanctitas Sua benigne annuit proposito hoc Decreto:

Ordinis Sanctimonialium Visitationis S. Mariae.

„Porrectis humillimis precibus SSmo. Dno. Nostro Clementi Papae XIII. per P. Faustum Antonium Maronum, Congregationis clericorum regularium Scholarum piarum, postulatorem causae Beatae Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, fundatricis Ordinis Visitationis B. Mariae Virginis, nomine superiorissae primi monasterii Aniciensis et universi praefati Ordinis, pro extensione officii proprii et missae SSmi. Cordis Jesu jam sub die XI. Maji currentis

anni pro regno Poloniae et pro Archiconfraternitate ejusdem tituli in urbe erecta approbat. recitandi feria sexta post octavam SSmi. Corporis Christi sub ritu duplicis majoris pro praefato universo Ordine, Sanctitas Sua, ad relationem per me infrascriptum secretarium factam, petitis benigne annuit. Die 10. Julii 1765.

J. M. Card. Feroni, Praef.

S. Archiep. Theodosiae, Secret. S. R. C."

Exemplum ordinis Visitationis dioeceses ac religiosae familiae pleraeque omnes illustri certamine devotionis erga sacratissimum Cor Salvatoris divini decursu temporis secutae sunt, ut adeo sacra Rituum Congregatio anno 1856 testari potuerit, *ad immensam divini hujus Cordis caritatem recolendam tanto ubivis ardore fideles populos se excitatos sensisse, ut eo tempore nulla jam pene extiterit Ecclesia, quae Privilegium ejusdem festi peragendi ab Apostolica Sede se non impetravisse laetata sit.*

Neque sine gravi ratione S. R. Congregatio ait, *festi peragendi Privilegium fuisse impetratum*: quamvis enim Pontifices libenti animo festum petentibus concederent, nunquam tamen passi sunt, ut aliorum rogatu alienis populis praescriberetur. Et propensissima Sedis Apostolicae in eos, qui festi celebrandi facultatem petiissent, studia quod spectat, ea facile ex duobus insignioribus ea de re editis Decretis agnoscimus, quorum altero precibus *Mariae Franciscae*, Portugalliae et Algarbiorum Reginae fidelissimae annuendo Pius PP. VI. indulsit die 7. Julii an. 1779, *ut in regnis praedictis festum sanctissimi Cordis Jesu quotannis sub ritu duplici primae classis feria sexta post Octavam sanctissimi Corporis Christi celebraretur cum vigilia ac jejunio, injuncto omnibus insuper a quo-*

Digitized by Google

cunque servili opere abstinendi praecepto; [1]) altero vero piis supplicationibus Custodis Terrae Sanctae inclinatus Pius PP. VII. festum SS. Cordis Jesu sub ritu dup. I. classis in Palestina agi concessit die 28. Sept. 1819, quod etiamnum *Palestinae loca* — verba sunt Decreti — *praesentia Salvatoris Nostri Jesu Christi sanctificata intentissimi ejusdem erga homines amoris argumenta praebeant, quodque in singulis illis locis longe lateque diffusa Sacratissimi Cordis Jesu devotio in dies augeretur.*

Sed nulla propensae hujus suae in cultores SS. Cordis voluntatis ratione habita usque ad an. 1856 Pontifices constanter eorum preces repudiarunt, qui pro festo in totum orbem extendendo supplicarant. Sic, ut ejus rei illustre aliquod exemplum ponatur, quum *Maria Carolina,* Franciae Regina, transmissis Romam literis mense Aprili 1769 omnibus precibus a Clemente PP. XIII. petierat, ut festum SS. Cordis Jesu universae Ecclesiae concederet, Summus Pontifex belle negandum curavit quod postulatum fuerat.

Ex quibus justi rerum aestimatores recte concludunt, in promovendo cultu SS. Cordis digitum Dei fuisse, eamque devotionem a fidelibus avidissime ubique susceptam non sine peculiari Numinis providentia per totum orbem christianum esse propagatam, quod ad ejus commendationem magis sane valet, quam si Romanus Pontifex pro sua in Ecclesiam universam auctoritate et potestate solemni edicto sanxisset, ut festum SS. Cordis ubique celebraretur.

Quod de festo sacratissimi Cordis Jesu in plerisque omnibus provinciis Christiani Orbis ante hunc an. 1856

---

[1]) Regnis Portugal., Bras. et Algarb. concessum est alterum Officium SS. Cordis Jesu cum oratione ***Fac nos, Domine Jesu,*** quod ponitur in fine Breviarii.

Digitized by Google

jam propagato affirmat Sacra Rituum Congregatio, id maxime, uti decebat, in variis religiosis coetibus a viris feminisque factum esse, ex actis ejusdem S. Congregationis patet; anno 1856 enim nullus pene erat ordo regularis, qui in eo non gloriaretur, quod celebrationem ejusdem festi a Sede Apostolica impetrasset. Testes sunt variarum religiosarum familiarum Breviaria propria a Summis Pontificibus approbata, quae si lectori ad manum non sunt, sufficiet pervolutasse novissimam editionem Romanam Martyrologii Romani, ipso Gregorio PP. XVI. auspice et patrono factam, in qua praeter Sanctorum et Beatorum elogia extant etiam festa pro ordinibus regularibus a Sac. Rit. Congr. ad ea usque tempora approbata. Etenim ex privatis hisce regularium quorundam ordinum Martyrologiis, quae ex authenticis actis, approbante sacra Rituum Congregatione, confecta huic Martyrologii Romani editioni adjecta leguntur, non minus duodecim numerantur, quae *festum sacratissimi Cordis Jesu* inter solemnitates recensent, *de quarum approbatione,* ut ait Monitum Martyrologiis particularibus praefixum, *atque Officii concessione a Sacrae Rituum Congregationis Summorumque Pontificum decretis plane pleneque constat.* Quod si quis conjectura, quale officium singulis ordinibus fuerit concessum, assequi velit, *ex lectionibus propriis ad absolutionem Capituli* [1]) colligere poterit, Officium Breviarii Romani cum oratione

---

[1]) Si quis antiquorum Ecclesiae Rituum minus peritus hujus dictionis usum explicatum videre velit, is adeat Haeftenum, qui ea de re fuse agit lib. 8. Tr. I. disquis. Monast.; vel etiam Martene, qui ex Haefteno plura memoratu digna affert tom. IV. de Antiquis Monachorum Ritibus, lib. I. cap. V. Ei vero, cui in promptu non sunt auctores citati, has annotationes breviter exhibemus.

Digitized by Google

„Concede quaesumus etc.“ ex Summorum Pontificum clementia concessum fuisse celebrandum *Congregationi Vallisumbrosae Ordinis S. Benedicti, Conventualibus Ordinis S. Francisci, Ordini Eremitarum S. Augustini, Ordini Servorum B. Mariae Virginis, Ordini Carmelitarum Discalceatorum.* Eorum Martyrologia quippe hanc *lectionem propriam ad absolutionem capituli* exhibent in festo sacratissimi Cordis Jesu:

„Cantate Domino, quoniam mirifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.“ Quod ipsum est capitulum Nonae Officii Clero Romano ac totius Status Ecclesiastici concessi.

Alterum vero ex approbatis officiis, quod Pius PP. VI. concessit cum oratione: *„Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui etc.“* ex indulto Aposto-

---

Capitulum vocant eam Monachorum congregationem, quae mane fit in Monasteriis ad Martyrologii, Necrologii sacraeque Regulae lectionem, culparum emendationem ac laboris injunctionem distributionemque, verisimilius a Regulae capitulo, quod in ea legebatur, ita appellatam; ex quo factum est, ut tam ipsa congregatio, quam conclave illud, quo Monachi convenirent, ac res, quae in ea tractarentur Capituli nomen acceperint.

Tempus congregandi capituli communiter erat post Primam; ita ut dicta hac hora processionaliter vel alio ordine praescripto ex Ecclesia in locum capituli pergerent. Actibus capitularibus, quos in definitione capituli indicavimus, rite expeditis, solvebatur capitulum. Mutatis postea personarum capitularium moribus ac ritibus cessatum quidem est a quotidiana hac capituli celebratione, mansere tamen capituli atque absolutionis capituli vocabula. Caeterum apud Graecos Latinorum absolutioni capituli respondet ἀπόλυσις, dimissio, seu finis officii sive Horarum, sive Missarum; oratione enim simili recitata, inquit Leo Allatius De Dominic. et Hebdomad. Graec. c. VI., silet Sacerdos, populus alio mente et corpore convertitur.

Digitized by Google

lico celebrant *Camaldulenses, Cistercienses,* [1]) *Tres ordines s. Francisci, qui Martyrologium Romano — Seraphicum* a Pio PP. VI. approbatum adhibent, *Ordo Capucinorum.* Ii enim eo die pro *lectione propria ad absolutionem capituli ad Primam juxta suorum Martyrologiorum canones legunt capitulum Nonae* Officii citati, nimirum:

„Improperium exspectavit Cor meum et miseriam, et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur et non inveni.“

Caeterorum ordinum Martyrologia, quae festum sacratissimi Cordis Jesu sine hac lectione propria exhibent, ut puta Martyrologia *Ord. Praedicatorum et Carmelitarum*

---

[1]) Inter officia propria Breviarii Cisterciensis vicariatus Bohemiae et Lusatiae, editioni Brev. Cisterc. Westmalle an. 1854, auctoritate Superiorum, uti nota praefixa ait, assuta, habetur Officium SS. quinque Vulnerum et Cordis Jesu, singulari prorsus ratione ex duobus officiis compositum. Ad Vesperas leguntur v. g. tres priores strophae Hymni „Pange lingua gloriosi“ (ex Vesp. off. V Plag.), mutatis tamen in prima „Lauream certaminis“ in „praelium certaminis“ et in secunda „In necem morsu ruit“, in „Morsu in mortem corruit“; ad Vigilias seu Matutinum ponitur Hymnus „Auctor beate saeculi“ (ex Vesp. officii Romani ss. Cordis J.); ad Laudes Hymnus „Cor, arca legem continens“ (similiter ex eod. off. ad Laud.) Oratio autem haec est: „Deus, qui Unigeniti Filii tui Passione, et per quinque vulnera ejus sanguinis effusione humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis quaesumus, ut qui ab eo suscepta vulnera et dulcissimum Cor ejus veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eundem Dominum.“ Et hoc quidem officium in appendice exstat. In ipso Corpore Breviarii vero pp. 205 seqq. P. aestiv. exhibetur Officium cum oratione „Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui et affectibus inflammari etc.“ cum Capitulo Nonae „Improperium“, ut notatur in Martyrologio.

Digitized by Google

Calceatorum, vide in ipsa Appendice Martyrologii Romani editionis cit. [1])

Festum sacratissimi Cordis Jesu in Martyrologio Benedictino (quod inter particularia Religiosorum Martyrologia quarto loco exhibetur) in novissima editione etiam non indicari, mirum videri non potest, si attendamus, Sanctorum tantum memoriam in eo recoli, nulla mentione facta reliquarum sacrarum per annum recurrentium solemnitatum, quas ex indulto Apostolico celebrant inclyti illius ordinis professores. Caeterum in Breviario Monastico O. S. B. extat Officium cleri Romani cum oratione „*Concede quaesumus etc.*“ ritui Monastico accomodatum.

Corollarium.

Acta apud Sacram Rituum Congregationem narrando depravant, qui cum *Continuat. Hist. Eccles. Claud. Fleury* tradunt, [2]) ritibus tuendis praepositos *Patres sub Clemente PP. XIII. edito decreto sanxisse, conformiter ad decreta jamjam hac super re annis 1697, 1727 et 1729 emanata omnino abstinendum esse a concessione Officii ac Missae in honorem et cultum Cordis proprie sumpti; annuente Papa autem statuisse, Polonorum Episcoporum caeterorumque novi cultus patronorum instantiam esse reformandam, et Officium et Missam de corde carnali abolendam et cordi carneo substituendam esse Missam et Officium de corde symbolico.*

Et re sane vera; ex allatis actis tria haec certa sunt:

1°. Sacra Rituum Congregatio „*annuendo precibus*“ illum cultum probavit, quem probandum simpliciter petie-

---

[1]) Martyrologii haec editio novissima juxta exemplar Romae excusum prodiit Ratisbonae an. 1846 sumptibus G. Jos. Manz.

[2]) L. 250, §. II.

Digitized by Google

rant Episcopi regni Poloniae et Archiconfraternitas sub titulo Cordis Jesu in Urbe erecta;

2°. Tantum abest, ut S. Congregatio Decretis negantibus antea editis inhaerere voluerit, ut imo expressis verbis edixerit, se nonnisi *„praevio recessu a decisis sub die 30. Julii 1729“* Officium cum Missa probaturam;

3°. Sacra Rituum Congregatio edito suo decreto non aliud intendit, quam *„ampliare cultum jam institutum“*. Ergo verum convertunt in falsum, qui vel cum memorato *Continuat. Claud. Fleury* docent, Sacram Rituum Congregationem sanxisse, ut a Postulatoribus causae pro corde vero ac reali substitueretur cor symbolicum, vel cum Scipione de Ricci aliisque Jansenianis Sanctae Sedi falsam laudem affingunt, quod per hoc Decretum Cordicolarum errores correxerit. [1])

---

[1]) Ex multis audiatur Scipio de Ricci: „Io tolsi dalla Diocesi,“ inquit, „la Festa di questa pericolosa Devozione. . . . Approvai le limitazioni della Congregazione per farla Cattolica; ma non volli aver bisogno di queste limitazioni adottandola. Così riformata e corretta la Devozione del Cuore non è erronea, disse la Congregazione. L' abbracci chi vuole. La Devozione del Cuore, io dissi, così limitata ed intesa non è erronea, ma perchè pericolosa e non necessaria, io non l' abbraccio.“ Lettera Pastorale d. 18. Maji 1788. (Annali Ecclesiast. 29. August. 1788, N. 35, p. 139.)

Digitized by Google

CAPUT IV.

ACTA SUB PIO PP. IX.

ARGUMENTUM. Quum divino factum consilio appareret, ut festum sacratissimi Cordis Jesu per universum Orbem celebraretur, PIUS PP. IX. idem hoc festum lata lege universale in Ecclesia esse voluit, ac per Beatificationem Margaritae Mariae Alacoque proposito aliquo exemplo fidelibus ostendit, quomodo nova veluti amoris disciplina instituti facilius et alacrius ad hujus devotionis exercitium ferrentur. Denique toto orbe gloriosam, quam ex diutinis atque acerrimis impugnationibus SS. Cordis festum reportavit, victoriam concelebrante jam evidens est, consilium hoc vere a Deo profluxisse juxta Act. V. 38—39.

§. I.

Extensio Festi ad universam Ecclesiam.

Quae ita omnibus ferme ecclesiis per privilegium erant concessa, ea decem abhinc annis lata lege universae Ecclesiae sunt praescripta. Editum ea de re *decretum* hoc est:

Urbis et Orbis.

„Ex quo Clemens Papa XIII. in honorem Sanctissimi Cordis Jesu festum cum officio et missa nonnullis Ecclesiis celebrare permisit, ad immensam Divini hujus Cordis caritatem recolendam, tanto ubivis ardore fideles populi se excitatos senserunt, ut nulla jam pene extet Dioecesis quae privilegium ejusdem festi peragendi ab Apostolica Sede se non impetrasse laetetur.“

„Id Rmi. Galliarum Episcopi attendentes ut festum fidelium animis adeo jucundum et in omni fere Catholico orbe tam concordi pietate frequentatum ab universa prorsus Ecclesia amodo celebretur, humillima ea de re vota SSmo.

Domino Nostro Pio PP. IX. per subscriptum Cardinalem, cum nuper in Galliis Legati a Latere munere fungeretur, subjici curarunt. Occasionem namque sibi datam lubenti animo arripientes publicum ac solemne in persona Cardinalis Legati testimonium exhibendi suae erga Sedem Apostolicam venerationis, ipsum Parisiis commorantem ingenti numero convenerunt intimamque ac plenissimam adhaesionem suam Romano Pontifici veluti Catholicae unitatis centro et Jesu Christi in terris Vicario professi, ut Festum Sanctissimi Cordis Jesu ad universam extendere dignaretur Ecclesiam enixis precibus postulavere."

„Has autem preces florentissimi et Sedi Apostolicae obsequentissimi Galliarum Episcopatus cum in Urbem regressus SSmo. Dno. Nostro subscriptus Cardinalis, S. R. C. Praefectus, retulisset, placuit Sanctitati Suae illas clementer excipere, novaque cupiens praebere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor Ejus, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo Officium Sanctissimi Cordis Jesu pro Regno Poloniae et Clero Urbis a S. R. C. probatum die 11. Maji anni 1765 cum respondente Missa *Miserebitur* in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit sub ritu duplici majori feria VI. post Octavam SSmi. Corporis, servatis tamen rubricis, et firmis remanentibus quoad Ecclesias privilegium habentes vel ampliore ritu vel alia die vel diverso Officio festum istud celebrandi, singularibus indultis ab Apostolica Sede concessis. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Die 23. Augusti 1856.

C. Ep. Albanen. Card. Patrizi, S. R. C. Praefectus.

H. Capalti, S. R. C. Secretarius."

Digitized by Google

§. II.
Dubia a S. R. C. soluta.

Generale hoc Decretum sacrae Rituum Congregationi ansam dedit plurium expositionum ac responsionum, ex quibus id commodi sumus consecuti, ut rationes Festi sacratissimi Cordis Jesu apertius explicatae planius intelligerentur. Prae caeteris commemoratione digna est longior de hoc festo disputatio Apostolici caeremoniarum Magistri, habita in Congregatione die 11. Augusti 1860, quam ex authenticis monumentis erutam exhibent *Analecta Juris Pontificii* an. 1861 pp. 334—338.[1]) In ea vero accurate disseritur tum de differentia inter festum sacratissimi Cordis Jesu et festum augustissimi Corporis Christi, tum etiam de relatione Missae *Miserebitur* cum alia, quae incipit *Egredimini*, atque ita solerter sapienterque provisum est, ut canones rituales in difficilioribus etiam *occurrentiae* et *concurrentiae* casibus in celebratione festi sacratissimi Cordis Jesu juxta authenticas rubricarum interpretationes exacte ubique servari possent.

§. III.
Beatificatio Margaritae Mariae Alacoque.

Ast Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. non satis habuit, variis S. R. C. decretis generales regulas liturgicas festo ss. Cordis Jesu accomodasse, sed universo orbi catholico ingens praeterea praeberi voluit incitamentum ad idem festum majori usque devotionis fervore agendum, cum ante tres annos Beatificationem atque officium ven.

---

[1]) Ut partibus ex hac commentatione frustillatim citatis genuinus sensus concilietur, eam in forma extensa referemus infra sectione addititia. cap. 1.

Digitized by Google

Margaritae Mariae Alacoque cum propriis lectionibus et orationibus concederet. *Idcirco enim* — verba sunt causae Postulatoris in Sacra Rituum Congregatione prolata die 24. Septembris anno 1864, — *idcirco enim cumulatissimus hic honos a Sede Apostolica sorori eximiae Margaritae Mariae tributus est, ut fideles, recolentes mirabilia Beatae mulieris acta lectionibus expressa, aptissima quasi disciplina instituerentur novosque stimulos haberent, quo facilius et alacrius ad caritatis exercitium ferrentur, videntes quomodo redametur Deus, qui testante Chrysostomo, plus amari voluit, quam timeri.*

Et sane; omnium rerum nec aptius inveniri quidquam potuisse ad propagandum cultum sacratissimi Cordis Jesu ejusque festum omnibus carum acceptumque reddendum, quam coelitum honores beatae Margaritae Mariae tribuisse, ex intimo illo nexu liquet, quo ea, quae ad vitam hujus Beatae pertinent, cum cultu sacratissimi cordis Jesu cohaerent. Eum ex actis apud Sacram Congregationem memoratus Causae Postulator summatim ita perstringit.: „*Beata Margarita nedum innocentia vitae et assidua virtutum omnium exercitatione meruit, ut in exemplum fidelibus omnibus proponeretur; sed ad cultum Sanctissimi Cordis Jesu instituendum ac propagandum divinitus electa fuit, ut omnes provocarentur ad prosequendum omni observantiae studio Cor illud sacratissimum, cujus ex vulnere aqua et Sanguis, fons scilicet nostrae vitae ac salutis effluxit. Ministerio igitur perfuncta est nobilissimo et universae Ecclesiae salutari; unusquisque enim ad redamandum Cor Jesu suavissimum excitatur et illectus in eo quoddam quasi latibulum ac perfugium habet, quo se tueatur; acceptissimum porro Servatori nostro officium obiit, qui nihil potius habuit, quam ut flammam cari-*

Digitized by Google

tatis, qua Cor ejus ureretur, in hominum animis modis omnibus excitaret.

Quae in eandem sententiam atque iisdem fere verbis tum Breve Beatificationis tum lectiones Officii Beatae habent, dabimus infra.

Sed haec de prima sectione satis multa ad finem nobis propositum. In ea autem praetermissa esse statuta plurium Episcoporum et Praelatorum regularium Regni Galliarum, quibus *Missam propriam de Sanctissimo Corde Jesu* jam ante tempora Clementis PP. XIII. Missalibus inseri jusserunt, mirum videri non debet, si attentatur, ejusmodi Officia et Missas a *spuriis* fontibus profluxisse; [1]) id enim constitutum nobis in praesens fuit, historiam festi ex solis actis authenticis adumbrare, ac scriptionem omnem ad genuina juris principia exigere.

Parergon.

Patroni cultus festique Sacratissimi Cordis Jesu in causa sua defensitanda non incongrue argumentum desumpserunt ex dicto Gamalielis *Act. V, 38—39, ut indissolubile sit, si quod est consilium ex Deo.* [2]) Si quis enim aequo judicio expendat, quae contumeliose in cultum Sacratissimi Cordis per integrum fere saeculum seu dicta,

---

[1]) Id late ostendimus in interpretatione Bullae s. Pii PP. V. ***Quo primum*** Missali Romano praefixae apud ***Moy:*** Archiv für kath. Kirchenrecht, tom. 5. pp. 371 seqq.

[2]) P. Gallifet vituperationem Camilli Blasii (Dissert. commonit. cap. 69.) non effugit, quod istam sententiam Gamalielis ad incrementa ac progressus cultus SS. Cordis transtulisset Lib. I, c. 3., pag. 34., edit. Roman. an. 1726.

Digitized by Google

seu scripta, seu gesta ab adversariis sint; quibus calumniis, dicteriis, irrisionibus jactati cultus fautores; quam acerbe ipsa Beata Margarita Maria tractata, quam indigne denique imagines divinissimi Cordis habitae; et quam amplum triumphum tamen festum SS. Cordis Jesu, mediis in difficultatibus, ex omnibus terrae provinciis egerit, is inferre merito potest, adeo subitam atque inexspectatam festi propagationem non sine peculiari Divini Numinis providentia factam esse.

Quanta vi atque acerbitate inde ab initio usque ad primam festi concessionem sub Clemente PP. XIII. in cultum insurrexerint adversarii, longiori narratione referre nihil juvat, quum ipsi causae patroni festum *superabunde ab objectis vindicarint,* quemadmodum justus rerum aestimator ait. [1]) Quae vero post annum 1765 tentata sunt sive in Italia sive in regnis ac statibus haereditariis Augustissimae Domus Austriacae ad festum ss. Cordis Jesu abolendum, brevissimis hisce annotationibus summatim perstringemus. Et *Italiam* quod spectat, res est confessa, quum Romae sub utroque Clemente XIII. et XIV. omni arte et vi ab adversariis Societatis Jesu de extinctione Ordinis ageretur, eodem tempore actum ab iisdem incredibili studio fuisse, ut sanctissimi Cordis introductus jam passim cultus damnaretur; verum in eo, quod Sanctissimum Cor Jesu impugnabant, eos victores existere non permisit Deus. Sed quum eodem inexpiabili odio in cultum SS. Cordis ferrentur, quo in Societatem Jesu ardebant, non prius vicisse sibi videbantur, quam festum illud e Kalendariis deletum vidissent, tum quod ille cultus maxime

---

[1]) P. Membrive, O. Praed.

Digitized by Google

proprius fuisset abolitae Societatis, [1]) tum quod *non immerito suspicioni esset locus, quod dissolutum ordinis Jesuitici corpus dispersa Societatis membra sub vexillo Cordis Jesu colligere pararet.* [2]) Igitur ex omnibus civitatibus paeninsulae milites ad dimicandum firmos legentes *non in ultimis terris verum in media luce Italiae sub oculis Urbis et prope limina Apostolorum* [3]) viris equisque, ut dicitur, adversus cultum ac festum SS. Cordis decertabant. Primus impetus in Hetruria factus. Quum nempe, ut Pius PP. VI. ait, [4]) *quaestionibus turbisque* ab adversariis excitatis *a Sancta Sede modus jam esset impositus ac dissidia et studia partium providentia ejusdem Sanctae Sedis essent composita prorsusque obsoleta,* Scipio de Ricci, Eppus. Prato-Pistoriensis, media in pace bellum indixit ac famosa sua instructione pastorali d. 3. Junii 1781 classicum ad pugnam ineundam aperte cecinit [5]) suosque, ne de contentione desisterent, aliis identidem editis epistolis ac libellis ad certamen accendit. [6])

---

[1]) Annalistae Florentini consuetudinem sermonis Janseniani sequentes cultum SS. Cordis simpliciter *devotionem Jesuiticam* appellant v. g. an. 1784, p. 84.

[2]) Acta Congregat. Florentin. an. 1787, tom. 1., p. 15.

[3]) Ita Pius PP. VI. in Bulla „Auctorem Fidei".

[4]) In Brevi d. 30. Jun. 1781.

[5]) „La pastorale di Mgr. Ricci, incitante allo scisma, ribelle a Roma, ai Romani Pontefici, alle S. Congregazioni, è una bandiera di guerra alla cattolica religione, inalberata in quel campo che Gesù nel suo Vicario gli affidò. . . . Fa Roma aderente ai delirj della pastorale, e poi aliena da quelli, e le ferisce il seno colle lodi e coi biasimi". (Lettera di un' Arcivescovo scritta a Mgr. Ricci. Assisi 1784. Scariglia.)

[6]) Huc spectant aliae duae epistolae pastorales d. 5. Octob. 1787 et d. 18. Maj. 1788.

Digitized by Google

Scipionem mox secuti sunt duo alii Episcopi Hetruriae Jansenianae sectae addicti, *Nicolaus Sciarelli*, Eppus. Collensis et *Josephus Pannilini*, Eppus. Clusio-Pientinus, qui cum domi multa contra cultum SS. Cordis egissent, in Conventu Florentino an. 1787 plurimum operae et laboris in abolendo festo posuerunt, implorato etiam auxilio brachii saecularis. Editores Ephemeridum Florentinarum, quibus titulus „*Annali Ecclesiastici*", interim nil inexpertum omittebant, quo sanctissimum hoc religionis exercitium tanquam cultus illegitimus, indecens, falsus, periculosus, pharisaicus, imo et Nestorianus et nuperrime a Summo Pontifice in causa monialis *Endiae* damnatus [1]) per ipsos tredecim annos in conspectu totius Italiae notaretur.

Ab antesignanis Tuscis superati non sunt studio pugnae, qui *coacervatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventi* [2]) ex aliis partibus Italiae accurrerant auxiliares. Sic, ut aliquos memoremus, ipsorum opera *Neapoli* omnes libri de SS. Corde Jesu agentes prohibiti sunt d. 29. Octobris 1783, ejusdem festo etiam

---

[1]) ***Anna-Maria Agemi***, vulgo ***Endia***, sanctimonialis Monasterii Becorche in Monte Libano, falsis revelationibus delusa, non mediocriter contra sanam doctrinam, hierarchiam ecclesiasticam et disciplinam a Synodo Provinciali anni 1736 stabilitam peccaverat. Ejus causa a propria Congregatione Cardinalium mature ponderata ac tribus Decretis editis d. 29. Jun. 1779 judicata, Pius PP. VI. Cardinalium sententiam approbavit d. 17. Julii ejusdem anni. Quamvis autem quatuor monasteria ab ipsa sub titulo Sacri Cordis instituta abolita sunt, quod sc. ejusmodi monasteriorum institutio esset contra statuta memorati Concilii Provincialis a Sede Apostolica approbati, nihil tamen erui ex editis Decretis potest contra cultum SS. Cordis Jesu. De fato Endiae legi possunt quae habet ***Henrion:*** Hist. générale de l' église, l. XI.

[2]) Bulla „Auctorem Fidei".

Digitized by Google

e pluribus Kalendariis ecclesiasticis deleto, [1]) *Genuae* similiter omnia opera huc spectantia a magistratu proscripta, [2]) *Veronae* confraternitates SS. Cordis Jesu abolitae, [3]) atque aliis in urbibus bibliopolae ejusmodi libris vendendis interdicti. Quin et *Romae* non defuisse constat, qui cultum Divinissimi Cordis proprie sumpti acerrime impugnare pergerent post an. 1765, donec Pius PP. VI. alterum Officium de SS. Corde Jesu pro regnis Portugalliae et Algarbiorum approbavit. Ex iis ob hostiles sensus in cultum SS. Cordis a Jansenianis editoribus *annalium ecclesiasticorum* prae caeteris maximis laudibus cumulantur *Camillus Blasius,* Advocatus, *Augustin. Anton. Georgi,* Ord. Eremitarum S. Augustini, et Cardinalis *Marius Marefoschi*: duo priores quidem propter mordacia eorum scripta in cultores SS. Cordis edita, Cardinalis vero, quod et Blasio auctor fuisse crederetur, ut contra devotionem Cordis Jesu maledice [4]) scriberet, et Georgii

---

[1]) Annali Ecclesiastici: 9. Januar. 1784, N. 2, p. 8. et 17. Sept. eod. p. 150.

[2]) Eod. 11. Maj. 1787, N. 19, p. 75. collat. an. 1781, p. 33.

[3]) Eod. 27. Decemb. 1782, N. 52, p. 207.

[4]) Quo argumentorum genere Blasius contra cultum Sacratissimi Cordis Jesu decertaret, animo concipere vel ex eo lector poterit, quod fideles sanctissimo huic cultui addictos asserit quasi servum pecus alienas sequi aberrationes (pp. 4—5), vitam Beatae Margaritae Mariae vero fabulis impurisque narrationibus accenseri patitur (Le roman si indécent, si dangereux de la vie de Marguerite Marie Alacoque: p. 254), quo convicio nullum aliud est in Jansenianis „Annalibus Ecclesiasticis" frequentius; ad ultimum, quod imagines, quibus sanctissimum Cor Jesu e scriniis pectoris utraque manu reserati conspicuum fit, cum imagine confert Judae proditoris, dum suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus (p. 185, Edition. Norimberg.)

Digitized by Google

operis falsas criminationes continentis [1]) dedicationem admisisset anno 1772. [2]) Ast licet ita conjunctis viribus, totis triginta annis, acerrimam pugnam pugnarent in Italia adversus festum SS. Cordis Jesu: omnem laborem tamen frustra insumptum viderunt, quum non ita multo post in solemni illa atque *ab ipsa Divina Sapientia in Ecclesiae gloriam ac populorum salutem dictata Constitutione* **„Auctorem Fidei"** [3]) vindicatus a Pio PP. VI. sit sanctissimi Cordis honor et cultus, qua de re late egimus in Com. *de rationibus festorum mobilium utriusque Ecclesiae* c. X, ubi etiam fontes indicatos vide, ex quibus hoc ipsum argumentum accuratius illustrari potest. Et ita quidem in Italia festum Sacratissimi Cordis Jesu ex diutina atque acerrima pugna victrix discessit.

---

[1]) P. Georgi († 4. Maji 1797) ut Blasium copiose laudaverat in Approbatione „Dissertationi commonitoriae" praefixa an. 1771, sic ipse vicissim blandissima laudis praeconia assecutus est apud osores cultus SS. Cordis Jesu, praesertim quod in opere suo „Antirrheticus", quod sub ficto nomine ***Christotimi Ameristae*** in lucem emisit, maledicta Jansenianis familiarissima iterare non dubitasset, Patrem Claudium de la Colombière devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu in Anglia didicisse a Thoma Goodwino, natione Anglo, Sociniano et Quaquerorum assecla, homine Nestoriano, eundemque in Galliam reversum Margaritae Mariae Alacoque auctorem fuisse, ut novum pietatis exercitium amplecteretur ac propagaret. (Additiones ad Antirrheticum, p. 280) Legesis Continuat. ***Fleury:*** hist. eccl. L. 250

[2]) Laudes Cardinalis Marefoschi († 23. Decemb. 1780) plena manu in astra tollunt Janseniani in Annal. Ecclesiast. 26. Januar. et 2. Febr. an. 1781 pp. 30. seqq.

[3]) His laudibus Bullam effert Eminentissimus Cardinalis ***Gerdilius***, dum ea perlecta, ut ipse ait, in eam admirationem Divinae Providentiae in tuenda Ecclesiae fide se abruptum sentiebat, ut sublatis ad coelum manibus Deo O. Max. gratias ageret. Cfr. Anal. Juris Pontif. an. 1855, pag. 629.

Digitized by Google

Regna ac status Augustissimae Domus Austriacae quod attinet, adversarii cultus SS. Cordis, singulari stratagemate usi initio sunt, ut nostrates technis suis fallerent. Quo scilicet auctoritatem sibi fidemque conciliarent, Italis in societatem armorum assumptis devotorum Ecclesiae filiorum more argumentis Romanis pro genuino sensu Decreti S. R. Congregationis per speciem pugnabant. Hinc *Dissertationem commonitoriam Camilli Blasii* typis Norimbergicis an. 1774 recudendam ac subinde Viennae, in Austria, distribuendam curarunt, quod hic advocatus *in ipsa curia Romana,* ut Eybelius scribit in libri commendationem, [1]) *ex scriptura, Patribus, sanctionibus Conciliorum aliisque canonibus contra cultores veri Cordis Jesu progrediatur.* Sed aliud agebant, aliud simulabant. Nam qui initio sin minus orthodoxi sensus, nominis tamen studiosi, Romano veluti clypeo tecti certabant, ii postmodum ad ulteriora progressi arma Janseniana in Germaniam invehere atque ad suam utilitatem conferre coeperunt, tum vertendo in linguam Germanicam ut plura alia Pistorii edita sic istas ipsas epistolas pastorales Scipionis de Ricci an. 1781, 1787 et 1788, quas memoravimus, [2]) tum Bambergae et Herbipoli latine reddendo, quae Florentiae acta erant an. 1787, [3]) tum typis latinis edendo Labaci *Acta et Decreta Synodi Dioecesanae Pistoriensis* cum prologo

---

[1]) Jus Eccles. tom. 4, l. II., c. 14, §. 383, not. c.

[2]) Eas Viennensibus typis Germanicae consuetudini tradidit annis 1783 et 1788 *M. A. Wittola,* ea de re honorificentissime laudatus in „Annali Eccl.“ d. 11. Jul. 1788, N. 28., pp. 109 seqq. coll. N. 31 an. 1783 et N. 6. an. 1784.

[3]) Acta Congregationis Florentinae AEpporum. et Epporum Hetruriae ex italico in latinum translata edidit *Car. Schwarzel,* professor Friburgensis, eam ob causam laudis praemio et ipse donatus in iisdem Annal. Eccles.

Digitized by Google

galeato, [1]) tum, Jansenianorum more, defensores Cultus Cordis Jesu gravissimis insectationibus exagitando. Inter alios adversarios in Austria praecipue excelluit notissimus *Marcus Antonius Wittola,* praepositus infulatus in Bienco, parochus in Probstdorf, qui in Ephemeridibus Ecclesiasticis Viennensibus „*Wiener Kirchenzeitung*" totis quinque annis (1784—1789) ac postea in opere infami, [2]) quo doctrinam religionis necnon historiam ecclesiasticam novis accessionibus augere praetendebat usque ad extremum spiritum [3]) plus quam credi potest laborabat, ut cultores defensoresque Sanctissimi Cordis, atque in his maxime professores Lycei Augustani ad S. Salvatorem, et Herman. Goldhagen, Moguntinum, [4]) extinctae Societatis Jesu sacerdotes, [5]) conviciis ex trivio arreptis consectando ipsum cultum (quem contemtim atque impie *devotionem viscerum: Eingeweide-Andacht)* appellabat, [6]) penitus extirparet:

[1]) An. 1791.

[2]) Neueste Beiträge zur Religionslehre und Kirchengeschichte. Wien bei H. v. Trattnern.

[3]) † 24. Mart. 1794.

[4]) Hermannum Goldhagen multiplicis doctrinae virum editis voluminibus nobilem Germania catholica suspexit. Quatuor votorum professionem in Societate Jesu emisit die 15. Aug. an. 1751. Obiit Monachii die 18. April. anno Christi 1794, suo 88. Hunc ceu primarium Apostolum Devotionis Cordis Jesu in Germania conviciis proterve consectatus est Wittola, eum contemtius appellando Herzler-Apostel. Cfr. Wien. Kztg. an. 1787, p. 129.

[5]) Plures libri aliis in regionibus pro defensione SS. Cordis in lucem emissi Germanicis typis Augustae-Vindelicorum recusi ac variis collectionibus contra novatores inserti leguntur, ut ecce „*Annotazioni pacifiche di un paroco*" in „Gesammelte Schriften unserer Zeiten zur Vertheidigung der Religion und Wahrheit", tom. 2.; „*Biglietti confidenziali critici*" (Faure), in „Neueste Sammlung", tom. 35.

[6]) Wien, Kirchenzeitung an. 1787.

Digitized by Google

eorum etiam nominibus ex variis Imperii provinciis publice delatis, qui suspicione hujus *absurdae ac phantasticae devotionis,* ut eam Josephus II. Imperator congruenter voto facultatis theologicae Viennensis nominasse ferebatur, [1]) non caruissent. [2])

Sed ut osores Sanctissimi Cordis facilius assequerentur quod volebant, contra cultum Sacratissimi Cordis Jesu auxilio brachii saecularis saepius implorato obtentoque pugnabant, prout colligitur ex Decreto Aulico Josephi II. d. 20. Febr. 1782, ubi Imperator, vestigia premens Justiniani Augusti, qui theologum se jactando gloriatus est, quod Vigilio Summo Pontifici *de tribus capitulis omnia subtiliter manifestasset,* [3]) Episcopis normam proposuit, ad quam instructiones et epistolas pastorales ea de re exigerent. [4])

Verum nec suprema haec Caesareo-Regia praeceptio ad Episcopos Imperii data satis erat inimicis SS. Cordis Jesu; amplius enim voluerunt, ut omnes, qui publicis muneribus fungerentur, studium operamque sociarent ad *jesuiticam* hanc devotionem, ut ajebant, radicitus evertendam; inferiores magistratus civiles, ut imagines SS. Cordis Jesu e templis removendas aut saltem, si id fieri nullatenus posset, aliis coloribus illinendas diffingendasque curarent; publici in Academiis professores, ut SS. Cordis cultum festumque omnium irrisione luderent. Nec negligenter, fatendum, rem mandatam gesserunt. Praeter enim

---

[1]) Videsis Annali Eccl. d. 8. Jun. 1781, N. 23, p. 177.

[2]) Delationes publicas factitandi negotium ita floruit, ut vel ipsae moniales ac matronae Iprenses, in longinqua Flandria, in suspicionem hujus devotionis in memoratis Ephemèridibus adducerentur an. 1784.

[3]) *Hardouin:* Coll. Concil. tom. 3, p. 56.

[4]) Extat in Collect. Viennensi Decret. Aulic. in publico-ecclesiasticis an. 1784, pp. 181 seqq., in Collect, Augustan. an. 1783 pp. 71 seqq.

Digitized by Google

quam quod festum SS. Cordis ex omnibus Kalendariis liturgicis delerent confraternitatesque sub ejus titulo erectas ubique extinguerent, Viennae, in urbe Imperii principe, graves poenas a defensoribus cultus SS. Cordis sumpserunt. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. *Maximilianum Hell*, celeberrimum Astronomum Caesareum, optime de republica meritum virum, abolitae Societatis Jesu sacerdotem, ob libellos de SS. Corde Jesu agentes distributos magna pecunia (fl. 500) mulctarunt, et *Patritium Fast*, Ecclesiae Metropolitanae ad S. Stephanum canonicum, in eodem crimine convictum non solum mulcta sed etiam poena carceris affecerunt, [1]) plaudentibus in memoratis Ephemeridibus Ecclesiasticis persecutionis auctoribus latasque sententias magno clamore divulgantibus, ut reliqui sacerdotes supplicii exemplo a simili scelere faciendo deterrerentur. [2]) Ex libris scholasticis unum exemplum protulisse satis habemus, nam taedium affert in ejusmodi conviciis ac criminationibus recensendis diutius immorari. In opere publicis praelectionibus in Universitatibus Imperii destinato ac saepius typis impresso *Franc. Xaver. Gmeiner*, sacerdos, histor. eccles. prof.

---

[1]) Quemadmodum Annalistae Florentini occasionem stomachandi cum Cardinale ***Migazzi***, AEppo. Viennensi, ex eo arripuerunt, quod auctor fuisse dicebatur Patricio Fast, ut pro defensione cultus Cordis Jesu „Instructionem catholicam“ in lucem ederet (Annali Eccl. d 5. Aug. 1783, N. 32, p. 136), ita ipsi Wittola ex perfidia et malitia id iratus est ac succensuit, quia eidem Sacerdoti Fast memorati sceleris accusato patrocinari ausus est. De laudata „instructione catholica“ plura legi possunt in „Neueste Sammlung“ cit., tom. 21.

[2]) Imperatoris jussu Ephemerides Ecclesiasticae a Seminariis generalibus emebantur, ut earum lectione juniores clerici ad genuinam pietatem formarentur. Cfr. ***Häusle*** in Wetzer's Kirchenlexicon XI, 1050. et fontes ibidem indicat.

Digitized by Google

p. o., sanctae Matri Ecclesiae, festum SS. Cordis instituenti, in hunc modum insultat: [1]) „Originem festi Cordis Jesu, quod non modicam puritati religionis inussit labem, vulgo repetunt ab ementita revelatione, quam factam ajunt in Gallia piae feminae, admodum tamen illusae Margaritae Mariae Alacoque. Spiritum erroris cognoscere inde possumus, quia non Christus totus et totum, sed particulatim, hoc est, secundum partem corporis adorandus proponitur; non ergo a Deo, sed a moderatore feminae hujus Columberio, olim extinctae Societatis Jesu alumno, revelatio haec originem suam habet. Populus colendo cor carneum a toto Christo separatum in proxima idololatriam committendi est occasione. . . ." Sed de his satis, metuoque ne qui commentarium hunc nostrum lectione dignati fuerint nimium putent.

Sic igitur adversarii implacabiles inimicitias exercebant insanis vociferationibus se contra sanctissimum hunc cultum efferendo, ut adeo vel tunc maxime in terris Austriacis Cordi Jesu eveniret, quod de ipsomet Domino Nostro Jesu prophetavit s. Senex: *Hic positus est in ruinam et signum, cui contradicetur, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* [2])

Sed nequidquam tentata omnia; altiores enim pietas in SS. Cor Jesu radices fixerat in animis fidelium, quam ut vi adhibita extirpari potuisset; imo, tametsi gravibus poenis propositis prohita erat devotio haec, populi Austriaci nihilo secius de numero illorum erant, qui — teste Sacra Rituum Congregatione — *ad immensam divini hujus Cordis caritatem recolendam tanto ardore se excitatos senserunt,* ut et tutelae SS. Cordis publice se commendarent, et pri-

[3]) Epoch. IV. Membr. I, c. II, §. 339.

[1]) Confersis *Com. de rationibus festorum mobilium utriusque Ecclesiae* pp. 51 seqq.

Digitized by Google

vilegium ejusdem festi solemniter peragendi ab Apostolica Sede impetrarent, consentiente etiam aliquando tandem potestate civili, saltem quoad aliquas provincias, ut quae in calamitosissimis belli temporibus in Divinissimum Cor tanquam in tutissimum perfugium se recipientes se suaque omnia, emisso solemniter voto, ipsi Cordi Jesu in perpetuum devovissent ac consecrassent, votum suum quotannis die festo agendo destinato publice ac solemniter persolverent. Sic Decreto Aulico Caesareo-Regio d. 10. Novembris an. 1796 Tiroli ex singulari privilegio Imperatoris concessum est, ut festum SS. Cordis ob feliciter a periculis belli servatam patriam ad votum statuum provincialium Tirolensium singulis annis in omnibus ecclesiis splendide ac maxima cum religione ageretur. Qua de re memorabilis extat canon historico-liturgicus in Kalendario Ecclesiastico insignis Dioecesis Brixinensis ad Dom. III. post Pentecost., qua die festum SS. Cordis agitur in Tiroli ex Decreto S. R. C. d. 23. Novemb. 1796. Tirolensium fidem mox aemulati sunt quotquot in Imperio erant fideles: reserante nimirum Deo, singulari misericordiae suae munere, Cor Jesu filii sui dilectissimi, thesaurum illum bonorum omnium inexhaustum, excitanteque ipso populi fiduciam, ut in hoc SS. Corde tutum asylum certumque malis suis remedium quaereret. Atque ita factum est, ut speciatim in ecclesias Imperii Austriaci quadraret anno 1856, quod Sacra Rituum Congregatio generatim atque universe de cultu SS. Cordis Jesu per totum orbem propagato loquendo scripsit in Decreto extensionis festi, scilicet illo tempore *nullam jam pene extitisse Dioecesim, quae privilegium ejusdem festi peragendi ab Apostolica Sede se impetrasse non laetaretur.* [1])

[1]) Supra pag. 60.

Digitized by Google

SECTIO II.

DE OBJECTO AC FINE FESTI SACRATISSIMI CORDIS JESU.

PRAEMONITUM I. In altera hac sectione non agitur de definiendo objecto cultus privati, qui Sanctissimo Cordi Jesu adhibendus est propter hypostaticam ejus cum persona Verbi conjunctionem quique omnium sacratissimi corporis partium communis est; sed vero speciatim de natura *cultus publici* quaeritur, illius cultus nimirum, de quo actum apud Sacram Rituum Congregationem est, et quem Sedes Apostolica per Missae et Officii approbationem certis quibusdam exercitiis circumscripsit. Quaestionis solutionem autem pro instituti nostri ratione non aliunde, quam ex iis quae acta apud Sanctam Sedem sunt, petemus, *ut* etiam hac in parte *unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* [1])

PRAEMONITUM II. Quoniam Sedes Apostolica in declarando cultu SS. Cordis prudenti usa consilio voces *symboli Cordis* et *symbolicae Cordis imaginis* usurpavit, ut nimirum turbis ac quaestionibus modum imponeret et variis sententiis philosophicis de sede humanarum affectionum integrum praestaret jus suum, operae pretium fuerit, alteri huic sectioni fontes praemittere, unde accuratior intelligentia harum dictionum erui possit. Multis igitur de-

---

[1]) C. *Inter alia.* 31. X. de sent. excommunicat. (V, 39.)

Digitized by Google

symboli seu *signi* rationibus agunt philosophi, quum doctrinam *de relationibus* exponunt in Metaphysic., ut v. g. *Suarez:* Metaphysic. Disput. 47; multis item juris canonici interpretes, sive quum signi naturam declarant in c. *Quaerendum 6 Dist. 2 de poen.,* sive quum varia symbola explicant, quibus actus juridici celebrantur, ex quibus exempli causa adduci potest symbolica *scotationis* imago, cujus vim tuetur c. *Ex literis 2 X de Consuetud.* et de qua legi merentur quae habet *Gonzalez* in comment. ad h. c.

Ex iis vero, quae Doctores late disputant locis indicatis, pauca haec transfert *P. Faure* ad explicandum duplex objectum cultus festique SS. Cordis Jesu.[1]) Distinctione facta inter signum, rem signatam et rationem significatus seu fundamentum signi, dicendum breviter est, ipsum Cor verum ac physicum esse signum naturale, infinitum Christi amorem vero esse rem signatam, et intimam illam cohaerentiam cordis et amoris esse rationem significatus seu fundamentum relationis; quod fundamentum quum ipsi subjecto seu Cordi insit, necessario fit, ut ipsum Cor reale, quatenus signum seu symbolum est, compositum quoddam sit ex subjecto et relatione ejus, ut Suarez subjectum relationis in concreto explicat l. c. sect. VI.

Sedes Apostolica igitur dum Cor Jesu colendum proponit, quatenus symbolum est infiniti ejus amoris, id agit, ut duplex nobis exhibeat cultus Sacratissimi Cordis objectum, ipsum symbolum, h. e., verum ac physicum Cor Salvatoris, et rem signatam, h. e., infinitam Christi caritatem. Ex his vero praecipua est res signata seu caritas Christi,

---

[1]) Biglietti confidenziali critici. Venezia 1772, Antonio Zatta. In linguam germanicam translata exhibentur in collectione Augustana: „*Neueste Sammlung jener Schriften, die zur Steuer der Wahrheit im Drucke erschienen sind*“, tom. 35, (an. 1787.)

Digitized by Google

quia symbolum, h. e., Cor verum Salvatoris, utut infinita veneratione dignum propter hypostaticam ejus cum Verbo conjunctionem, festum tamen non habet nisi propter naturalem ejus cum amore Christi colligationem, ut adeo substantiam devotionis SS. Cordis non incongrue eo spectare dixerit Pius PP. VI., ut in symbolica Cordis imagine caritas Salvatoris recolatur.

CAPUT I.

OBJECTUM PRAECIPUUM AC FINIS CULTUS ATQUE INDE FESTI SS. CORDIS JESU.

ARGUMENTUM. ***Substantia devotionis SS. Cordis Jesu eo spectat, ut in symbolica Cordis imagine immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur. (Pius PP. VI.*** **in lit. ad Eppum. Prato-Pistorien. d. d. 30. Jun 1781.)**

§. I.

Acta ea de re apud S. R. C.

A. Disputatio sub Innocentio PP. XII.

De objecto ac fine devotionis atque inde festi ss. Cordis Jesu disserens Postulator causae ex doctrina *Patris Croiset* [1]) praecipuum cultus objectum in ipso immenso amore Filii Dei ponit, finem vero eo reducit, ut fideles infinito illi Christi Domini amori respondeant eo modo, qui in decursu disputationis declaratur.

„*Praecipuum objectum hujus devotionis*, inquit, *est amor immensus Filii Dei*, qui ex eo pro hominibus ad mortem subeundam perductus est, et ad se eisdem in

1) **La dévotion au sacré-coeur d. N. S. Jésus Christ par un Père d. l. C. d. J. Lyon 1691.**

Digitized by Google

cibum praebendum sacramento eucharistico, absque eo quod mortalium ingratitudo, contemptus, injuriae et opprobria, quae ipse in eodem sacramento recepturus erat usque ad finem mundi, impedierint, quin quotidie iisdem opprobriis exponeretur in testificationem sui immensi amoris; [1]) quod lugens et admirans s. Laurentius Justinianus [2]) ajebat: *Quam magna Dei dignatio, quam Verbi veneranda descensio, quando peregrinantem et in teterrimo corporis carcere constitutam animam visere dignatur; longe vero laudabilior amabiliorque, quando, ut sic dicam, in ipso carcere cum sibi praedilecta non exhorret, non propter corporis vilitatem, carnis immunditiam, loci indecentiam naturaeque corruptibilitatem compescitur, neque propter animae infirmitatem, ingratitudinis malum, ignorantiae tenebras et delictorum maculas retrahitur Verbum, quin vadat et veniat, nec recedat nimio amoris telo percussum; lancea materiali in carne, spiculo vero flagrantissimae caritatis fuit transfixum in corde; semel et ab uno in corpore, multipliciter et ab innumeris sauciatur in corde.* Quamobrem pro gratiarum actione ob tot effectus divini amoris, et reparatione simul honoris ex jugibus

---

[1]) L' objet principal de cette dévotion est l' amour immense du Fils de Dieu, qui l' a porté à se livrer pour nous à la mort, et à se donner tout à nous dans le très-saint Sacrement de l' Autel, sans que toutes les ingratitudes, tous les mépris, toutes les injures et les outrages, qu'il devait recevoir en cet état de victime immolée jusq' à la fin aient pu l' empêcher de s' exposer encore tous les jours aux insultes et aux opporbres des hommes, pour nous témoigner plus efficacement l' excès de son amour. Ita *Croiset:* Dévotion au sacré-coeur C. I, p. 2, edit. Lugdunen. an. 1808.

[2]) De cast. connub. Verbi et animae cap. 14. Editionis Venet. an. 1721, p. 143.

Digitized by Google

mortalium sceleribus laesi peculiari cultu adorandum est Sacratissimum Christi Cor et paulo post festum, ut petitur, ejusdem augustissimi Corporis; cum Eucharistia sit ceu Cor Christi et totus Christus, ut ex *Didymo* inquit *Lorin. in psalm. 21.* [1]) utpote sacramentum, quod e latere Christi cum sanguine et aqua manavit. *D. Thom. 3. p. q. 77. art. 6. in corp.*"

Idem hoc praecipuum devotionis objectum post recensitum insignium virorum globum in fine commentarii breviter ita expressit: „Ut ex D. *Augustino Amalarius Fortunatus:* [2]) *de Ecclesiast. Offic. lib. III. cap. 23. advertit: Beneficiorum ejus solemnitatibus, festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio, ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidam caritatis.* . . . Quod si festum sacrorum vulnerum non improbatur, laudabilius existimandum est festum Sacratissimi Cordis, quod prius fuerat vulneratum amoris cuspide, ut advertit s. *Bernardus* relatus supra, cujus verba hic juvat repetere: *Latus quoque et Sacratissimi Cordis intima lancea perforarunt, quod jamdudum amoris lancea fuerat vulneratum; et* addere *S. Mitildem*, quae narrat, per visum a puero Jesu sibi nuntiatum: *Sicut homo manus suas saepius respicit, sic ab infantia usque ad diem pas-*

---

[1]) Verba Psalmi 21 expendens: ***Factum est cor meum tanquam cera liquescens*** praeter alia et haec affert ***Lorinus:*** „Innuit alium mysticum Didymus sensum de Eucharistia, quae sit ceu Cor Christi ac totus Christus, ita ut cera pro melle sumatur, et intelligatur suavitas istius cibi, quae percipitur a membris Christi." Commentar. in Psalm. tom. 1., p. 378, edit. Lugdunen. an. 1611.

[2]) Symphosius Amalarius, presbyter Metensis et Chorepiscopus, floruit saeculo IX. Cfr. ***Migne:*** Patrol. Latin. tom. 105, p. 815.

Digitized by Google

sionis meae quotidie mortem in Corde meo revolvebam. Ideoque passionem Christi specialiter colere debemus in Corde ipsius, uti ejusdem praecipua causa, Isaia etiam 53, 7. vaticinante: *oblatus est, quia ipse voluit.*"

Exceptiones Promotoris fidei ac rursus Postulatoris causae adversus illum comparatas replicationes quoad majorem partem audivimus. Descriptis jam ex Postulatoris replicatione hoc unum in rem nostram addere placet:

„*Rationes instituendi hoc festum* cum missa propria a Sacra Congregatione approbanda praecipuae eae sunt, quas idem Rmus. D. Promotor commendat, nimirum tributum amoris ipsi fonti amoris in eucharistico Sacramento ad reparationem ingratitudinis, improperiorum et scelerum a mortalibus quotidie illatorum, insinuatio hujusmodi cultus in sacris litteris, devotio plurium Sanctorum et summorum hominum ut ostendimus in memoriali." Haec Frigidianus Castagnorius Postulator causae sub Innocentio PP. XII.

Sed ejusdem veritatis argumentum ex eo quoque erui potest, quod piae sodalitates Sanctissimo Cordi Jesu publice colendo destinatae ac dicatae indulgentiarumque Brevibus cohonestatae sub eodem Innocentio PP. XII. semel atque iterum institutae sint sub nomine *Cordis Jesu et perpetui ejus amoris.* Sic Confraternitatem sub titulo *Cordis Jesu et perpetui amoris ejusdem Domini Nostri Jesu Christi* erectam legimus d. 3. Maji an. 1695 in Ecclesia Conventus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum civitatis Versaliensis, ADioecesis Parisien., [1]) et post tres annos, h. e. 1798, die 13. Septembris, constitutam item reperimus confraternitatem sub titulo *Cordis Jesu et perpetui amoris*

[1]) Catalog. Indulg. n. 3.

Digitized by Google

ejusdem in Ecclesia eorundem Fratrum Min. S. Fr. d. O. oppidi de Montargis, ADioecesis Senonen. [1]) Jam vero particula *ET* in titulo Confraternitatis adhibita, ut alias saepe explicandi vim habet et idem fere valet atque *id est,* ita nominatim quando ponitur inter causam et effectum, inter continens et contentum, *declarative* sumi debet, qua de re multa docte tradit *Barbosa* in tractatu *de dictionibus, particulis, adverbiis et praepositionibus in utroque jure usufrequentioribus,* Dictione CX, quem utique evolvas. Consonat *Goutier. l. III. pract. quaest. 13. n. 61.* ita scribendo: *Quando particula ET ponitur inter duo, quorum unum alteri inest, ambo in unum resolvuntur estque unum velut adjectio alterius.* Unde sodalitates Sanctissimo Cordi adorando destinatae eo spectant, ut *Jesus amantissimus* seu *amor Jesu* praecipua devotione colatur.

Quod si cui haec quam dedimus interpretatio particulae *ET* minus arrideat assensioneque videatur indigna, aliam ex grammaticorum scriniis depromemus: nimirum *ET* ejusque synonyma inter duo substantiva posita saepe alterutri tribuunt vim adjectivi estque ejusmodi loquendi modus figura ἓν διὰ δυοῖν, qua Latini et in prosa oratione utuntur: unum per duo nomina exprimendo seu in duo dividendo. Ut ecce apud *Virgil.* Georg. II, 192: *pateris libamus et auro,* h. e. *pateris aureis;* Aen. I, 65: *molemque et montes* pro *molem montium* vel *montosam;* et apud *Cic.* Tusc. III, 8: *Hunc sertis redimiri jubebis et rosa,* et alia sexcenta, quae adolescentes in scholis didicimus. Unde *Cor Jesu ET amor ejusdem perpetuus,* quae appellatio est confraternitatum in honorem Cordis Jesu erectarum, ipsum est *Cor Jesu ut in se amabilissimum ita et*

---

[1]) Catal. Indulgent. n. 15.

Digitized by Google

hominum quantumvis ingratissimorum amantissimum, ac *festum Cordis Jesu festum* est *tum amabilitatis Jesu tum perpetui amoris ejusdem.* Quum ergo titulus nota sit, index atque elogium, quo res dignoscitur et quid valeat, contineat, quo spectet monstratur, apertissimum promptissimumque est, per venerationem Sacrosancto Cordi Jesu adhibitam in Confraternitatibus sub titulo *Cordis Jesu et perpetui ejus amoris* erectis cultum ipsi ejus infinitae amabilitati effusaeque in nos caritati exhiberi — manente tamen altero cultus objecto vero ac proprio Salvatoris Jesu Corde propter praecipuam ac naturalem Cordis cum amore atque amabilitate cognationem, ut dicetur Cap. II.

B. Defensio a P. Gallifet Benedicto PP. XIII. oblata.

Ab his non dissentit P. *Gallifet* in ea quam pro institutione festi sacratissimi Cordis Jesu habuit disputatione an. 1726. Is enim licet — antiquorum philosophorum sententiam amplexus *de Corde tanquam vero instrumento animae in sensibili amore producendo* — vim Cordis corporei judicio Benedicti PP. XIV. ultra modum extollat atque urgeat (quapropter et causa cecidisse videtur), in responsione tamen ad objectionem, *quod novum hoc festum non distinguatur ab aliis festis v. g. passionis, Corporis Christi etc. ac proinde superfluum sit,* objectum ac finem festi petiti explicando ad verbum haec habet lib. II. c. 2. „Objectum proximum festorum in objectione designatorum videlicet passionis, vulnerum, coronae, clavorum etc. non est proprie amor Christi. *In festo* autem *Cordis Jesu amor, quo Cor illud sanctissimum ardet, est objectum proximum festi, indivisum cum Corde ipso; adeo ut affirmari vere possit, amorem Christi erga homines in hoc festo propriissime ac immediate attingi;*

Digitized by Google

quod sane ad festi hujus commendationem magna consideratione dignum est. Finis autem duplex hujus pii officii proprius, nimirum respondendi amori Christi, et reparandi injurias ei in Sacramento inflictas, considerari debet ut ratio peculiaris colendi Cordis divinissimi; nimirum quatenus respicitur, ut est amore ardentissimum simulque ob ingratum hominum animum afflictissimum.“ [1])

„Finis in cultu solemni sacrosanctae Eucharistiae propositus hic est, ut nimirum Jesu inter homines residenti debitus adhibeatur honos gratesque dignae pro tanto beneficio amoreque rependantur. Huc spectant omnia ab Ecclesia in honorem tanti mysterii instituta, huc festi dies, huc solemnes supplicationes, huc templorum ornamenta. In cultu autem sacrosancti Cordis Jesu finis propositus in hoc praecipue consistit, ut amori Jesu ab ingratis hominibus repudiato faciamus satis voluntaria expiatione ad Cor Jesu. [2]) . . . . Neque vero in fine institutionis festi Corporis Christi comprehendi ullatenus potuerunt injuriae illae, quibus in ipsa festi solemnitate ac durante Octava plerumque Christus est expositus: finis autem festi sacratissimi Cordis Jesu est haec ipsa reparatio Cordi amantissimo et afflictissimo exhibenda.“ [3])

C. Postulatorum scripta in propositione Causae distributa sub Clemente PP. XIII.

Neque alia in re primarium hujus devotionis objectum ac finem ponunt sive quae deinceps acta apud Sacram Congregationem leguntur, sive quae de hoc festo emana-

---

[1]) Edit Augustan. an. 1753, pp. 113—114.
[2]) Eod. I. l. c. 5. p. 59.
[3]) Eod. p. 115.

Digitized by Google

runt Pontificiae Constitutiones. Commentarius Sacrae Congregationi sub Clemente PP. XIII. oblatus semel atque iterum rationem praecipuam sive substantiam hujus cultus ex amore Christi erga nos petendam docet; quatenus autem Cor verum Jesu in eo tangatur, paucis his articulis complectitur n. 18. „Igitur Cor Jesu considerandum est: primo, quatenus cum anima Jesu ejusdemque divina Persona rem unam quodammodo — propter intimam unionem — constituit; secundo, *quatenus est vel symbolum vel naturalis sedes omnium virtutum et affectionum interiorum Christi Domini inprimisque amoris illius immensi, quo Patrem et homines prosequutus est;* tertio, considerandum ulterius est ut centrum dolorum omnium interiorum amantissimi Redemptoris, quos tota vita, sed potissimum passionis suae tempore pro hominum salute toleravit; quarto, non omittenda *contemplatio vulneris supra crucem accepti; vulneris, inquam, non tam lancea militis facti, quam ab amore Christi ictum lanceae ad Cor dirigente profecti.* Haec omnia Cordi Jesu propriissima atque conjunctissima rationem objecti in hocce festo una cum ipso Corde vere ingrediuntur.“ Hinc licet Postulatores festi objectum etiam Cor Jesu corporeum ac vulneratum esse voluerint, *rem* tamen *nunquam satis inculcandam iterum iterumque sub oculos legentium ponendam* duxerunt, *Cor Jesu considerari, ut est amore hominum succensum,* quemadmodum loquuntur n. 32. Ergo peculiarem illam proprietatem cordis, qua ad amorem refertur, publico cultu per Missae atque Officii approbationem praecipue adorandam proponunt causae Postulatores.

D. Opus Secretarii recitatum anno MDCCCLX.

Ad id ipsum congruit disputatio, quam Apostolicus Caeremoniarum Magister in coetu S. Congregationis cele-

Digitized by Google

brato die 11. Augusti an. 1860 habuit de discrimine inter festum Corporis Christi et festum sacratissimi Cordis Jesu. In ea doctrinam Ferdinandi Tetami [1]) suam faciens haec ait: „*Licet utrumque festum sit unius ejusdemque Domini Nostri Jesu Christi, diversa tamen sunt mysteria (seu objecta) in utroque celebrata. Primum namque respicit veritatem realis praesentiae Corporis Christi in Sacramento Altaris; alterum vero respicit mysterium amoris D. N. J. Ch. symbolice in ipso materiali Corde demonstrati.*“ [2])

Quod Frigidianus Castagnorius autem monuerat anno 1697, passionem et mortem pro generis humani redemptione amantissime a Christo initam imprimis coli in Corde ipsius debere, id revera per celebrationem festi sacratissimi Cordis fieri, idem Caeremoniarum Magister ostendit ex missa et officio approbatis; *ratio passionis,* inquit, *praecipue emicat in officio Cordis Jesu:* uti patet tum ex Invitatorio: „*Christum pro nobis passum venite adoremus;*“ tum ex

---

[1]) Tetamus, Ferdinandus, natione Siculus, patria Panormitanus, vix adolescentiam ingressus, quum 16 esset annorum, nomen Christo in Societate Jesu dedit die 6. April. an. 1741. Utilissimum atque eruditissimum opus vulgavit Venetiis anno 1779, e quo citatum textum Caeremoniarius adducit.

[2]) Anal. J. P. an. 1861, p. 336. Ex hac objecti diversitate Caeremoniarius Apostolicus cum Tetamo colligit, in concursu Octavae Corporis Christi cum Officio ss. Cordis Jesu (ritus duplicis majoris vel 2. classis) locum non esse regulae pervulgari: de uno eodemque sive Mysterio sive Sancto in eadem Officii divini parte fieri simul non posse officium et commemorationem; ac proinde incongruum non esse, in primis Vesperis integris de SS. Corde facere commemorationem praecedentis Octavae Corporis Christi.

Digitized by Google

℟. br. ad Prim: „*Qui passus es pro nobis*," tum ex Praefat., quae est de *Cruce.* [1])

Textum ex scriptura Postulatoris Causae die 27. Septembris 1864. Sacrae Congregationi oblata hisce omnino consonum supra jam recitavimus pag. 63 seqq.

§. II.
Constitutiones Pontificiae.

Quemadmodum Advocati causarum in libellis Congregationi propositis, ita et Pontifices omnes in diplomatis suis una mente et voce in efferendo divino amore tamquam primario hujus devotionis objecto consentiunt, fideles vero, ut divino illi amori debite respondeant per cultum ss. Cordis etiam atque etiam hortantur.

Sic, quum Clemens Papa XIII. festum sacratissimi Cordis Jesu concederet, expresse voluit, ut fideles festum hoc agendo *praecipua ejus caritatis beneficia recolerent,* [2]) atque illius caritatis imprimis, quam nobis Salvator exhibuit *humanam naturam suscipiendo, patiendo, pro generis humani redemptione moriendo atque in suae mortis commemorationem instituendo Sacramentum Corporis et Sanguinis sui,* uti videre est ex Decreto 11. Februarii anni 1765 atque ex lectionibus officii ab ipso approbatis.

---

[1]) Anal. J. P. l. c. p. 339.

[2]) Formula, qua in oratione ss. Cordis Jesu Deum orare jubemur, ut divina beneficia recolentes ***eorum pariter et actu delectemur et fructu***, desumpta est ex Postcommun. tum fer. II. majoris Hebdomad. tum Sabbat. quatuor temporum infra Octav. Pentecost. Eam ad verbum jam habet ***Liber Sacramentorum S. Gregorii M.*** apud Migne: Pat. Lat. tom 78. pag. 78. et pag. 116.

Digitized by Google

Similiter Pius Papa VI. tribus diplomatis Bullario Romano insertis declaravit, per extensionem ejusdem festi ss. Cordis id efficere se voluisse, ut *Jesu Christi Domini Nostri passionis et mortis pro generis humani redemptione amantissime initae memoria et veneratio in dies augeretur, utque fideles in ejusdem Domini passionem majori usque devotione ac pietate afficerentur.*

Quod idem clarioribus etiam verbis in literis ad Scipionem de Ricci datis expressit die 29. Junii an. 1781, quum clementi usus castigatione, gravitate tamen adjuncta, calumniam superstitiosae materialitatis a cultu sacratissimi Cordis Jesu repellebat. Quae quum in Bullario Romano non referantur, textum heic sistere non gravamur: „Ex iis jam te loqui intelligimus de pastorali epistola tua, quae in lucem venit III. Nonas Junias atque intimam ejusdem epistolae sententiam cognovimus. Nimis profecto mirati sumus, te in magistrum erectum esse, ut dissidia et studia partium jam providentia Sanctae Sedis composita prorsusque obsoleta iterum excitares. Sancta haec Sedes modum jam turbis et quaestionibus imposuit, satisque declaravit, quo *substantia illius devotionis ab omni certe superstitiosa materialitate immunis revera spectet, ut symbolica Cordis imagine immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur.* Quanquam sagaci verborum circulo eas conatus es avertere notas, quas merito praevidebas tibi omnino non defuturas, [1])

[1]) Scipio de Ricci omni asseveratione quidem affirmabat, acriori sua disputatione contra cultores SS. Cordis Jesu eo se spectasse, ut genuinum sensum Decretorum Sedis Apostolicae aperiret ac Sacrae Congregationis voluntatem enodaret; verum dum haec praetenderet, illud ipsum festum a Sancta Sede approbatum atque in sua Dioecesi jam receptum e Kalendario delendum curavit. Legesis

Digitized by Google

scito nihilominus, te minime earum exsortem esse ac judicio omnium, qui recte cogitant, et Decreta Sedis Apostolicae debito venerantur obsequio, in ea pastorali epistola modestiam et prudentiam tuam desiderari. Nemo excandescere offendique non potuit inconsulto illo excursu, quo nihil praeterea egisti, nisi expressa referre, quae jam contradictores fervidioris ingenii proposuerant. Quare coelestem datorem luminum obsecrare cogimur, ut meliora tibi consilia largiatur, quibus in aequitate et concordia pascas gregem tibi creditum. — Romae apud S. Petrum III. Kal. Julias 1781.“ [1])

Pius Papa VII. pariter duobus Brevibus in Bullario contentis idcirco supplicationibus, pro concessione festi sacratissimi Cordis ipsi porrectis, satisfecisse se testatur, quod *ad nimiam Christi Domini patientis et pro humani generis redemptione morientis caritatem ferventius recolendam sacratissimi Cordis Jesu cultum et venerationem in dies augeri vehementer desiderarent pii fideles.*

Sed firmiora hujus rei documenta reperiri nullibi possunt, quam quae in actis Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. pluribus in locis leguntur. Nam praeterquam quod in *Decreto extensionis festi* diei 23. Augusti 1856 declaravit, se *festum in honorem sanctissimi Cordis Jesu (a Clemente Papa XIII. nonnullis ecclesiis celebrari permissum ad immensam Divini hujus Cordis caritatem recolendam) idcirco in universa Ecclesia quotannis agi*

---

quae latius hoc argumentum persequendo scripsimus in Com. *de rationibus festorum mobilium* C. X. Videndus etiam est liber, cui titulus *Annotazioni pacifiche* loco, quem ibidem indicavimus

[1]) Lettera Pastorale di Monsignor Vescovo di Pistoja e Prato etc. fol. XXIV—XXV. Refertur etiam in Ephemeridibus Augustanis „*Kritik*“ an. 1791, p. 460.

Digitized by Google

mandasse, quod nova cuperet praebere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor Ejus, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine Suo, in nupero *Brevi Beatificationis Margaritae Mariae Alacoque* gravissime et copiosissime de eodem hoc argumento dicit. Ejus documenti initium hoc est: „Auctor nostrae fidei et consummator Jesus, qui nimia ductus caritate, naturae mortalis infirmitate assumpta, obtulit se in ara crucis immolatum Deo, ut nos a peccati teterrima servitute liberaret, nihil potius habuit, quam ut flammam caritatis, qua Cor ejus ureretur, in hominum animis modis omnibus excitaret, qnemadmodum suis adseruisse discipulis novimus ex evangelio: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? *Hunc vero caritatis ignem ut magis incenderet, sanctissimi sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit ac promoveri.* Ecquis enim tam durus ac ferreus sit, quin moveatur ad redamandum Cor illud suavissimum idcirco transfixum ac vulneratum lancea, ut animus ibi noster quoddam quasi latibulum ac perfugium habeat, quo se ab hostium incursione insidiisque recipiat ac tueatur? Ecquis non provocetur ad prosequendum omni observantiae studio Cor illud sacratissimum, cujus ex vulnere aqua et sanguis, fons scilicet nostrae vitae ac salutis effluxit? Jam vero ad tam salutarem ac debitum pietatis cultum instituendum lateque inter homines propagandum eligere Servator noster dignatus est Venerabilem famulam suam Margaritam Mariam Alacoque, religiosam sororem ex ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis, quae quidem et innocentia vitae et assidua virtutum omnium exercitatione tanto officio et muneri, divina adjuvante gratia, se dignam probavit...."
Post breve vitae elogium Beatae Margaritae munus ipsi divinitus commissum ita persequitur Pontifex: „Jam vero

Digitized by Google

ante augustissimum Eucharistiae Sacramentum eidem fervidius oranti significatum est a Domino, *gratissimum sibi fore, si cultus institueretur sacratissimi sui Cordis humanum erga genus caritatis igne flagrantis* ac velle se hujus rei curam ipsi demandatam. Qua erat humilitate cohorruit venerabilis Dei famula, tanto se officio indignam existimans; sed tamen ut supernae obsequeretur voluntati, utque desiderio suo faceret satis divinum amorem in hominum animis excitandi, studiose egit tum apud religiosas sui Coenobii sorores, tum vero etiam apud omnes, quoad potuit homines, ut Cor illud Sanctissimum, divinae caritatis sedem, omni honoris significatione colerent ac venerarentur. Multae idcirco et graves Venerabili Dei famulae tolerandae fuerunt molestiae, plurimae superandae difficultates; nunquam tamen ipsa dejecit animum, et spe subnixa coelestis auxilii tam operose ac constanter promovere instititid genus pietatis, ut divina favente gratia non sine magno animarum fructu in Ecclesia auctum longe sit ac propagatum."

§. III.
Breviarium Romanum.

Quae omnia brevi oratione perstringens Sacra Rituum Congregatio in lectione V. officii Beatae Margaritae Mariae in hunc modum effert: „Inter varias apparitiones illa maxime celebris fuit, qua ante Eucharistiam oranti Jesus semetipsum conspiciendum obtulit, et divinum Cor suum in aperto pectore flammis incensum et spinis constrictum ostendit *praecepitque, ut pro tali caritate et ad reparandas ingratorum hominum injurias illa publicum Cordi suo cultum, magnis propositis gratiarum praemiis, instituendum curaret;* et cunctantem humilitatis causa seque

Digitized by Google

tantae rei imparem dictitantem, promisso auxilio et praenuntiato successu confirmavit. Exinde fidissima Christi sponsa hoc unum spirare, verbis, exemplis, scriptis, jugi vitae suae sacrificio hoc unum quaerere visa est, ut sanctissimo Cordi Jesu interior exteriorque cultus, qualem Ei placere ab Ipso didicerat, ab omnibus tribueretur, quod et tunc fieri mirabiliter coepit, et postea, approbante sancta Sede, quanto fructu sit perfectum universus orbis catholicus testatur."

Ergo Summi Pontifices editis suis constitutionibus de festo sacratissimi Cordis Jesu id potissimum spectarunt, ut immensum Dei amorem erga genus humanum majorem in modum tanquam praecipuum devotionis objectum commendantes ad dilectionem Jesu Christi homines impellerent, concessa Beatificatione Margaritae Mariae vero Sanctissimus Dominus Noster speciatim id egit, ut fideles et ex proposito aliquo exemplo viderent, quo modo Redemptor amantissimus redamaretur et nova veluti amoris disciplina instituti facilius et alacrius ad caritatis hoc exercitium ferrentur. [1])

§. IV.
Statuta Episcoporum.

Quoniam Sedes Apostolica per Decretum Sacrae Rituum Congregationis anni 1765 istum ipsum cultum *ampliare*

---

[1]) In Vita Beatae Margaritae Mariae, quae per occasionem beatificationis Summo Pontifici dedicata atque a magistratu libris judicandis in Urbe constituto approbata typis Romanis prodiit an. 1864 in eandem sententiam haec leguntur: „Serva questo libro a raggiungere uno dei principali scopi, che la Chiesa si propone nella Beatificazione di questa gloriosa eroina, vo' dire, a procacciarle molti imitatori delle sue virtù, *accrescendo il numero degli amanti del Sacro Cuore di Gesù Cristo.*" (Praef.)

Digitized by Google

voluit, qui *faventibus Episcopis* institutus ac *per omnes fere catholici orbis partes propagatus jam fuerat,* [1]) ex Episcoporum statutis atque instructionibus pastoralibus judicium de natura cultus publici ferre licet. Sexcenta hujus generis tum antiqua tum recentia monumenta adduci possent, sed operis brevitas impedimento est. Unum afferemus ex Actis Ecclesiae Lugdunensis, quo quid Episcopi in instituendo festo SS. Cordis Jesu sibi proposuissent omnium nomine accurate declaravit ipse Galliae Primas, *Franciscus Paulus de Villeroy de Neuville,* Archiepiscopus Lugdunensis, constitutioni suae de festo celebrando d. d. 3. Decembris an. 1718 brevi hac instructione inserta: [2]) „Finem ego, modum, spiritum hujus festi examinavi diligentissime, quae omnia verae pietati congruere sunt comperta. Quandoquidem non aliud intenditur, quam *cultus particularis adorationis, amoris, laudis et gratiarum actionis exhibitus Cordi Jesu tanquam Throno amoris erga Deum et homines.* Quoniam vero in Eucharistia maxime patet amor ille atque in eodem mysterio saepius ab hominibus contumeliis afficitur, praecipuus finis hujus cultus est, satisfacere, quantum fieri potest, de injuriis divino huic Cordi illatis ab ingratis hominibus. Gratum autem Deo esse hujusmodi cultum tot signis innotuit, ut creditam mihi a Deo authoritatem et ministerium adhibere operae pretium putaverim ad fovendum, quantum in me est, et augendum eundem cultum."

Quibus omnibus rite consideratis, recte inferri potest, eam esse mentem Sedis Apostolicae, dum nobis Cor Jesu tanquam symbolum infiniti ejus amoris colendum proponit,

[1]) Supra pag. 51.

[2]) Refertur inter monumenta Summo Pontifici pro defensione cultus SS. Cordis Jesu oblata apud Gallifet. Part. II, pag. 133.

Digitized by Google

ut ipsum symbolum seu verum ac proprie dictum Cor — propter substantialem ejus cum persona Filii Dei unionem — adorando praecipue rem per symbolum significatam, h. e., immensam Christi caritatem meditemur ac veneremur.

CAPUT II.

ALTERUM OBJECTUM CULTUS ATQUE INDE FESTI SS. CORDIS JESU COR VERUM AC PROPRIE DICTUM SALVATORIS.

ARGUMENTUM. *Sicut ad devotionem quamlibet exercendam materiali objecto humana imbecillitas indiget*, ut (*canente Ecclesia*) per visibilia ad invisibilia rapiamur, *ita ad digne recolendam infinitam divini Redemptoris caritatem atque ad excitandum amorem erga Christum Dominum nobis verum ejus Cor materiale ac vivum proponitur, quo sane nec efficacius nec dignius objectum eligi potest.* (***Frigidian. Castagnor.*** in Memorial. an. 1697.)

§. I.
Acta apud S. R. C.

A. Scriptura Patris Gallifet Summo Pontifici oblata an. 1726.

In priori libello, quem Benedicto PP. XIII. obtulit, ut eo dignanter perlecto *ipse per se merita causae dispicere, intelligere, ac dijudicare posset,* [1]) P. Gallifet alterum objectum breviter sic explicat. „Cum revelatio coelestis, inquit, principium sit atque origo praecipua sanctissimi cultus [2]) Cordis Jesu, ex eo utique fonte petendum

---

[1]) Dedicat. praeambul. p. VI.

[2]) Subaudi *publici.*

Digitized by Google

est, quidquid ad hoc pietatis exercitium pertinet, sive naturam illius explicare, seu modnm in praxi tenendum tradere velimus. . . . . Inspicienda ergo haec ipsa revelatio est atque ex ipsis Christi Jesu verbis tota ipsius cultus natura, si fieri potest, eruenda et explicanda. Neque vero id factu difficile erit, quum et verba Jesu clarissima sint et omnia ad dictum cultum pertinentia complectantur. Itaque revelatio fuit ejusmodi. [1])

---

[1]) Vide supra pag. 37. Caeterum quae Postulator causae hic Latine reddit, in fonte ita leguntur:

„Étant devant le Saint-Sacrement un jour de son octave, je reçus de mon Dieu des grâces excessives de son amour. Et me sentant touchée du désir de quelque retour, et de lui rendre amour pour amour il me dit: „Tu ne m'en peux rendre un plus grand qu'en faisant ce que je t'ai déjà tant de fois demandé.“ Et me découvrant son divin Coeur: *„Voilà ce Coeur qui a tant aimé les hommes, qu'il n'a rien epargné, jusqu'à s'épuiser et se consommer pour leur témoigner son amour;* et pour reconnaissance, je ne reçois de la plupart que des ingratitudes par les mépris, irrévérences, sacriléges et froideurs qu'ils ont pour moi dans ce Sacrement d' amour. Mais ce qui m'est encore plus sensible, c'est que ce sont des coeurs qui me sont consacrés qui en usent ainsi. C'est pour cela que je te demande, que le premier vendredi d' après l' octave du Saint-Sacrement soit dédié à une fête particulière pour honorer mon Coeur, en communiant ce jour-là, et en lui faisant réparation d' honneur par une amende honorable, pour réparer les indignités qu'il a reçues pendant te temps qu'il a été exposé sur les autels. Je te promets aussi que mon Coeur se dilatera pour répandre avec abondance les influences de son divin amour sur ceux qui lui rendront cet honneur, et qui procureront qu'il lui soit rendu.“ (*Croiset*: Dévotion au Sacré-Coeur d. N. S. J. Ch. pag. 6. edit. Lugdun. an. 1808; *Vie et oeuvres de la bienheureuse Marguerite-Marie Alacoque*, tom. 1. pag. 93, edit. Parisien. an. 1867.)

Digitized by Google

„Die quodam infra Octavam Corporis Christi, quum orationi coram sanctissimo Sacramento vacarem, coelestibus gratiis a Domino meo supra modum omnem repleta sum. Ego vero quum pro tantis beneficiis aliquid pro tenuitate mea respondere ardenter cuperem, votis meis Dominus annuens, *Nihil,* inquit, *praestare potes, quod mihi futurum sit acceptius, quam si illud perficias, quod te saepius antea monui.* Tum Cor suum sacrosanctum detegens: **Vides,** inquit, **Cor meum: Cor illud tanto hominum amore succensum, ut nihil praetermiserit, viribus exhaustis penitus atque consumptis, quo amorem hunc immensum certissimis signis testatum eis relinqueret.** *Eorum tamen pars maxima usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent, ut me etiam injuriis contumeliisque in hoc amoris mysterio assidue lacessant. Quod eo etiam acerbius accidit, quod a personis mihi dicatis talia quoque pati cogor. Itaque a te requiro, ut feria sexta, quae Octavam Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dedicata: qua die ad sacram mensam accedendo injuriae Cordi meo in Altaris mysterio inflictae, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur. Et quidem spondeo, eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu coelestium gratiarum copia fore cumulandos.*"

Ex quibus patet, sic infert Gallifetus, [1]) de Corde Jesu non translatitie sumpto, sed in propria ac nativa significatione intellecto, videlicet, ut est pars Corporis Christi nobilissima, hic agi. Evidens est ex ipsa Christi Jesu actione, qua Cor suum detegit monstratque *(Cor suum detegens, vides,* inquit, *Cor meum.)* De hoc certe

[1]) De cultu SS. Cordis, Lib. I, c. IV, pag. 36, edit. Roman.

Digitized by Google

Corde loquitur, quod detegit ac monstrat: huic ipsi cultum adhibere postulat: neque vox illa *Cor* saepius a Christo Jesu in hoc sermone repetita aliter accipi ullatenus potest, quin verba de se perspicua per vim in alienam significationem detorqueantur. En tibi igitur, quae sit res, quam Jesus colendam proponit: nimirum Cor suum sacrosanctum, illudque spectatum, ut est amore hominum succensum et ab ipsis tamen hominibus impie ingratis crudelissime offensum. . . . . Cor Jesu non solitarie sumptum, sed quatenus cum anima Jesu ejusdemque divina persona indissolubili nexu sociatum est et rem unam quodammodo in ratione objecti constituit. Quae res adoranda plane atque divina . . . adjunctis etiam gratiis omnibus coelestiumque charismatum thesauris ac virtutibus omnibus affectionibusque hujus Sacrosancti Cordis propriis ipsa est res, quae venerationi fidelium proponitur.“ Pertinet ergo ad essentiam hujus devotionis ac festi, ut Cor verum Domini Jesu colatur. Igitur *alterum objectum* ipsum est *Cor materiale ac vivum Christi Domini* una eademque adoratione cum ejus divinitate adorandum.

B. Libellus supplex cum annotationibus Postulatorum Causae sub Clemente PP. XIII.

„Neque alia mens erat Postulatoribus causae sub Clemente PP. XIII., sicut liquet ex eorum memoriali, praesertim n. 32. Ibi enim firmiter inhaerentes revelationi ven. Margaritae Mariae factae rationes ita subducunt: „Ex his clarissime patet, Christi Jesu consilium fuisse, ut novum quoddam religionis Officium erga Cor suum in Ecclesia institueretur; hoc enim est, quod se vehementer cupere famulae suae affirmavit. Porro de Corde non translatitie sumpto, sed in propria ac nativa significatione

Digitized by Google

accepto, videlicet ut pars est Corporis Christi nobilissima, eum locutum evidens est ex ipsa actione, qua Cor suum detegens, *Vides,* inquit, *Cor meum?* De hoc ergo Corde loquitur, quod detegit ac monstrat. En igitur quae sit res, quam Jesus colendam proponit, nimirum Cor suum sacrosanctum, non tantum ut est symbolum omnium interiorum affectionum, sed ut est in se. Ratio vero, propter quam Cor illud sanctissimum coli debeat, sequentibus verbis exprimitur: *Vides Cor meum, Cor illud etc.;* nempe duplicem rationem illud colendi proponit, *amorem erga nos suum,* et *afflictionem propter injurias illi a nobis illatas,* praesertim in sacramento Eucharistiae. Itaque in hoc religionis officio vult Jesus Cor suum considerari, ut est amore hominum succensum, et ab ipsis tamen hominibus impie ingratis crudelissime offensum, eaque potissimum duplici ratione moveri nos ad amantissimum Cor redamandum, injuriasque, quibus in ipso amoris sui mysterio impetitur, reparandas et compensandas. Qua autem ratione id fieri Jesus velit, verbis quae sequuntur declarat, quae praecipuum quidem et non unicum novi exercitii actum comprehendunt."

C. Memoriale Frigid. Castagnorii an. 1697.

„Sicut ad devotionem quamlibet exercendam materiali objecto humana imbecillitas indiget, *ut* (canente Ecclesia) *per visibilia ad invisibilia rapiamur,* ita ad excitandum amorem erga Christum Dominum nec sensibilius nec efficacius nec dignius objectum eligi potest illius Corde. Neque *idem Cor percolendum* tantummodo est, *uti pars praecipua est adorabilis corporis,* sed etiam uti sedes praedicti amoris immensi filii Dei."

Digitized by Google

§. II.
Constitutiones Pontificiae.

Quum Janseniani Pistorienses negarent, eum esse Sedis Apostolicae Decreti sensum, ut etiam physicum Domini Jesu Cor cultus festique objectum credatur,[1]) Pius PP. VI. eorundem errorem improbavit in Bulla *Auctorem Fidei* propositione 63:

„Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a Divinitate adorari non posse cultu latriae;

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel praecisione a Divinitate, *dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est*, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a Divinitate adorabile fuit in sepulchro,

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa."

Ergo fidelibus Cordis Christi cultoribus cultus objectum etiam est verum ac physicum Cor Jesu, Cor nempe, quod personae Verbi inseparabiliter unitum est.

---

[1]) „La S. Sede a circoscritta la nuova devozione dentro quei confini, che escludono il culto, che questi ingannati devoti fantasticano di poter prestar al viscere detto Cuore di Gesù. . . . La devozione al Sacro Cuor di Gesù come fu da Roma rigettata più volte, e come per un cieco fanatismo la predicano i Cordicoli, e degna di condanna, e non si può sostenere. . . . Gesù Cristo Signor Nostro, pieno di carità simbolleggiata dal Cuore, è il solo ed unico oggetto della nuova festa permessa." (*Scipio de Ricci:* Instructio seu Epistola pastoralis d. 8. Junii an 1781.)

§. III.
Breviarium Romanum.

Quemadmodum in priori Officio SS. Cordis, quod concessum est anno 1765, ardentissima Filii Dei erga genus humanum caritas maxime praedicatur, [1]) ita in altero ejusdem SS. Cordis officio, quod Pius PP. VI. initio pro regnis Portugalliae et Algarbiorum approbavit, deinde vero ad omnes petentes extendit, verum ac vivum Cor Christi potius effertur, conquerentibus Jansenianis, omnes illas partes, in quibus preces ad Cor Christi carneum diriguntur, immunes non esse a Nestoriana haeresi, [2]) ut ecce Invitatorium: *Cor Jesu caritatis victimam venite adoremus;* et hymn.: *O Cor, voluptas cordium, tu nostra terge vulnera ex te fluente sanguine; Ad Cor reclusum vulnere, ad mite Cor accedite.* Sed in alterum hoc officium plures notas mox scribemus in solutione difficultatum.

Satisfit difficultatibus
desumptis tum ex literis Pii PP. VI. d. 29. Jun. 1781 tum ex Decreto S. R. C. d. 6. Febr. 1765.

Quemadmodum probe vidimus non defuturos, qui alterum hoc objectum festi SS. Cordis Jesu argumento inde ducto impugnarent, quod Pius PP. VI. a *devotione SS. Cordis Jesu omnem superstitiosam materialitatem* voluerit exclusam, [3]) quodque Sacra Rituum Congregatio nonnisi festum *Cordis symbolici concesserit, quatenus sc.*

---

[1]) Supra pag. 87.

[2]) „Nuovo Ufizio che tutto spira Materialismo e Nestorianismo“. (Ita Annali Eccles. loco mox indicando p. 112.)

[3]) Epist. ad Eppum. Scipionem de Ricci d. III. Kal. Jul. 1781. Vide supra pag. 88.

hoc Cordis symbolo representetur, Unigenitum Dei Filium ex caritate erga nos incarnatum institutisque salutis remediis morte pro nobis perfunctum esse: ita revera non defuere ex adversae sententiae patronis, qui per literas etiam nobis significarent, subscribere declaratae heic doctrinae (*etiam Cor verum divini Salvatoris objectum cultus esse*) idcirco sibi religionem esse, quod memorata Sedis Apostolicae Acta videantur ostendere, devotionem nostram non ad Cor physicum, sed unice ad Cor symbolicum seu *Jesum amabilem* dirigendam esse.

Verum sumptas ex his monumentis difficultates omni funditus specie carere, prudenti justoque rerum aestimatori patebit, si ipsa documenta ad regulas exigantur, quibus de genuino sensu ac valore ejusmodi Rescriptorum recte judicetur. Quoniam scribendi ratio impedimento est, quominus in iis declarandis uberiores simus, pauca haec de utroque documento attulisse satis habemus.

Canon generalis est, in interpretatione alicujus textus *mentem legislatoris rationemque legis esse tenendam et servandam,* quum *non debeat intentio verbis deservire, sed verba intentioni,* uti legimus can. *Humanae* 11. C. XX. q. 5. [1]) Mens legislatoris autem, si ex adjecta legis ratione deprehendi non possit, maxime erui debet ex rerum personarumque adjunctis, ex historia temporum atque ex communibus rationis principiis, quia *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi,* quemadmodum habemus c. *Intelligentia* 6. X. de verb. signif. [2])

---

[1]) Inserta haec sunt verbis S. Gregorii M., desumptis ex lib. moralium XXVI, c. 7, al. 10. Videsis *Migne:* Patrol. Lat. tom. 76, pag. 357.

[2]) *S. Hilar. Pictav.:* de Trinitat. lib. IV, n. 14, apud Migne: Patrol. Latin. tom. 10, pag. 107.

Digitized by Google

Quae si ad interpretationem allatorum textuum transferantur, facile refellentur, quae objecta ex iis adversus alterum cultus objectum sunt.

I. Et primo quidem difficultas ex *Epistola Pii PP. VI.* petita hermeneutici hujus canonis ope tolli sic potest. Pius PP. VI. eam *superstitiosam materialitatem* ab objecto cultus SS. Cordis Jesu voluit exclusam, quam eidem Scipio de Ricci, Episcopus Prato-Pistoriensis affinxerat epistola sua pastorali d. d. 3. Junii 1781. *Atqui* Eppus. Prato-Pistoriensis cultui SS. Cordis Jesu calumniando imputaverat, Cor carneum a persona Verbi sejunctum *praeter* unionem hypostaticam adorandum proponi ut quid subsistens in se, proindeque cultum esse salebrosum, periculi plenissimum, imo a Nestoriana haeresi non alienum; [1]) quae omnia quam falso asserantur, non est,

---

[1]) „Una Devozione al Cuor carneo di Gesù è nuova affatto ed inaudita nei felici tempi della Chiesa, ludibrio e gioco degl' increduli Filosofanti, che con dolore vede nel proprio seno rinnuovare il Sadduceismo, è esca e fomento d' una pietà farisaica. . . . . La Devozione al Sacro Cuor di Gesù come per un cieco fanatismo la predicano i Cordicoli, è degna di condanna e non si può sostenere. . . . I Cordicoli adorano quel che non sanno o quel che non debbono. . . . Non avvertono, che nè la santissima carne, nè un pezzo di carne di Gesù, nè la sua umanità tutta intera con separazione e precisione dalla Divinità . . . . possono mai essere oggetto di cultu di latria. Mai non permetta Iddio, che si pensi da alcun fedele, che la Santa Sede approvi la Cardiolatria di sì fanatici Devoti, e contro le solenni definizioni della chiesa universale in Ecumenici Concilj adunata voglia moltiplicare le adorazioni dovute all' Emanuele. Sa bene la S. Romana Chiesa, Madre e Maestra nostra, che vi si fulmina l' anatema a chi divide Gesù Cristo, a chi espone in Gesù Cristo la carne o porzione di essa al pericolo d' essere adorata con Nestoriana separazione o sofistica precisione, e a chi non crede, che unica

Digitized by Google

cur nunc multis declaremus quum et totus commentarius hic noster calumniam repellat, et ipse Pius PP. VI. in Bulla „*Auctorem Fidei*“ *captiosam et in fideles Cordis Christi cultores injuriosam* dixerit propositionem ejusdem Eppi. in Synodo sua Dioecesana relatam, *quod fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum tamen illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est.* [1]) *Ergo* Summus Pontifex dum devotionem SS. Cordis Jesu ab *omni superstitiosa materialitate immunem* declarat, nullatenus intendit, ab objecto cultus ac festi SS. Cordis Jesu ipsum Cor verum Salvatoris, personae Verbi inseparabiliter unitum, excludere, sed in eo est ut calumniam, quam Scipio de Ricci fidelibus Sacratissimo Cordi devotis intulerat, repellat.

Sed nec illud silentio praetereundum est, non omnem materialitatem excludi, sed *superstitiosam* tantum. Quid vero hujus adjectivi nomine veniat, facile est ex adjunctis definire. *Superstitio,* unde nomen manavit, [2]) generatim inanis quaecunque, importuna et inepta religio dicitur; in jure vero speciatim superstitio vocatur *quidquid institutum*

---

esser dee l'adorazione, che a Gesù Cristo è dovuta. . . . La carne di Lui divisa o precisa dalla divinità del Verbo . . . non giova niente, perchè lo spirito è quello, che vivifica. Piangiamo però, fratelli miei amatissimi, queste nuove infermità, che per cagion dei Cordicoli la Chiesa „in multis patitur, in paucis gemit.“ (Instructio pastoral. d. 3. Jun. 1781.)

[1]) Bullar. Rom. Cont. Tom. IX, p. 411.

[2]) De nominis ratione disputat *Cicero:* de natura Deor. I, 28, sed rectius *Firm. Lactantius:* Divin. Instit. lib. IV, c. 28. „*Superstitiosi* vocantur, inquit, non qui filios suos superstites optant (— quae ratio nominis a Cic. adducitur l. c. —); omnes enim optamus; sed aut ii qui superstitem memoriam defunctorum

Digitized by Google

est ab hominibus ad facienda idola et colenda pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam partemve ullam creaturae, quemadmodum s. Augustinus inquit [1]) *de Doctrina Christ.* II, 20. relat. C. *Illud quod.* 6 Caus. XXVI. Q. II. Jam vero hujus generis superstitionis reos egerat Scipio de Ricci fideles SS. Cordi devotos in ea, quae Summo Pontifici scribendi ansam dedit, epistola pastorali, quum cultores SS. Cordis Jesu hoc etiam nomine arguisset, *quod non adverterent, sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae proindeque ejusmodi adorationem fore semper honorem divinum datum creaturae* [2]) seu *superstitionem* eo quem ex jure descripsimus modo. Criminationem *superstitiosae materialitatis* igitur a cultu SS. Cordis repellendo Pontifex docet, hoc religionis exercitio honorem divinum nullatenus tribui creaturae, sed una eademque adoratione Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorari, quae omnia mire sane cum doctrina hac nostra concinnunt, sc. etiam Cor Jesu physicum, quod propter indissolubilem suam cum persona Verbi unionem cum separatione aut praecisione a divinitate existere non potest, verum objectum cultus Cordis Jesu habendum esse.

colunt, aut qui parentibus suis superstites colebant imagines eorum domi tanquam Deos Penates." Cfr. ***Migne:*** Patrol. Lat. tom 6. pp. 537—538. Verum nomen postea latius patuit, ut ibidem explicat Lactant.

[1]) ***Migne:*** Patrol. Lat. tom. 34, p. 50.

[2]) Quae eadem cultoribus SS. Cordis contumeliose objecta leguntur in Synodo Pistoriensi, quemadmodum patet ex Bulla „Auctorem fidei" prop. 61 et 63 Bullar. Rom. l. c.

Digitized by Google

II. Reliquum est, ut de altera difficultate breviter dicamus, quam ex *Decreto S. R. Congregationis anni 1765* contra eandem doctrinam eruunt adversarii. *Veneramur*, inquiunt, *et recolimus sub Sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis ac in suae mortis commemorationem sacramentum sui corporis et sanguinis instituentis, ut ejusdem fructus uberius percipiamus.* [1]) Eapropter, subdunt, in Officio SS. Cordis a S. R. Congregatione concesso nihil continetur, quod corpus Christi carneum sapiat; si enim antiphonas, responsoria, hymnos, orationem, lectiones consideres, nihil profecto occurrit, nisi quod Cor Christi symbolicum, seu Filii Dei ardentissimam caritatem signet, quam quidem benignissimus Servator maxime prodidit, dum Eucharistiam ceteraque salutis remedia instituit, dumque acerbissimum pro nobis redimendis crucis supplicium toleravit. Ergo, ita inferunt, ex mente S. Rituum Congregationis Cor verum ac proprie dictum adorationis hujusque festi objectum esse non potest. Quae omnia ad usum sectae suae convertentes Janseniani festum SS. Cordis Jesu omni arte ac vi, ut jam dictum est, abolere studebant, quod in praxi, uti ajebant, Decreto S. Congregationis insuper habito, *cultus sensim ad Cor carneum dirigatur atque ita in Nestorianismum proruatur.* [2]) Ast aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habebant hi pietatis religionisque simulatores. Quod enim sanctissimum hoc religionis exercitium adeo vehementibus conviciis impeterent, id duplici de causa praecipue factum esse ex actis constat; ex una

---

[1]) Offic. SS. Cordis Jesu Lect. VI.

[2]) Ita Episcopi Scipio de Ricci et Josephus Pannilini in Actis Congregationis Florentinae an. 1787.

Digitized by Google

parte scilicet sperabant fore, ut amantissimi atque amabilissimi Cordis Christi imagine ex oculis fidelium sublata Christiani non amplius *immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris meditarentur ac venerarentur,* [1]) *sed sensim languidi in religionis exercitiis fierent et a sacramentis percipiendis arcerentur;* [2]) ex altera parte autem timebant, ut supra ex Actis retulimus, *ne dissolutum ordinis Jesuitici corpus dispersa Societatis membra sub vexillo Cordis Jesu colligere pararet;* [3]) Societatem Jesu vero ut suos olim in vineam Domini conferentem labores internecino odio erant persecuti Janseniani, ita extinctam omnibus contumeliis probrisque vexare pergebant.

Verum omisso hoc, qui Jansenianis familiarissimus est, abusu Decreti Sacrae Congregationis Rituum, ipsum argumentum *a sensu contrario,* ut vocant, desumptum

---

[1]) Religionis speciem prae se ferens Scipio de Ricci ita scribit: „Gesù Cristo Signor Nostro, che pieno di carità simbolleggiata dal Cuore è il solo ed unico oggetto della nuova festa permessa, vuole che non confondiamo il miele della Devozione colla mirra della mortificazione, e che l' amarezza dell' assenzio dei nostri peccati non resti in certo modo oppressa da quei, che promettono pace, ed è falsa pace, e che lusingano con soavità e benedizioni e con parole amollite nel olio, e sono saette avvelenate. . . . . Dal quale potete ben rilevare, Fratelli miei amatissimi, se di buon voglia siasi arresa alle importune istanze dei Devoti di lor fantasia la Sacra Congregazione dei Riti." (Instruct. past. d. 3. Jun. 1781 cit.)

[2]) Legesis quae ea de re ex „Actis Congregationis Archiepiscoporum et Episcoporum Hetruriae anni 1787" retulimus in Commentario *de rationibus festorum mob. utriusque Ecclesiae,* Cap. X. pp. 104 seq.

[3]) Eod. p. 113.

Digitized by Google

inspiciamus breviter inquirentes, utrum revera ex eo, quod S. Rituum Congregatio nonnisi de caritate Christi sub symbolo Cordis recolenda loqui videatur, inferri possit ab objecto cultus Cor verum ac proprie dictum exclusum esse?

Haec itaque ex jure notentur. Licet fortissimum sit genus argumentandi *a contrario sensu*, quemadmodum loquitur Glossa in c. *Cum Apostolica* [1]) 7. X. d. his quae fiunt a Praelat. (III, 10.) et multis probat *Barbosa Loc. commun. argument. juris: loc. 27*; invictum tamen non est, imo saepe fallit, ut patet ex c. *Quod dicitur* 4. X. de verb. signific. (V, 40.) *juncta glossa* et ex communi Doctorum sententia ad *cit. cap. Quod dicitur, antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint; sed scriptura quod factum non sit, ostendit.* Evangelista, inquit *Gonzalez* ad h. l., explicavit solum quod dubium quodque pro temporum personarumque adjunctis necessarium erat, scilicet utrum Christus ex Joseph, an vero ex Spiritu sancto conceptus esset; illud vero, quod nec quaerebatur nec dictu erat necessarium, praetermisit, nimirum Mariam cognitam non fuisse a Joseph post partum Christi, quum omnes scirent, ipsi alium filium non fuisse. Quam eandem doctrinam alii illustrant ex interpretatione catholica tum verborum Christi Domini: „*Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*“, [2]) tum effati S. Pauli Apostoli „*Non ego, sed gratia Dei mecum*“, [3]) uti videre est apud *Faure:* Biglietti confidenziali critici, Bigl. I. Ergo Doctores jure suo statuunt, in interpretandis legibus argumentandum non esse *a contrario sensu*, si probabilibus rationibus docea-

---

[1]) Verb. „*datur intelligi*“.

[2]) Joan. VII, 16. Cfr. Breviar. Roman. fer. III. infra hebdom. IV. Quadrages. ll. 2. et 3.

[3]) I. Cor. XV, 10.

Digitized by Google

tur, ejusmodi argumento locum esse non posse. — Quae si ad Decretum S. R. C. transferantur, perspicuum sane faciunt, certo sophismate obvolvi adversos interpretes ita concludendo: Decretum caritatem Salvatoris objectum cultus SS. Cordis Jesu proponit, ergo exclusum ab eo vult Cor Christi verum ac proprie dictum. Nam praeterquamquod Sacra Congregatio nulla ratione innuat, mentem sibi insedisse, Cor Christi Domini a cultus objecto excludendi, quam maxime in hujus decreti interpretationem conveniunt, quae Doctores cum Gonzalez in cit. caput *Quod dicitur* cadere tradunt, scilicet *nec dubium, nec dictu necessarium fuisse*, „cultum Cordis Jesu per omnes fere catholici orbis partes, faventibus earum Episcopis, propagatum, saepe etiam a Sede Apostolica decoratum millenis indulgentiarum Brevibus", quem S. Congregatio Missae et Officii concessione *ampliare* intendit, etiam ad Cor Jesu verum ac proprie dictum referri; contra *maxime necessarium atque ad temporum adjuncta accomodatissimum* fuisse, in ipsa hac cultus approbatione atque ampliatione solemni decreto edicere, sub sanctissimi Cordis symbolo infinitam caritatem Unigeniti Dei Filii hac devotione recoli, eamque *substantialiter eo spectare, ut* — notissima verba sunt Pii PP. VI. — *immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris Nostri meditemur atque veneremur;* accomodatissimum, inquam, id erat temporum adjunctis, tum ut dissolverentur quas *ferventioris ingenii contradictores* attulerant criminationes superstitiosae materialitatis et execrandi Nestorianismi; tum ut docerentur omnes, Sanctissimum Cor Jesu non solum propter illam universalem rationem ex hypostatica conjunctione cum Verbo petitam, qua honore infinito omnes Christi corporis partes in communi dignae redduntur, coli debere, sed vero maxime propter intimam Cordis cum amore colligationem,

Digitized by Google

ex qua fit, ut Cor tanquam symbolum amoris usurpetur; tum denique ut antiquae difficultati satisfieret, quod, si festum in honorem SS. Cordis concederetur, concedi similiter deberent festa in honorem aliorum Christi membrorum, scilicet *Cordis* Jesu festum ob peculiarem illam Cordis et amoris cohaerentiam seu ob symbolicam Cordis significationem institutum esse ac proinde ex ejus concessione nullatenus sequi, caeteris membris etiam, quae hac proprietate significativa amoris carent, festa esse danda. Patet igitur admitti in casu nostro non posse argumentandi rationem *a sensu contrario.*

Huic interpretationi Decreti an. 1765 comprobandae vindicandaeque nobis suppetunt rationum momenta ex factis desumpta. Quum enim etiam ex Theologis et Advocatis Romanis non deessent, qui regulam hermeneuticam in jure propositam non satis attendentes, quod *intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi,* ex dictionibus *Cordis symbolum* et *symbolica Cordis imago* colligi debere putarent, adaequatum objectum cultus ac festi Cordis Jesu in amore divini Redemptoris collocandum esse, Sancta Sedes novum Officium SS. Cordis pro Regnis Portugalliae et Algarbiorum approbavit anno 1799, quo Cor verum Salvatoris clarius exprimeretur: substituendo v. g. pro Invitatorio *„Christum pro nobis passum venite adoremus"* hoc aliud *„Cor Jesu caritatis victimam venite adoremus"*, et omittendo in lectione VI. quae S. R. Congregatio anno 1765 de recolendo amoris mysterio addenda curaverat necnon assumendo ex Missa *Egredimini* approbata pro Dioecesi Venetiarum [1]) orationem *Fac nos Domine Jesu.* Atque Officium alteri cultus objecto sic accomodatum

[1]) Decret. S. R. C. d. 23. Jul. 1765.

Digitized by Google

petentibus libens volensque concessit, quantumvislicet Janseniani illud foedissimis conviciis proscinderent.

Et Romae quidem fuisse, qui Decretum anni 1765 ita intelligerent, videre est tum ex libris *Camilli Blasii* et *Ant. Aug. Georgii* in Urbe impressis, tum ex thesibus theologicis sub id tempus in scholis Romanis publice propugnatis, tum denique ex mente Inquisitoris S. Officii, quae variis monitis in libris de cultu SS. Cordis Jesu agentibus relatis panditur.

Ex libris *Cam. Blasii* huc pertinent 1° *„Osservazioni sopra l' oggetto del culto nella Festa recente e particolare del SS. Cuore di Gesù an. 1765“* 2° *„Dissertatio commonitoria de Festo Cordis Jesu“* an. 1771, 3° denique *„Dissertatio commonitoria* suiipsius *interpres et vindex“* an. 1773; ex operibus *Ant Aug. Georgii* memorari debet liber *„Antirrheticus“*, quem sub nomine *Christotimi Ameristae* edidit an. 1772, si Continuat. Hist. Eccl. *Claudii Fleury* fides habenda l. 250, cum adjectis *Lettere italiane aggiunte al Antirretico.* Quas lucubrationes secutum est an. 1773 ejusdem doctrinae opusculum: *„Lettera istruttiva di un Teologo Romano ad una Religiosa sua congiunta intorno alla Devozione al Cuor di Gesù“.*

Ex thesibus Romanis tria exemplaria eam in sententiam ab oculos habemus.

Monachi S. Ord. Cisterciensis Monasterii ad S. crucem in Jerusalem inter theses publici juris factas et hanc habent sub n. XI. *Tract. de Verbo humana carne induto* pag. 16: *Cor Christi, si quo modo colendum est, coli tantum fas est ad mentem Ecclesiae, sumptum videlicet dumtaxat ad modum symboli, prout caritatem designat, qua Christus nos eximium in modum dilexit. Ast omnino reprobandus est, interque falsas Religionis species*

Digitized by Google

amandandus est cultus Cordis carnei, quem nonnulli non ita pridem loco spiritualis et symbolici Cordis Christiano populo adorandum proponere pertentarunt. Et paulo ante, h. e., an. 1773, Clerici Regulares S. Pauli, vulgo Barnabitae, in Collegio SS. Blasii et Caroli ad Catinarios, hanc propositionem typis editam propugnarunt: *Perperam prorsus tanquam objectum cultus proponitur Cor Christi carneum.* Quam eandem doctrinam iisdem ferme conceptam verbis eodem anno 1773 Monachi S. Ord. Cisterciensis arctioris Congregationis e Monasterio S. Bernardi ad Thermas Diocletiani proposuerunt in publica disputatione habita in Ecclesia S. Pudentianae.

Judicium Inquisitoris S. Officii quod attinet, videmus ex libris, qui Genuae ex typographia Gexiniana prodierunt an. 1774 et 1777, de mandato Romani inquisitoris, siquidem vera narrant Annalistae Florentini, [1]) addita fuisse monita, cultum SS. Cordis nonnisi de Corde symbolice accepto, seu de amore Jesu, juxta decretum S. R. Congregationis anni 1765, esse intelligendum.

Et ita quidem plures interpretes catholici Decretum Sacrae Rituum Congregationis accipiebant, donec Sedes Apostolica ejus sensum clarius explicaret, alterum, de quo diximus, opprobando Officium. [2]) Sed Janseniani nova hac concessione in furorem acti et Officio manifesti Nestorianismi ignominiam inferre et ejusdem auctoribus propagatoribusque turpissime maledicere pergebant, contumeliosissime in eos probrum jacientes, ipsorum fraudibus factum

1) 2. Febr. an. 1781, N. 5, pag. 39.

2) Novi hujus Officii aspectu vel ipse Camillus Blasius (quem interea beneficio ecclesiastico in basilica sancti Joannis Lateranensis donaverat Cardinalis Marefoschi, ejusdem ecclesiae Archipresbyter) in perpetuum tacitus tacuit.

Digitized by Google

esse, ut — Pontifice malitiose circumvento — Officium minime approbatum vel in lucem emissum vel in varias provincias diffusum sit. Sic prae caeteris contumeliarum verba subiere Cardinales *Boschi* et *Gerdil*, P. *Badetti* O. Praed., P. *Flaminio da Latera* O. S. Franc., necnon tres Sacerdotes *Faure, Marques* et *Mozza*, extinctae Societatis Jesu sodales, quorum opera in indice auctorum indicabuntur. [1]) Ast malignae criminationis rei convicti sunt calumniatores innumeris Brevibus ac Rescriptis Papalibus, quibus tum ipse Pius PP. VI. tum caeteri, qui eum secuti sunt, Pontifices idem hoc Officium ceu legitime

---

[1]) Ex maledictis, quibus certatum inter Jansenianos est, unum attulisse sufficiat ex Ephemeridibus Florentinis „Annali Ecclesiastici", ubi in *Cardinalem Boschi* et *P. Badetti* ita bilem effuderunt: „Il Sig. Cardinal Boschi, cui stava a cuore il veder cannonizzato nelle pubblighe Preghiere della Chiesa il culto Nestoriano al Cuor Carneo, con un attentato che ha dell' incredibile, tenne nel suo Palazzo varj congressi, a' quali intervenne tra gli altri il già famoso P. Badetti Domenicano e troppo noto per aver pubblicamente nelle sue Lezioni in Sapienza declamato contro il Card. Noris ed il P. Betti appellandoli in Theologia tyrones. Ivi fu concertato e composto un nuovo Ufizio che tutto spira Materialismo e Nestorianismo. Fu fatto stampare di soppiatto l' informe parto, ed inviato in Portogallo come approvato da Sua Santità che non è certamente venuta in cognizione dell' orditogli inganno. Noi siamo persuasi che sapendolo toglierebbe questo scandalo (24. Octob. 1783, N. 43, p. 181.)". Verum Cardinalis *Boschi*, Joan. Carol., (nat. Faventiae die 9 April. an. 1715) vir fuit virtute, literis, prudentia et rerum agendarum peritia insignis ac Pio PP. VI. ob multiplicia haec sapientiae et virtutum decora maxime carus. Multis magnis in rebus ejus adhibuit operam Pontifex tum in ordinariis Cardinalium Congregationibus, tum in negotiis extraordinariis expediendis. De universa Ecclesia bene meritus, plenus dierum et bonorum operum pie decessit Romae die 6 Septembris anni 1788.

Digitized by Google

approbatum ad varias Dioeceses et religiosas familias extenderunt. Ex Brevibus duo tantum memoramus Pii PP. VI., quae Bullario Romano inserta leguntur, et quorum altero *Officium cum Missa in honorem Sacratissimi Cordis Jesu jam approbatum pro regnis Portugalliae et Algarbiorum, audito etiam Magistro Dominico Coppola, sacrorum Rituum Congregationis secretario, universo clero saeculari civitatis et Dioecesis Majoricensis necnon religiosis et monialibus utentibus calendario Dioecesano sub ritu duplici majori auctoritate Apostolica concedit* die 7. Novemb. an. 1797; [1]) altero vero idem Officium iisdem sub clausulis, *audito Vincentio Benucci, sacrorum Rituum Congregationis pro-secretario, monialibus reformatis ordinis Sancti Augustini civitatis Pampilonensis indulget* die 10. April. an. 1798, *addita etiam facultate sacerdotibus omnibus eodem die ad sacrificandum convenientibus in earundem ecclesiam celebrandi Missam dicto Officio conformem.* [2])

Dioeceses ipsas quod spectat, quibus Pontifices alterum hoc Officium concesserunt, plures hic nominatim adducere ab instituto nostro alienum non erit, ut eo luculentius appareat, quam plena fraudis sint ac fallaciae, quae Janseniani de auctoribus ac propagatoribus Officii confinxerunt. Ex innumeris Directoriis seu Kalendariis ecclesiasticis, quae non sine aliquo labore ex variis Europae Provinciis undique conquisivimus, haec sunt, quae memoratum Officium cum respondente Missa *Egredimini* exhibent:

---

[1]) Bullar. Rom., Continuat. tom. 10, p. 122.

[2]) Eod. p. 148. Alterum hoc Breve Pontifex dedit Senis, dum „calamitosissimis temporibus a notis tempestatibus Sede Sua pulsus illic commorabatur", ut Pius PP. VII. ait eod. Bull. Rom. Cont. tom. 11. pp. 281 et 283.

Direct. Ecclesiarum Anneciensis (I. class. cum Octav.), Aquensis, Augustanae Praetorianae, Augustodunensis seu Aeduensis (I. class. cum Octav.), Bellovacensis (I. class.), Bobiensis, Brixinensis, Brugensis, Camberiensis (I. class.), Carcassonensis, Casalensis (I. class.), Catharensis, Corbaviensis (*vid.* Segniensis), Leodiensis, Luxemburgensis, Massiliensis (I. class. cum Octav. privilegiat.), Mediolanensis (Rit. Roman.), Madrusiensis (*vid.* Segniensis), Namurcensis, Nicaeensis (I. class.), Novariensis, Noviomensis (*vid.* Bellovacensis), Parentina et Palensis, Pompelonensis, Ruremondensis, Segniensis et Modrusiensis, Sibenicensis, Silvanectensis (*vid.* Bellovacensis), Tarvisina, Taurinensis, Tridentina, Vegliensis, Victoriensis (in Australia.) — Ac de defensione alterius Officii, quo verum ac vivum Cor divini Redemptoris clarius proponitur colendum, dixisse abunde sit.

Quibus ita constitutis hoc unum videtur esse reliquum, quod de altero hoc objecto cultus SS. Cordis Jesu quaeri a nobis praeterea possit, ut scilicet duas illas proprietates veri ac proprie dicti cordis distinctius explicemus, quas Frigidian. Castagnorius verbis in lemmate hujus capitis relatis apud S. R. C. in causae dictione memoravit an. 1697, cordis dignitatem, inquam, et efficaciam ad finem primarium obtinendum.

De Dignitate SS. Cordis Jesu.

Et *dignitatem alterius hujus objecti* quod spectat, eam invenimus breviter assertam in adducta Constitutione Dogmatica *Auctorem Fidei* edita die 28. Augusti an. 1794, [1]) in cujus propositione 63. solemniter edicitur,

[1]) Bullar. Rom. Cont. tom. 9, pag. 411.

Digitized by Google

sacratissimum Cor Jesu esse cultu latriae adorandum, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est.

Quae ex hypostatica hac cum Verbo Dei unione fluunt excellentiae, in defensione causae a Patre Gallifet Benedicto PP. XIII. oblata, uti fuse, ita adeo docte ac pie proponuntur, ut *Bernardinus Membrive*, Ordinis Praedicatorum, Consultor sacrae Rituum Congregationis, in publico, quod ex commissione Magistri sacri Palatii Apostolici de scriptura tulit, judicio fidenter asseveret, *sperare se futurum, ut sanguis pretiosissimus vivifici Cordis Jesu per lineas hujus operis veluti per subtilissimas arterias oppositorum corda demulceat ac omnium animos ad mutuum amorem erga divinum amatorem accendat.* Ex longiori illa disputatione prolixitatis vitandae causa ea hic attulisse satis habemus, quae de *sanctitate Cordis Jesu* rationibus docet. Haec vero argumenta sunt, quibus utitur.

„Quinto, inquit, ducitur *excellentia Cordis Jesu ex sanctitate ipsi propria.* Fide constat, Cor Jesu sanctum esse sanctitate Verbi divini, atque adeo sanctitate infinita. Sed haec sanctitas singulis corporis partibus communis est; hic peculiarem ac Cordis propriam attingimus. Circa quod haec observanda.

I. Corpus humanum animae, cui conjunctum est, sanctitatem participat: inde honos Sanctorum reliquiis debitus. Quo vero anima sanctior, eo quoque sanctius ipsum corpus: quare reliquiae Sanctorum magis insignium insigniores etiam ac pretiosiores habentur.

II. Inter omnes corporis partes, ea quae sanctitatem magis participat, ipsum est cor: inde fit, ut inter caeteras corporis Sanctorum reliquias haec pretiosissima habeatur. Ratio vero discriminis peti debet, *primo,* quia cor, cum omnium affectionum sanctarum, quibus ipsa animae sancti-

tas perficitur, cooperator suo modo sit, ac propria sedes, necesse est, ut ex illo quidem capite sanctitati magis communicet. *Deinde* (quod peculiari hic animadversione dignissimum videtur) certum est, excellentiora Spiritus Sancti dona, quae Deus eximiis ac selectis famulis suis divinitus infundere solet, in cordibus eorum praecipua quadam ratione (quoad effectus sensibiles) recipi ac contineri. Ita sane, coelestium charismatum infusiones gratiaeque impressiones extraordinariae, favores denique omnes peculiares, quibus Deus homines ad sublimiorem sanctimoniam evehit, aut jam evectis gratificatur, corda ipsorum praecipue afficere solere indubitatum est. [1]) Scilicet in cor dulcedo coelestis ac suavitas instillatur: in corde dolores et angustiae divinitus immissae sentiuntur: e corde gemitus erumpunt et suspiria: e corde languores et amoris divini deliquia enascuntur: sive contingat animum extraordinario illo divini amoris igne succendi, iisdem continuo flammis cor aduritur; sive anima vehementiori peccatorum dolore penetretur, eodem illico doloris aculeo cor trasfigitur ac laceratur; sive illa coelestibus deliciis delibuta Dei sui sacris amplexibus fruatur, aut contra, ut in vita spirituali assolet, variis angustiis, afflictionibus, moeroribus, aliisque laboribus interioribus oppressa probetur ac purificetur, iisdem omnibus affectionibus cor extraordinarie commovetur: adeo, ut ipsis Sanctis attestantibus, cuncta haec in solo corde recipi, contineri, agi, ac perfici vividissime sentiatur. Certum rursus est, non aliam in corpore nostro Spiritus sancti sensibilem sedem esse, non aliud templum, quam ipsum cor: non alibi Christus Dominus se praesentem sensibiliter reddit: non aliud in membris nostris eligere

---

[1]) Quod adductis exemplis probatum vide cap. III. alterius hujus sectionis.

Digitized by Google

domicilium solet. Quae omnia experientia ac testificatione Sanctorum adeo certa sunt, ut nemo sit vitae interioris arcanis initiatus, qui de his dubitare possit. Jam vero, quantum his omnibus Spiritus sancti muneribus, donis, gratiis, favoribus, infusionibus, impressionibus, deliciis, doloribus, in cordibus Sanctorum receptis, ipsa corda singulariter, ac miro quodam modo sanctificata maneant, eoque perfectius, quo munera illa omnia perfectiora sunt, res ipsa per se clamat, nec explicatione indiget. Ex quo demum intelligere licet, quid de sanctitate Cordis Jesu censeri debeat: cum manifestum sit, quidquid in eo gratiarum genere in Sanctorum cordibus extitit, etiamsi omnia simul in unum colligantur, nihili prorsus facienda esse, si cum divitiis Cordis Jesu comparentur. O si divitiae illae immensae, o si fontes illi uberrimi sanctitatis, o si harum praerogativarum pretium infinitum probe a fidelibus, affulgente divina luce, cognosci possent! Nihil certe desiderandum ultra remaneret ad excellentiam Cordis Jesu demonstrandam, alteque in omnium animis imprimendam."

De Efficacia alterius hujus Objecti ad Finem praecipuum obtinendum ex cohaerentia Cordis et Amoris ostensa.

Quod per symbolorum usum et generatim per visibilium cognitionem in invisibilium amorem rapiamur, res est in monumentis christianis testatissima. *Ad ignem amoris nutriendum et flatandum quodammodo*, inquit S. Augustinus, [1]) *ista omnia pertinent, quae nobis figurate insinuantur; plus enim movent et accendunt amorem, quam si nuda sine ullis sacramentorum similitudinibus pone-*

[1]) Ad inquisit. Januar. l. II. apud Migne: Patr. Lat. tom. 33, p. 214.

Digitized by Google

rentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed tamen ita se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam si verbis propriis diceretur apertissime. Credo quod ipse animae motus quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur pigrius inflammatur; si vero referatur ad similitudines corporales, et inde referatur ad spiritualia, quae illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur et tanquam facula ignis agitatus accenditur et ardentiori dilectione rapitur. Et s. Thomas de devotionis causis agens 2. 2. q. 82, a. 3. *dicendum,* ait, *quod ea quae sunt Divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus; sed ex debilitate mentis humanae est, quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota; inter quae praecipuum est humanitas Christi, secundum quod in Praefatione dicitur:* **Ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.** *Et ideo ea quae pertinent ad Christi humanitatem, per modum cujusdam manuductionis, maxime devotionem excitant; cum tamen devotio principaliter circa ea quae sunt Divinitatis consistat.* Quae si nominatim ad Cor Jesu transferantur, patet, Sacratissimo huic Corde id merito fuisse a causae patrono tributum an. 1697, ut per illud, h. e., per ejus cultum veluti *per modum cujusdam manuductionis* ardentissimam atque aeternam Divini Redemptoris caritatem recolere deberemus. *Ad excitandum amorem erga Christum Dominum efficacius objectum eligi non potest illius Corde.*

Efficacissimum autem ac maxime idoneum cor esse *objectum* ad excitandum amorem potissimum, ex eo patet, quod duo haec ita inter se apta colligataque sint, ut com-

muni populorum consensu cor nunquam non consideretur tanquam sedes amoris propria atque organum, quo se praecipue manifestet.

In Memoriali Sacrae Rituum Congregationi anno 1726 oblato teste Benedicto PP. XIV. [1]) pluribus fuit expositum, rationem festi hujus, pro quo supplicabatur, non consistere in sacratissimo Corde Jesu ipso per se *nude*, ut loquuntur, *et solitarie* sumpto, sed in Corde Jesu humanitati sacrosanctae sive divino corpori unito et consequenter uti rem unam cum anima et divina persona constituente ac uti naturali sede veroque sensibili *comprincipio,* ut vocant, virtutum omnium et affectionum interiorum Christi Domini, et signanter *immensi amoris,* quo Patrem et homines prosecutus est, ac denique uti centro dolorum omnium interiorum amantissimi Redemptoris praecipuoque loco vulneris lancea inflicti.

Sed ipse causidicus in medium adventet Cordis hanc colligationem cum amore e sententia Postulatorum sub Benedicto PP. XIII. enarrans. Ait ergo *lib. II. de cultu sacrosancti Cordis Jesu cap. 1.:* [2]) „Enim vero quid fidelibus populis exhiberi potuit ad eorum aut venerationem excitandam, aut amorem alliciendum potentius, quam Cor divinissimum et amabilissimum Redemptoris? Quae demum alia res, seu in coelo, seu in terris cogitabilis est, non modo sanctior, verum etiam dulcior et amabilior? Ad cujus nimirum aspectum subito in memoriam suavissime reducuntur, tum amor immensus, quo amantissimus Dominus homines complexus est; tum beneficia numero ac magnitudine infinita ab eo in genus humanum profecta; tum denique labores et dolores, quos nostrum omnium causa

[1]) De Servorum Dei Beatific. lib. IV. p. 2. c. 31. n. 21.

[2]) Editionis Rom. pp. 62 seqq.; Aug. 76 seqq.

Digitized by Google

toleravit. Haec enim omnia in eo sacratissimo Corde non contenta solum, sed descripta quodammodo, et quasi insculpta cernuntur. Quae, dum dicimus, si quis statim non sentiat, nae ille humano sensu plane carere judicandus est. Ego sane cum mecum ipse animo reputo, quid natura ipsa in nobis efficiat, quosve animi sensus inspiret adversus earum personarum corda, quibus nos aut ardentissimus amor conjunxit, aut gratus animus arctissime devinxit: cum exempli causa considero, quid sponsa carissima experiatur ac sentiat ad aspectum cordis sponsi dilectissimi, in pignus amoris ab eodem moriente relicti ac transmissi: quid in simili casu aulicus, aliusve subjectus ab optimo Rege beneficiis cumulatus persentiat, cui videlicet cor Regis sui ac benefactoris munificentissimi in benevolentiae monumentum sibi in morte legatum recipere contigit: quo animi affectu, qua caritate, quo amore, qua veneratione, quam illustribus grati animi testificationibus carissima illa pignora admittantur: quam decenter, quam honorifice collocentur, quanta cura ac studio conserventur: haec, inquam, cum animo reputo, pudet profecto, cum me huc adigi video, ut rationibus evincam, Cor Jesu a fidelibus venerandum et amandum esse.

Cogita igitur, quisquis haec legis, animoque revolve agi in praesentia de Corde Dei ac Creatoris nostri, Redemptoris nostri, Regis nostri, benefactoris nostri, amici, fratris, ac Patris nostri, sponsi denique nobilissimi ac dilectissimi animarum nostrarum; haec, inquam, cogita, haec animo revolve, teque ipsum tacitus consule, quid demum honoris, quid amoris, quid pietatis Cordi amantissimo ac divinissimo debeatur. Cogita, quid facturus esset populus Christianus, si contingeret Cor illud sacrosanctum, a nobis tot capitibus colendum et amandum, in nostra esse potestate. Finge tantisper ejusmodi casum,

Digitized by Google

nimirum quod in orbe Christiano peculiaris quaedam Ecclesia Cor divinissimum Jesu inter sacras reliquias sibi proprias possideat. Proh Deus immortalis, quantus demum ille thesaurus haberetur! Quam dives ac fortunata Ecclesia illa censeretur! Qua pompa, quibus gaudiis, quo Provinciarum omnium concursu ac jubilo festivitas divinissimi Cordis ageretur; quod studium peregrinorum, quae sollicitudo quaerendi, quis ardor videndi, osculandi! Hic vero jam mihi quaerere liceat, an hoc studium, hic amor, haec pietas, haec officia religionis, quae Cordi Jesu mortuo, et a reliquo corpore avulso nulloque sensu praedito deberentur, negari aequum videatur eidem Cordi viventi, sentienti, amanti: scilicet conjunctio illa, quam nunc habet cum reliquo corpore, vita ac sensus, quibus praeditum est, ejus fortasse excellentiam minuunt, minusque dignum reddunt hominum veneratione et amore? O coecitatem humanae mentis, quae haec non videat! O cordis incredibilem duritiem, quae haec non sentiat! O vim praejudiciorum stupendam, si in tam clara luce offusae menti tenebrae non discutiantur!

Unum ego duntaxat in re praesente cuperem, quod ad omnium voluntates permovendas et ad desideratum finem perducendas sufficientissimum esset; nimirum, ut fideles Cor amantissimi Redemptoris identidem contemplarentur amore ipsorum perpetuo ardens; miseriis illorum toties vehementer commotum et afflictum; toties ob peccata eorum amarissime vexatum ac contritum; in quo consilia omnia ad eorum felicitatem pertinentia suscepta sunt; ex quo tanquam ex fonte bona cuncta, quibus in praesentia gaudent, aut quae in futurum expectant, prodierunt, aut prodibunt; denique (id quod praecipua hic consideratione dignum est) tot ac tantis doloribus hominum amore oppressum, ut vere de eo affirmari possit, ipsum solum plura et

Digitized by Google

acerbiora nostri causa pertulisse, quam reliquas omnes divinissimi Corporis partes etiam simul sumptas. Certum quippe atque indubitatum apud omnes est, interiorem Christi Salvatoris passionem exteriori multo fuisse acerbiorem: passio autem illa interior, quanta fuit, tota Cordis fuit; hanc totam Cor praecipue, imo, ut verius loquar, unice toleravit: in hoc quippe sanctissimo Corde omnes animae dolores ceu in centrum quoddam confluxere. Ita sane est, quidquid tristitia illa *usque ad mortem;* quidquid derelictio Patris; quidquid contritio peccatorum immensa; quidquid timor, taedium, pavor; quidquid agonia sudore sanguineo mista acerbi, amari, crudelis, terribilis habuere seu in horto, seu in decursu passionis, seu demum in Cruce, quod certe omnem excedit fandi aut cogitandi facultatem, id totum calix fuit Cordis proprius, ineffabile illud dolorum pelagus totum in Cor confluxit: his fluctibus amaritudine quadam immensa infinitoque dolore Cor impletum et obrutum est. O si liceret statum illum afflictissimi Cordis graphice describere! O quin tibi hoc ipsum liceat Angelorum fortunatissime, cui a Deo Patri concessum ac commissum est, Cor divinissimum in agonia constitutum consolari ac confortare, ut quae tunc lugens contemplatus es, ea nunc ad nostram totiusque Ecclesiae disciplinam, et ad hujus Sacrosancti Cordis gloriam oculis mentis nostrae depingere possis! Quam facile cunctis de repente appareret, Cor Jesu, amoris divini severitati relictum, ad statum longe luctuosiorem fuisse redactum, quam ipsum corpus, militum furori tortorumque crudelitati permissum. Et hunc quidem Sacratissimi Cordis statum propheta disertis pridem verbis expresserat. *Factum est Cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.* [1]) *Impro-*

---

[1]) Psalm. 21.

perium expectavit Cor meum et miseriam. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. [1])

Haec sunt, quae a fidelibus, ut supra dicere coeperam, attentius considerari vellem; certissime confidens, his considerationibus amorem ac pietatem adversum Cor Jesu non posse non excitari ac vehementer accendi. Quid enim, si carnem Christi sanctissimam in passione pro nobis miserabiliter laceratam; si pedes, manusque amore nostri clavis fixa contemplari non possumus absque tenero pietatis sensu, quo permoti carnem illam innocentissimam plagis coopertam, pedes ac manus vulnerata veneramur, amamus, complectimur, osculamur; quo tandem pacto ipsum amantissimi Salvatoris Cor, tantis immersum doloribus, ac lanceae demum crudeli vulnere percussum et apertum, inspicere valeamus sine intima praecordiorum commotione inflammatoque pietatis studio?"

Eandem hanc naturalem Cordis cum amore atque amabilitate cognationem ipse *Frigidianus Castagnorius* jam ante triginta annos apud Sacram Congregationem praedicaverat ac Cordis tanquam *objecti auxiliaris* efficaciam ad finem praecipuum obtinendum luculento argumento a *fortiori,* ut vocant, desumpto nimirum ex officio impressionis stigmatum Divi Francisci, illustraverat. „*Neque idem Cor,* inquit, *percolendum tantummodo est, uti pars praecipua est adorabilis Corporis, sed etiam uti sedes praedicti amoris immensi Filii Dei; nam, ubi est Cor, ibi dilectio, inquit Sanctus Bernardus,* [2]) *et rationem reddit D. Thom. p. 3. quaest. 90., ac praesertim in Corde Christi, qui per os Davidis* [3]) *ex amore dicit: factum*

---

[1]) Psalm. 68.

[2]) Sermon 2. in Coena Domini.

[3]) Psalm. 21.

Digitized by Google

est cor meum tanquam cera liquescens, ut exponit s. Franciscus Salesius in tract. de Amore Dei lib. VI. cap. 12.“

Argumento autem a *fortiori* sic utitur: *„Quod si S. Mater Ecclesia ad suos filios hoc amore inflammandos eorum oculis sacra vulnera jugiter exhibet, ita ut in 6. lectione officii stigmatum Divi Francisci ad diem 17. Septemb. recolat „rem admirabilem etc. quam Benedictus Papa XI. anniversaria solemnitate celebrari voluit, quamque postea Paulus V. Pontifex Maximus, ut corda fidelium in Christi crucifixi accenderentur amorem, ad universam Ecclesiam propagavit,“ quid non efficiet imago ipsius Sacratissimi Cordis, amore hominum transverberati? de quo s. Bernardus* dixit: [1]) *Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum ipsum Cor lancea vulnerari permisit. Carnale ergo vulnus spirituale ostendit. . . . . Latus quoque et SSmi Cordis intima lancea perforaverunt, quod jamdudum amoris lancea erat vulneratum.“*

Nec minorem vim ad finem praecipuum devotionis erga ss. Cor Jesu obtinendum ipsi huic Cordi tributam legimus in Actis apud S. R. C. in Causa Beatificationis ven. Margaritae Mariae Alacoque. Ex omnibus quippe liquet, certo sperasse Pontifices fore, ut fideles aspiciendo *Divinum Cor Jesu in aperto pectore flammis incensum*

---

[1]) Vitis mysticae seu Tractatus de Passione Domini cap. 3. n. 10. Locum exhibet *Migne:* Patrol. Latin. tom. 184. p. 643. Cfr. tamen animadversionem praeliminarem de auctore libri eod. p. 635.

Digitized by Google

et spinis constrictum [1]) vehementer incalescerent tum ad recolendam Christi morientis passionem, tum ad rependendum eidem amantissimo Salvatori amorem et grati animi sensum pro tot ac tantis beneficiis, quibus ab eo cumulati sunt. Cor verum ac reale enim nunquam aliter exhibetur quam immenso flagrans amore nostri et caritatis divinae flammas quaquaversus diffundens. Quae Summus Pontifex in ipso Brevi Beatificationis habet, jam dedimus. Iis hic addere juvabit, quae Sacra R. Congregatio paulo ante editum Breve Beatificationis in *Decreto super miraculis* d. d. 24. Aprilis 1864 de venerabili virgine deque munere ipsi commisso refert. [2]) „Divinae illius caritatis igne, inquit, quem Jesus Christus in terram mittere venerat, venerabilis Margarita Maria Alacoque vehementer incensa nullum non movit lapidem, ut sacratissimi Cordis Jesu, *a quo illud amoris incendium erumpebat et quaquaversus diffundebatur,* venerationem ac pietatem in fidelium animis ubique terrarum constitueret atque ampliaret. Et quamvis haec Dei famula omnibus dum in humanis ageret virtutibus inclaruerit, tamen ardentissimus, quo agebatur, in Cor Jesu amor *studiumque impensissimum, quo ad illud redamandum omnium corda excitare satagebat,* caeterarum veluti virtutum compendium exstitit. Postquam ergo seraphicis consumpta ardoribus ad suavissimum Cordis Jesu amplexum evolaverat, voluit Dominus, ut gloriae fastigium quod ejus sponsa assecuta fecerat in coelis, signis ac portentis etiam innotesceret in terris.“

Quae omnia cum iis conveniunt, quae eadem Sacra R. Congregatio in *Decreto super virtutibus* d. d. 23. Augusti an. 1846 jam pronuntiaverat. [3]) Ibi enim spiritum

[1]) Officium B. Margaritae Mariae lect. V.

[2]) Vie et oeuvres de la b. Marg.-M. Alacoque tom. 1. pp. 568 seqq.

[3]) Eod. pp. 558 seqq.

Digitized by Google

ac scopum cultus sacratissimi Cordis Jesu a venerabili Margarita propagati tangens „*flagrantissima in Redemptorem Jesum exardens caritate,* inquit, *ad ipsius amorem Sacratissimi Cordis veneratione fideles omnes toto animo ac fervidis verbis inflammare studuit assidue, donec anhelans dissolvi et esse cum Divino sponso piissime spiritum reddidit anno 1690, aetatis suae 43.*"

Atqui haec omnia effecturam se sperabat venerabilis Dei famula ostendendo hominibus verum ac reale Cor Jesu flammis aestuans atque amore nostri lancea transverberatum. In sacratissimo Corde Jesu ergo aptissimum atque efficacissimum medium habemus, quo *flamma caritatis, qua Cor ejus ureretur, in hominum animis modis omnibus excitaretur*, uti habetur in Brevi Beatificationis ipsius Marg. Mar. Alacoque. [1])

Ut Ecclesia autem a definienda controversia abstineret, utrum Cor revera sensibile sit *comprincipium* omnium interiorum *affectionum*, an vero juxta recentiores philosophos *organum manifestationis* tantum, ita ut affectus in animae et spirituum commotione maxime positi in cerebro formentur et postea ad cor ipsum per nervos diffundantur, [2]) Sacra Rituum Congregatio sub Clemente Papa XIII. ad id consilii devenit, ut *Symboli* vocabulum eligeret. „*Sacra Congregatio,* ait, *intelligens hujus missae et officii celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam institutum et symbolice renovari memoriam illius Divini amoris, quo Unigenitus Dei filius humanam suscepit naturam et factus obediens usque ad mortem*

---

[1]) Vie et oeuvres d. la b. Marg.-Marie Alacoque tom. 1. pp. 578 seqq.

[2]) Benedict PP XIV. eam in rem adducit ***Ludovicum Antonium Muratorium:*** Philosoph. moral. typis Veronensibus edit. an. 1735, c. 2. (L. c. n. 25.)

Digitized by Google

praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde: his de causis . . . . annuendum precibus censuit." [1])

Atque eandem hanc *Symboli* vocem idem Clemens XIII. die 11. Maji ejusdem anni adhiberi jussit in lectione VI. officii sacratissimi Cordis Jesu ab ipso approbati quaeque ita terminatur: *Quam caritatem Christi patientis . . . . ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII. Pontifex Maximus ejusdem Sanctissimi Cordis quibusdam petentibus Ecclesiis celebrari permisit.* Exinde vero factum, ut communiter recepta jam sit loquendi formula, *in ipso materiali Corde D. N. J. Ch. infinitum Ejus amorem symbolice demonstrari,* prout ex gestis apud sacram Congregationem die 11. Augusti 1860 supra vidimus.

Sed propterea tamen putandum non est, ullum jam prodiisse Ecclesiae judicium de veritate unius aut alterius ex sententiis philosophicis allatis.

Interpretationem Decreti Sacrae Rituum Congregationis anni 1765 quod spectat, multa de genuino ejus sensu habet *Marquez*: *Defensio cultus Cordis Jesu,* [2]) plura longe *Mozzi: Annotationes in opus Rmi. Eppi. Fumel: „Il culto dell' amor divino“,* [3]) sed plenissime

---

[1]) Bullar. Roman. Cont. tom. 3. p. 57.

[2]) ***Marquez,*** Emmanuel, natione Lusitanus, patria Conimbricensis, adolescentulus in societatem Jesu receptus est die 23. Decemb. an. 1725. Contra Camillum Blasium ***„Defensionem cultus Cordis Jesu“*** edidit typis Venetis an. 1781, quam in catalogo auctorum indicabimus infra.

[3]) ***Mozzi de' Capitani,*** Ludovicus, domo Bergomas, parentibus patritiis natus an. 1746, Christi vexillum secutus Societati Jesu nomen dedit an. 1763. Dissoluto ordine in patriam redux cano-

Digitized by Google

omnium de eo agit *Joan. Bapt. Faure: Biglietti confidenziali critici,* necnon *Saggi teologici.* [1]) Quae vero uberiori, accuratiori, graviori disputatione ad sententiam Sacrae Congregationis exponendam sejuncta dedit et dispersa, ea sub finem alterius opusculi „*Biglietto confidenziale II.*“ in unam summam unumque fastigium paucis quibusdam corollariis complectitur, ex quibus aliqua hic adscribere non piget.

1. Saltem a temporibus Beatae Margaritae Mariae usque ad an. 1765 recepta apud Sacratissimi Cordis cultores erat devotio erga verum proprieque dictum Cor Jesu, ac pro recepto hoc cultu physici ac vivi Cordis Divini Redemptoris petitum fuit Officium cum Missa an. 1765, non secus ac factum fuerat annis 1697, 1727 et 1730.

2. Receptum hunc cultum veri proprieque dicti Cordis Filii Dei Sacra Rituum Congregatio quadruplici de causa commendavit ac probavit,

a) quod esset *per omnes fere catholici orbis partes propagatus,* idque

---

nici et archipresbyteri dignitate excelluit. Vir humanis divinisque literis egregie cultus carus in paucis fuit Pio PP. VII., a quo et Romam evocatus et in honore habitus est. Societate Jesu restituta magna hominum admiratione vitae suae cursum abrupit et quas habebat honoris et dignitatis spes maximas abjecit ac Societatem iterum complexus est, in qua et placide obdormivit die 24. Jun. an. 1813. Quae extant ab eo conscripta indicat Backer: bibliothèque des écrivains d. l. C. d. J. tom. 2. pp. 429 seqq.

[1]) *Faure,* Joan. Bapt., natione Italus, patria Romanus, natus die 25. Octob. an. 1702, vir omni disciplinarum genere probe excultus, inter praecipuos theologos Societatis Jesu saec. XVIII. numerandus est. Summis Pontificibus in honore fuit, qui etiam multum ejus opera usi sunt. Obiit Urbe veteri die 25. Aprilis an. 1779. Cfr. Backer tom. 4.: pp. 209 seqq.

Digitized by Google

b) non clanculum, sed *faventibus earum Episcopis;*

c) quod esset receptus ab *innumeris propemodum confraternitatibus sub titulo SS. Cordis canonice,* h. e. auctoritate Ordinariorum *erectis;*

d) ad extremum, quod *saepe esset a Sede Apostolica decoratus millenis Indulgentiarum Brevibus,* ad praedictas Confraternitates datis.

3. Istum ipsum cultum veri Cordis Jesu ita institutum, propagatum, laudatum Sacra Rituum Congregatio, *precibus Postulatorum annuendo*, non restrinxit, et multo minus correxit, sed vero *ampliavit,* h. e., amplum, illustrem, splendidum reddidit concessa *Officii et Missae celebratione;*

4. Simul tamen declaravit, verum hoc Cor Divini Redemptoris coli tanquam *symbolum* seu *signum illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus quod esset mitis et humilis Corde,* ac proinde rem hoc symbolo significatam, h. e. ipsam Christi caritatem etiam cultus objectum esse et quidem objectum praecipuum;

5. Quanquam verum Cor Jesu in hoc festo spectatur, ut est symbolum caritatis Filii Dei, ex symbolica seu significativa hac Cordis proprietate tamen adeo erui non potest, Cor ipsum non esse cultus festique objectum, ut imo ex ea sequatur, eodem cultu Cor esse prosequendum, quo ipsam caritatem veneramur. Rem breviter declarat Faure verbis Angelici Doctoris ita scribentis 3. p. q. 25. a 2. „Duplex est motus animae in imaginem: unus quidem in ipsam imaginem, secundum quod res quaedam est; alio modo in imaginem inquantum est imago alterius: et inter hos duos motus est haec differentia: quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quaedam, est

Digitized by Google

alius a motu qui est in rem; secundus autem *motus, qui est in imaginem, inquantum est imago, est unus et idem cum illo qui est in rem.*" Quum igitur, ita concludit Faure, symbolum hac ex parte imaginis naturam referat, motus animae qui est in Cor Jesu, in quantum est symbolum infinitae ejus caritatis, est unus idemque cum illo, qui est in caritatem ipsam, symbolo Cordis significatam.

CAPUT III.

FESTUM AB ALTERO HOC CULTUS OBJECTO APPELLATUM.

***ARGUMENTUM.** Quemadmodum in caeteris omnibus festis ad sanctissimam Christi humanitatem spectantibus festum quodlibet nomen ex objecto sensibili invenit, quod cum mysterio spirituali indivisibiliter conjunctum in objecto festi adaequato reperitur: ita et festum SS. Cordis Jesu ab elemento sensibili nomen traxit atque adeo hoc SS. Cordis titulo ceu suo certo ac proprio vocabulo nominatur, licet praecipuum festi objectum in ipso aeterno amore Divini Redemptoris atque in infinita ejus amabilitate sit ponendum.*

Quamquam objectum adaequatum cultus ss. Cordis Jesu duplici elemento constat, festum tamen a solo sensibili objecto nomen traxit. Ejus appellationis rationem breviter quidem, sed solide declarant *observationes novae de festo ss. Cordis Jesu,* quae Sacrae Rituum Congregationi Patris Gallifet suasu et opera sunt oblatae, quum Prosper Lambertini munere Promotoris fidei se jam abdicarat. Observationes vero hae sunt.

„In omnibus et singulis festis ad Christi humanitatem ejusdemque mysteria pertinentibus duplex semper objectum, indivisibiliter conjunctum reperitur: alterum *spirituale,*

Digitized by Google

sensibile alterum. Titulus autem, seu nomen festo inditum, ab objecto sensibili semper desumitur. Sic in *festo crucis* v. g. objectum spirituale est mysterium redemptionis, objectum sensibile est ipsa crux, quae fuit instrumentum redemptionis. Festum autem nomen [1]) accipit ab objecto sensibili et ex eo appellatur *festum crucis.* Eodem plane modo in *festo quinque Vulnerum* objectum spirituale est mysterium dolorum et caritatis amantissimi Salvatoris, in hujus vulneribus absconditum; objectum sensibile sunt ipsa vulnera; festum autem ab objecto sensibili dicitur *festum quinque Vulnerum.* Similiter in *festo Corporis Christi* objectum spirituale est mysterium ineffabile Eucharistiae; [2]) objectum sensibile est Corpus Christi, quod subjectum mysterii est; sumitur autem titulus festi ab objecto sensibili et vocatur *festum Corporis Christi.* In *festo Nominis Jesu* objectum spirituale sunt mysteria hoc admirabili nomine contenta, videlicet qualitates redemptoris illo expressae, [3]) objectum sensibile est ipsum nomen

[1]) ***Nomen*** proprie est vocabulum, quo singulae res appellantur et noscuntur: a ***nosco, novi,*** quasi ***notamen,*** media syllaba per syncopen subtracta. Nomen, inquit Cicero, est, quod unicuique personae vel rei datur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appellatur ac monstratur. ***Invent. I. 24.*** Ab ipso vocabulo autem distingui mysteria debent, quae sub eo latere possunt.

[2]) Ad ineffabile hoc mysterium Eucharistiae pertinet, quod in eo recolitur memoria passionis Domini, mens impletur gratia, futurae gloriae pignus datur, atque unitatis et pacis dona mystice designantur, quemadmodum ***Faure*** pluribus ostendit: ***Biglietto confid. I.***

[3]) Sanctum ***Jesu*** Nomen, inquit Benedict. XIV., omnia ea complectitur nomina, quibus Prophetae usi sunt, ut venturum Messiam praenuntiarent, id est: Is. cap. 7: ***Et vocabitur nomen Ejus Emmanuël,*** et cap. 8: ***Voca nomen Ejus accelera, spolia***

Digitized by Google

Jesu; [1]) festum autem ab objecto sensibili vocatur *festum Nominis Jesu.* In *festo Passionis Domini* objectum spirituale est mysterium divinae misericordiae, justitiae sapientiae, caritatis caeterarumque divinarum perfectionum in ea passione relucens; objectum sensibile est humanitas Christi Domini omni dolorum et humiliationum genere oppressa, plagis ac sanguine a planta pedis usque ad verticem cooperta; festum autem ab objecto sensibili dicitur *festum Passionis Domini.* Idem de aliis omnibus festis ad Christum pertinentibus ab Ecclesia constantissime observari, unusquisque, si festa singula percurrat, facile advertet.“

„His praemissis, quis jam est, qui *naturam festi Cordis Jesu* tum secundum revelationem a Christo primitus factam, tum prout id festum in tot provinciis jam celebratur, paulo attentius perpenderit, quin non simul sentiat, sub nomine Cordis Jesu, uti in seipso amabilissimi, ita etiam hominum quantumvis ingratissimorum amantis-

---

detrahe, festina praedari, et cap. 9. *Vocabitur nomen Ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps Pacis,* et Zachar. cap. 9: *Ecce vir, Oriens nomen Ejus.* Omnia enim nomina haec, quae Dei Filio imponenda Prophetae praenuntiarunt, cum ad salutem, cujus Dei Filius nobis auctor futurus erat, aliquo modo referri possint, propterea omnia in nomine Jesu continentur, cui inest vis omnis, potestas, causa et totius nostrae salutis ratio. . . . „In omnibus commemoratis nominibus, ait S. Bernardus, unum illud nomen Jesu invenies, sed expressum quodammodo et effusum.“ Sed ipsum consule *Benedict. XIV.: De Festis D. N. J. Ch.* part. I, §§. 83 seqq. ubi tota haec materia solide et erudite pertractatur.

[1]) Hoc est: ipsum vocabulum *Jesus,* quod Christum Dominum monstrat ac notat.

Digitized by Google

simi, nihil aliud, quam *festum tum amabilitatis Jesu, tum amoris* ejusdem in homines, utut ingratos intelligi? Cum autem Cor Jesu amabilitatis et amoris naturale symbolum sit, imo hujus sedes ac fons sensibilis habeatur sitque simul quasi centrum dolorum interiorum ab amantissimo redemptore ex ingrato hominum animo perceptorum, sane Cor ipsum congruentissime pro objecto sensibili ejusdem festi proponitur. Itaque in *festo Cordis Jesu*, ut in caeteris omnibus, duplex objectum considerari debet: unum spirituale, alterum sensibile; spirituale est tum ipsa amabilitas Jesu intrinseca, tum ejusdem amor erga homines etiam ingratissimos; sensibile est ipsum Cor Christi amabilitatis et amoris uti sedes, ita et fons ac naturale symbolum. Festum autem ab objecto sensibili, ut in aliis festis usuvenit, vocatur *festum Cordis Jesu.* Et vero amorem (idem est prorsus de amabilitate) praecipuam quandam habere cum Corde cognationem, adeo certum est, lumine ipso naturali dictante, ut non solum apud philosophos, sed apud omnes homines ratione utentes, Cor pro symbolo amoris propriissimo exhibitum semper fuerit. Nam ad amorem oculis repraesentandum communi omnium nationum civilium consensu repraesentatur cor flammis succensum. Item apud omnes populos cor pignus amoris pretiosissimum aestimatum semper fuit: si quis enim moriens certissimum sui amoris testimonium relinquere velit, relinquit Cor. Denique tanta est in communi hominum aestimatione cordis cum amore et amabilitate conjunctio, ut ad significandam horum magnitudinem, vim et teneritatem, ipsa cordis vox adhibeatur: *cor meum, corculum meum, viscera mea;* his enim verbis et amor et id, quod amabile est, exprimitur: quasi cor cum amore et eo, quod amabile est, una sit eademque res. Sane amor (cum intensior paulo est) cor ita replet, ita possidet,

Digitized by Google

suumque in illud suavissimum imperium ita exercet, ut in eo stupendos quandoque effectus producat. Quod de amore divino (ut amatorum profanorum exempla omittamus) constat Sanctorum experientia, in quorum Cordibus effectus admirabiles ardor ille divinus produxit, ut in Corde Philippi Nerii, [1]) Gertrudis, [2]) Catharinarum Genuensis [3]) et Senensis, [4]) Stanislai Kostkae, Theresiae, [5]) Henrici

---

[1]) „Illo nos igne Spiritus sanctus inflammet, quo beati Philippi cor mirabiliter penetravit." Miss. s. Phil Ner. secret.

[2]) In corde S. Gertrudis suae stigmata passionis Jesus impressit, uti legitur in ejus vita lib. 2. c. 4.

[3]) Sanctae Catharinae Genuensis Cor tanto amoris incendio jugiter ardebat, ut partes tum pectoris tum dorsi cordi respondentes sensibili vulnere quasi sauciatae apparerent (vitae c. 37.)

[4]) Catharinae Senensis cor Dominus cum suo commutare dignatus est, qua de re exstat Raymundi narratio inferius relata Sect. III. c. I, §. 1.

[5]) Tanto divini amoris incendio cor ejus conflagravit, ut merito viderit Angelum ignito jaculo sibi praecordia transverberantem (*Breviar. Rom.*); quod ipsa enarrat his verbis relatis in *officio transverberationis cordis S. Theresiae* die 27. Aug. Propr. Carm. lect. V. „Aspiciebam Angelum in manibus gestare longum jaculum aureum, et in extremo cuspidis parum ignis: jaculo autem non semel cor meum transverberabat usque ad viscera.... Erat quidem tam vehemens dolor vulneris, ut me compelleret in gemitus iteratos prorumpere; et adeo excellens suavitas, quam in me hic dolor intensissimus efficit, quod desiderabile non sit ut auferatur, nec animae quidquam placeat nisi Deus ipse." Quibus in lect. VI. ejusdem officii haec adduntur: „Cum illius Cor incorruptum ac Transverberationis signis decoratum in Ecclesia sanctissimae Incarnationis Ordinis Carmelitarum Excalceatarum Albae repositum frequenti et pio concursu Christifideles in praesentem usque diem venerentur, iis omnibus inspectis Benedictus XIII. Pontifex Maximus solemnitatem hanc ad recolendam insignis prodigii memoriam in eodem ordine quotannis celebrari concessit."

Digitized by Google

Susionis, Rosae Limanae, Margaritae a Cortona, Magdalenae de Pazzis, [1]) Petri de Alcantara [2]) etc. Confirmantur haec omnia ex ipsa sacra Scriptura et Ecclesiae locutionibus, quae passim Cor pro amore sumunt, ut patebit obvios Scripturae textus, aut Ecclesiae orationes et hymnos inspicientibus. Nimirum omnibus gentibus et linguis Cor aliquid amoris significat, ut adeo, quando *festum Cordis Jesu* nuncupamus, nobis nihil aliud significet, quam *festum Jesu et amabilissimi et amantissimi hominum* etiam ingratissimorum, et amori suo praesertim in sanctissimo amoris sacramento minime respondentium."

Corollarium.

Cultus SS. Cordis Jesu respectu objecti potissimum tres amoris actus complectitur, ex quibus tamen plurimi alii sponte sua fluunt. Primo enim immensae divini Re-

---

[1]) Inter admiranda profusissimae in se Divinitatis munera, quae, ut ait *Aloysius Guerra:* Epitome Pontificiarum Constitutionum tom. 1, p. 88, credi quidem debent, sed describi vix possunt, in Bulla Canonizationis an. 1670 Clemens PP. X. et illud, recenset, quod *sponsus coelestis eam divino suo Corde muneratus illius Cordi VERBUM aureis, CARO FACTUM EST sanguineis notis per manus s. Augustini inscripsit.* Cfr. Magn. Bullar. Roman. Edition. Luxemburg. t. 11, p. 3. Quod miraculum in Offic. propr. Carmelit. hymnus ad Matutin. his verbis memorat:

Scriptoris Augusti manu
In Corde descriptum suo
VERBUM CARO FACTUM EST legit
Verbumque grande intelligit.

[2]) Sancti Petrus de Alcantara, Stanislaus Kostka aliique ejusmodi bene multi effectus divini amoris adeo vehementes in cordibus senserunt, ut ardores pectoris ex amoris flammis e corde prodeuntibus concepti aëre frigido captando aut aqua ingesta temperare necesse fuerit.

Digitized by Google

demptoris in nos caritati vicem rependere ac Cordi Jesu nostri amantissimo *amorem redamantem* debemus; deinde vivo ac vero Cordi Christi Salvatoris ob infinitas suas perfectiones in seipso amabilissimo *amorem appretiantem super omnia* praestamus; ad ultimum Cor Jesu et nostri amantissimum et in se amabilissimum, a duris tamen et ingratis hominum cordibus neque amatum, neque redamatum, quin injuriis etiam quotidie lacessitum *amore poenitente* prosequimur, h. e., dolore et detestatione amorosa tot ingratitudinum, praesertim circa sanctissimum amoris Sacramentum. Quae si praestiterimus, votis Sedis Apostolicae respondebimus, quae hoc festo *praebere voluit incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor Jesu,* [1]) ut sic variis amoris exercitiis *ad hoc tandem deducerentur, ut jam in semetipsis sentire possent, quod et in Christo Jesu,* qua in re Acta apud Sanctam Sedem alio in loco finem fest reponunt. [2])

---

[1]) Cfr. supra pag. 61.
[2]) Gallifet, P. II, p. 133. edit. Roman.

Digitized by Google

SECTIO III.

AUCTORITATES ADDUCTAE APUD S. R. CONGREGATIONEM.

CAPUT I.

A FRIGIDIANO CASTAGNORIO ANNO MDCXCVII.

ARGUMENTUM. *Quamvis solemnior cultus SS. Cordis Jesu originem habet a revelationibus Beatae Margaritae Mariae factis, tamen actis retro saeculis plurimi sancti et summi viri floruerunt, qui sacratissimum Christi Cor insigni pietate animi venerati sunt cum reciproco et miro amore ipsius Christi Domini, et caeteros hac devotione imbuere sategerunt. (F. Castagnor.* in Memorial. an 1697.) *Eorum sententiis in medium prolatis sensus communis Ecclesiae paucis obtutui praesentatur.*

§. I.

Auctoritates allatae in Memoriali S. R. Congregationi oblato.

A. Notitia praeliminaris Auctoritatum, quae in cit. Memoriali ab advocato causae adhibitae in Breviario Romano non referuntur.

Ut in alio Commentario ad usus auditorum nostrorum accomodato, [1]) sic etiam in ea quam hic tractamus materia plenioris notitiae auctorum seu testium causae nobis fuere tres: *prima,* ut, quemadmodum incredibili nostro hoc saeculo contentione docti viri optimarum quarumque facultatum bibliothecas *notitiasque auctorum* ad levandum

---

[1]) De Computo Ecclesiastico p. 164.

Digitized by Google

studiosorum laborem concinnarunt, ita nos quoque hoc sacrarum disciplinarum cultoribus praesidium compararemus; *secunda*, ut in illorum, qui ad hanc materiam diligenter ac penitus cognoscendam curas studiaque adjungunt, commodum atque utilitatem libros auctoresque ad id consulendos pro instituti ratione accurate designaremus; [1]) *tertia*, ut quod alias in academicis disputationibus imperiose poscere solemus a studiosis, *ne sc. ignotum auctorem* memorent, illud etiam in academiis de ss. Corde Jesu jure quodam nostro postulare possemus, qua sane methodo nihil efficacius esse comperimus ad uberem utilitatis fructum ex communibus disputationibus capiendum. Quibus omnibus in praesens accedit, quod in actis apud Sacram Congregationem agatur de auctoribus vel aliis personis, qui tanquam *testes* producuntur; nemo autem admitti ad ferendum testimonium potest, nisi posteaquam probitate ac scientia dignum se probavit, qui in judicio recipiatur.

Sanctis Breviario Romano insertis, utpote testibus omni exceptione majoribus, tutam fidem esse, merito ut concessum sumimus. [2]) Hinc praeambula haec exegesis in qualitates testium ab Advocato causae apud Sacram Rituum Congregationem allatorum brevi notitia illarum personarum continetur, quas praeter Sanctos Breviarii Romani patronos cultus divini Cordis Jesu Memoriale citat: omissis scilicet Sanctis Breviarii Romani. Unum excipiendum ducimus S. Franciscum Salesium, cujus auctoritate in tota

---

[1]) Praecipuos auctores non citatos apud S. Congregationem, qui devotionem cultus ss. Cordis Jesu illustrarunt, exhibebit index auctorum in fine commentarii.

[2]) Dies, quibus Sancti in Breviario Romano referuntur, cum paucis quibusdam sub manu natis annotationibus margini textus adscribemus.

Digitized by Google

causae dictione adeo feliciter nitebatur advocatus, ut ea et apud promotorem fidei maximi ponderis esset et apud ipsos judices tuendis ritibus praepositos plurimum valeret. Igitur haec pauca de multis laudatissimi viri ornamentis referre, maxime ex Bulla canonizationis,[1]) ab instituti nostri ratione alienum non erit.

S. Franciscus Salesius.

S. Franciscus Salesius, genere et natalibus Allobrox, Episcoporum gemma, doctrina celebris, sanctitate admirabilis, aetati suae contra haereses medicamen praesidiumque,[2]) natus Annessiaci in Sabaudia anno 1567, ab ipsis incunabulis nobilitate conspicuis pietatem hausit. Primam aetatem Lutetiae in Claromontano S. J. collegio transegit virtute ac pietate singulari, ut omnes quid eximium de eo praesagirent. Exinde voto perennis virginitatis in Aede S. Mariae Graecorum nuncupato[3]) eoque veluti pharmaco salutari roboratus ad Jurisprudentiam capessendam accessit Patavium, ubi non unam sensit voti opem elusis artibus nonnullorum condiscipulorum, qui per impudentiam illi obtulerant impudicarum mulierum illecebras, quas et saliva in illarum faciem conjecta et mente constanter repugnante dejecit — glorioso de lascivia ac procacitate triumpho.

---

1) Bulla canonizationis S. Francisci de Sales, ab Alexandro PP. VII. edita XIII. Kal. Maji an. 1665 extat in Magno Bullario Roman. tom. 6, pp. 221 seqq. edit. Luxemburg. an. 1742.

2) Bulla canoniz. §. 2.

3) Janseniani laudum s. Francisci obtrectatores ut erant, quum famam ejus virtutis atterere non possent, gloriam hujus voti saltem studiose minuebant in Congreg. Florent. AEpporum. et Epporum. an. 1787, inter alia dicendo: „Sanctorum prudentiae magis convenire, si Sanctus illud votum tunc non emisisse dicatur." (Tom. III, pp. 391 seqq.)

Digitized by Google

Absoluto studiorum curriculo ac Lauretana domo pie visitata Romam se contulit, ut antiquae ibi vigentis pietatis vestigia recognosceret atque novis moribus exprimeret; et, nactus par suae religioni ac fidei theatrum, traxit e coelo incredibilem spiritum ad perficiendam omni ex parte molem sanctitatis ab infantia inchoatam, et in juventutis aestu non modo conservatam, sed auctam. [1])

Sui et mundi victor in patriam redux, coelesti prodigio motus, a saeculari vitae genere ad Ecclesiasticum transiit, et studiis theologicis imbutus sacrisque initiatus, in concionibus ad populum habendis atque in Calvinianis praesertim ad Ecclesiae orthodoxae castra revocandis emicuit. Incredibile, dictu, quo animi ardore qua pectoris constantia, qua mentis alacritate, quam firma in Deum fiducia, quam robusta in proximum caritate pugnaverit ac vicerit, [2]) ut adeo amplius 70 millia haereticorum Ecclesiae subjecisse sit fama vulgatum. [3])

A Summo Pontifice Clemente PP. VIII. adire jussus *Theodorum Bezam* et cum solo solus agere, ut ea ove ad Christi ovile reducta complures aliae revocarentur, Genevae non sine vitae periculo cum Beza congressus eum adeo inflexit, ut nisi ex scelere, arcano Dei judicio, indignus fuisset, ad Ecclesiam rediisset, et quam veram agnoscebat Religionem catholicam facto etiam amplexus et ore professus fuisset. [4])

Haec et alia in Rempublicam Christianam studia et merita effecerunt eum Genuensem Episcopum, Claudii Garnerii antecessoris voluntate et Clementis PP. VIII.

---

[1]) Bulla cit. §. 3.
[2]) L. c. §. 4.
[3]) L. c. §. 14.
[4]) L. c. §. 6.

Digitized by Google

gratia, qui eum his verbis Roma dimisit: *Vade fili, et bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras, in plateis aquas tuas divide.* [1])

Igitur hoc ornamento tanquam novo et potentissimo praesidio instructus — laxatis universis habenis caritati — in omne studium amplificandae Religionis catholicae, haeresis imminuendae, pietatis alenda esese effudit. [2]) Variis inde legationibus, [3]) Monasteriorum reformationibus, [4]) religiosorum ordinum institutionibus [5]) et miraculis inclaruit. [6])

Ex ejus caritatis officina egregia illa volumina prodierunt stylo sancto lacteoque calamo conscripta, quorum documentis irrigata populorum ac nobilium virorum pectora affluentem Evangelicae vitae messem peperere quaeque etiamnum piorum omnium manibus teruntur. [7]) Ex hujus etiam caritatis altissima disciplina emanarunt leges tot sodalitatum, praesertim Ordinis Sanctimonialium Visitationis B. Mariae, quem non sine coelesti instinctu a sancto fundatore eo fine in Ecclesia Dei fuisse institutum, ut sacratissimum Cor Jesu coleretur, gravis est traditio nascentis Ordinis coaeva, ut supra narravimus. [8]) Ex hujus demum caritatis fonte plane perenni fluxerunt epistolae illae melle dulciores, quibus animas fidei curaeque suae commissas ad cultum, amorem, imitationem Sacratissimi

---

1) L. c. §. 7.
2) L. c. §. 8.
3) L. c. §. 9.
4) L. c. §. 10.
5) L. c. §. 15.
6) L. c. §. 16.
7) L. c. §. 15.
8) Pag. 27. Conf. „*Vie et oeuvres de la B. Marguerite Marie Alacoque*“, tom. 1, p. 229.

Digitized by Google

Cordis Jesu continenter adducebat, quasque postulator Causae nomine Sanctimonialium Visitationis ac Reginae Angliae, Serenissimae ipsarum Patronae, apud S. R. C. prae caeteris in medium protulit anno 1697; tanti eas ad universi negotii eventum fore confidit. Coelo insertus est anno 1622, aetatis 55. Apostolici viri merita brevi encomio *Praefatio propria* complectitur, quam Summus Pontifex pro missa ipsius sancti propria (in universis Ecclesiis Sanctimonialium Ordinis Visitationis B. M. V.) concessit die 18. Junii an. 1847 et in qua legimus . . . . . *per Christum Dominum Nostrum: Qui Ecclesiae suae beatum Franciscum Pastorem juxta Cor suum suscitavit, ut scriptis, sermonibus et exemplis pietatem corroboraret, et aspera converteret in vias planas: quique illum suo lenitatis spiritu tam mirabiliter adimplevit, ut non solum indurata peccatorum corda ad poenitentiam flecteret, sed et rebelles tot haereticorum mentes ad fidei catholicae unitatem revocaret; et ideo cum Angelis. . . . .* [1])

Plures scriptores sancti Francisci Salesii laudes literarum monumentis consignarunt, ex quibus non piget heic adducere epitaphium, quod ei posuit Renatus Faber, Senator Sabaudus et Gebennensis Praeses.

Aeternitati: Hic obdormivit Illustriss. et Reverendiss. D. FRANCISCUS DE SALES, Episcopus Gebennensis, natalibus, verbis, operibus, scriptis toti orbi clarus et carus; integer corpore et moribus; integer integras virtutes, easque semper easdem habuit, semper idem. Omnium amans, et amor ipse, Principum deliciae, Populi parens, Episcoporum decus ac Lumen et vere Christi

---

[1]) **Recueil des Brefs, Décrets et Rescrits émanés du Saint-Siège en faveur de l'ordre de la Visitation - Sainte - Marie. Annecy 1852. Bourdet. (Pag. 91 seqq)**

Digitized by Google

Apostolus. Si plura vis scire, non haec, sed sua scripta consule et acta, imo et totum orbem, nunc totum orbum. Sicut in vita se tegere atque sic protegere, ita ut post mortem se etiam tegeret, in hac aedicula se tegi voluit. Obdormivit in Domino Lugduni, die 28. Dec. anno 1622.

Sed praeter Sanctos Breviario Romano insertos cultus SS. Cordis Jesu testes ac patroni in Memoriali anni 1697 proferuntur:

1. Ex ordine S. Benedicti.

a) *S. Mechtildis,* sanctae Gertrudis in saeculo soror, in religione sodalis, in dignitate socia. Floruit saeculo XIII.

Ambae virgines, Comitissae *de Hackuborn,* Islebii, in comitatu Mansfeldiensi, illustrissimis parentibus natae, ab incunabulis angelicae vitae rationem inieruut et literis humanioribus ac divinis excultae ad eam doctrinae excellentiam pervenerunt, quam eruditissimi quique snspicerent. Eximia fuit earum contemplatio, in qua multis revelationibus ac visis coelestibus a Deo illustratae, eodem inspirante, imo et jubente, libros divinae plenos sapientiae conscripserunt, de quibus late agit *Ziegelbauer: Histor. rei literariae O. S. B., Part. III., c. 5, §. 10.* [1])

b) *Ludovicus Blosius,* Belga, Abbas Laetiensis Monasterii O. S. B. in Hannonia, asceseos Magister praestantissimus, claruit saeculo XVI. Collapsam apud suos veterem disciplinam instauravit, ac multis conscriptis libris orbem ita implevit, ut et Carolus V., Caesar, et Philippus II. Rex, et religiosi viri eos prae caeteris lectitarint. Sanctissimis moribus atque omnigena vir doctrina usus sancti Ignatii de Loyola per literas familiaritate, eum in

---

[1]) Tom. 3. pp. 510 seqq.

pietatis negotiis identidem consuluit teste *Miraeo.* [1]) Cessit e vita an. 1566, aetatis suae 59. E multis locis, in quibus peritissimus hic spiritualium rerum scriptor ss. Cordis Jesu cultum et praxim commendat, observatu maxime dignum est *cap. 9. Institutionis spiritualis*, ubi *Apostolatum Orationis* docet, non obscure sc. praecipiendo, ut omnes intentiones ss. Cordis Jesu nobis proprias faciamus atque omnes nostras orationes, actiones et dolores pro iis intentionibus offeramus, pro quibus ipse Christus Dominus continuo orat seque in sacrificium offert, nempe *ad laudem Dei aeternam et ad totius Ecclesiae suae salutem*, uti habet *§. Asceta cap. cit.* [2]) Vitam Blosii vide in *Actis Sanctorum* apud *Bolland.* ad diem *7. Januarii.* Tom. I. pp. 430 seqq.

c) *Benedictus Haeftenus*, Ultrajectinus, Praepositus Affligemii in Brabantia, primaevam et strictiorem regulae Benedictinae observantiam ibidem anno 1627 recepit. Vir fuit a doctrina, pietate, prudentia morumque elegantia commendatissimus scripsitque praeter alia *Scholam Cordis*, editam Antverpiae an. 1629 et Germanice Ingolstadii an. 1652. Meritis gravis piissime obiit 31. Julii an. 1648, aetatis 60, dignitatis 32. Egregiis doctissimorum virorum elogiis Haeftenum ornatum vide apud *Ziegelbauer: in Hist. rei lit. O. S. B. Part. III. c. IV. §. 7.* [3])

2. Ex ordine Carthusiano.

Joannes Justus Lanspergius, Bavarus, Ordinem Carthusianorum Coloniae professus, suis prope Juliacum magna cum laude pietatis et eruditionis diu praefuit. Conscripsit plura *ascetica*, quibus nihil ad homines a cura mortalium

---

1) De scriptoribus saeculi XVI. c. 85.

2) Pag. 429. edition. Colon. an. 1751.

3) Tom. III. pp. 377 seqq.

Digitized by Google

rerum abducendos atque ad coelestis patriae amorem inflammandos inveniri potest aptius. In his sunt *Pharetrae divini amoris affectivi variis exercitiis precationibusque longe piissimis refertae,* comprehensae libris II. Cum non vulgari sanctitatis opinione expiravit Coloniae an. 1539.

8. Ex ordine Cisterciensi.

a) *S. Lutgardis,* Virgo, quae ex ordine Benedictino ad Cisterciensium reformationem *Deipara Virgine congratulante migrans,* ut habet *Menologium Cisterciensium* [1]), admirandis virtutibus effulsit et multis revelationibus nobilitata ac spiritu prophetico plena ad coelos evolavit an. 1246. Cfr. Breviar. Cisterciensium ad d. 16. Junii.

b) *Joannes Bona,* oriundus a Mondovi, urbe Pedemontii, Ordinis Cisterc. reformati, Congregationis Fuliensis praepositus generalis, S. R. E. Cardinalis, floruit saeculo XVII. Virum non magis dignitate quam scriptis ac pietate clarissimum satis norunt eruditi omnes. Praesul vere Eminentissimus, immortalitate dignus, ad laborum praemia evocatus est anno Christi 1674 die 28. Octob. aetatis suae 65. Ejus vitam eleganter scripsit gallice P. Dom. Lucas Bertolet, ejusdem Ordinis reformati praepositus provincialis. Ex operibus Cardinalis Bona apud S. R. C. a Frigidiano Castagnorio affertur *Via Compendii ad Deum per motus anagogicos et orationes jaculatorias:* [2]) opus, judicio Romani censoris [3]) spiritualis vitae amatoribus utilissimum, quum in eo miro modo ac singulari methodo digestum tradatur, quidquid in hac materia

---

[1]) Apud Henriques ad diem 16. Jun.

[2]) Edit. Colon. Agrippin. an. 1716.

[3]) Michaël. de Alcantara, Vicar. General. Ord. B. M. de Mercede Redempt. Capt., plurium ss. Congregationum consultor.

sparsim congestum est a sanctis Patribus et aliis arcanae hujus Theologiae Professoribus.

4. Ex ordine Carmelitarum.

Joannes a Jesu Maria, Hispanus, patria Calaguritanus, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum praepositus generalis, eximiae eruditionis, prudentiae atque innocentiae vir, in severiorem disciplinam regularem asserendam summo studio in Hispania atque in Italia incubuit. Plures post se reliquit libros doctrinae fructuosissimae eruditionisque piissimae, qui magno loco semper fuerunt apud Bellarminum, utpote qui eos, quando per otium licuit, assuevisset lectitare. Obiit an. 1614 in coenobio Tusculani oppidi quod Frascati appellant. Virum hunc insignem pro meritis celebrant post *Joan. Marquez* in vita ven. *Alphonsi ab Horozco* (qui auctor fuit Joanni nostro, ut rigidiorem reformatorum Carmelitarum disciplinam amplecteretur) et *Franc. de Sancta Maria in Historia Ord. Carmelit. reformat.*; *Nic. Antonius in Bibliotheca Hispana nova* tom. I., p. 714 et *Miraeus de Scriptoribus* saec. XVI. c. 249.

5 E tertio ordine S. Francisci.

S. Elzearius, seu Eleazarus comes Arriani, in regno Neapolitano, dum Parisiis pro Roberto Siciliae Rege oratorem agebat, ad Christum migravit die 27. Septembris an. 1323, aetatis 38. Is cum beata Delphina conjuge sua raro exemplo virginitatem illibatam conservavit atque in vita et post obitum miraculis clarus ab Urbano PP. V. in sanctorum catalogum relatus est. Cfr. praeter Martyrologium O. S. Francisci et Surium ad d. 27. Sept. Raynald. continuat. ad an. 1323, n. 68. [1])

---

[1]) *S. Elzearius* imprimis justam habet venerationem apud eos, qui pueros ad vitae honestatem et bonas artes instruunt. Datus

6. Ex ordine Praedicatorum.

a) *Thomas de Cantimprato*, Leuvis s. Petri, celebri Brabantiae municipio natus, primum fuit canonicus regularis *in Cantimprato*, ad muros Urbis Cameracensis (unde et cognomen accepit); post ordinem Praedicatorum ingressus ac Coloniam profectus ibidem Albertum Magnum per quatuor annos audivit, vir ob eximiam pietatem et ardentem animarum zelum *Beati* titulo insignitus. [1]) Extinguitur circa an. 1270. Plura egregia opera conscripsit, e quibus advocatus apud S. R. C. citat *Vitam Piae Lutgardis virginis sanctimonialis Ordinis Cisterciensis, in Monasterio Aquiriensi*. Extat inter Acta Sanctorum apud Surium et apud Bolland. ad diem 16. Jun.

b) *Henricus Suso*, natione Suevus, a vitae sanctimonia piisque ab eo scriptis libris notissimus, excessit Ulmae an. 1365. Laudum et vitae ejus compendium complexus est *Quetif.: de scriptoribus Ord. Praed.* [2])

---

quippe erat a Roberto, Rege Siciliae, ob singularem virtutum splendorem praeceptor Carolo, Duci Calabriae, Siculi regni haeredi, ut eum probis moribus perpoliret. Neque irrita a viro sancto impensa opera; quum enim Carolus, juvenili abreptus levitate, obscoena verba fundere et lascivire solitus, ab Elzeario correptus esset, ita illius monita impressit pectori, ut postmodum pudicitiae legibus fraenaret ora neque impuros magna procerum admiratione a suis sermones laxari pateretur. Deinde Lutetiam legatus ut uxorem Carolo alumno suo ex stirpe Gallica regia compararet, prudenter munere perfunctus est: medio in regalis aulae luxu divinis rebus transfundere animum solitus. Quo tempore ad alias coelestes agni nuptias vocatus piissimo exitu ad immortalitatem migravit. Quae omnia post Surium, Baronium aliosque complexi solide, copiose, diligenter sunt Bolland. in Actis SS. ad diem 27. Septembris.

[1]) Jac. Quetif.: Scriptores Ordinis Praedicatorum tom. 1. pp. 250 seqq.

[2]) Tom. 1. pp. 653 seqq.

Digitized by Google

c) *Raimundus de Vineis, a Capua* vulgo dictus, quod in ea Urbe natus, ex nobili *de Vineis* agnomine nuncupata familia ortum habuit. Scientia eruditioneque clarus sacras variis in locis publice docuit literas. Pietate vero disciplinaeque regularis studio adeo eminuit, ut, teste *Quetif.*, [1]) in annalibus ordinis sui *Beati* titulo vulgo decoretur. Sanctam Catharinam Senensem familiarem habuit eique coelitus datus est a confessionibus. Omnium arcanorum sanctae Virginis conscius vitae ejus historiam copiosissimam simul et fide dignissimam scripsit partim ex notitia per ejus confessiones et plurium annorum convictum hausta, partim ex oculatorum testium asseveratione, partim ex primi ejus confessarii scriptis. Eam exhibent Surius et Bolland. ad diem 30. April. Raimundus, ceu vir in agendis peritus et solers variis fuit ad principes et regna legationibus a Summis Pontificibus implicitus, quo in munere dicitur etiam immortuus Norimbergae in Germania an. 1339.

7. E Societate Jesu.

a) *Cornelius a Lapide,* natione Belga, patria Eburo, doctrinae sacrae lumen in paucis clarissimum, Romae concessit naturae an. Christi 1637, aetatis suae 70. Sacram linguam Lovanii et divinas literas plus annis viginti publice docuit, unde Romam accersitus easdem ibi summa cum celebritate nominis complures annos interpretatus est ac doctissima, quae ingenii sui reliquit, monumenta confecit. Fuit in eo non minor animi demissio morumque religiosissimorum sinceritas, quam ampla rerum sacrarum eruditio. Cornelii vitam plures scripserunt, e quibus legi potest *Alegambe in Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu.*

---

[1]) Opere cit. tom. 1. p. 680.

Digitized by Google

b) *Hadrianus Lyraeus (van Leyere),* Antverpiensis, senatoria familia oriundus, in concionandi munere 30 annos maxima cum laude posuit Bruxellis et ad extremum usque spiritum perseveravit. Ejus est opus *De imitatione Jesu patientis*, e quo exemplum s. Clarae in Memoriali citat causae Patronus. Excessit e vivis Bruxellis 5. Septembris an. 1661, aetatis 73, bonis operibus plenus.

c) *Bernardinus de Villegas*, Hispanus, patria Oropesanus, aetatis anno 15. Societatem J. complexus Christi vero 1607, philosophiam ac deinde Theologiam multos annos cum approbatione docuit. Vir fuit ingenii excellentia morumque integritate praestans. Obiit Matriti 16. Decemb. an. 1639. Hispanice scripsit praeter plura alia, quae percensent *Nic. Antonius in Bibliotheca Hisp. nov.* [1]) et *De Backer Biblioth. des écrivains d. l. C. d. J.* [2]) *Vida de Santa Lutgarda*, quam italice versam Castagnorius Frigidianus apud Sacram Congregationem affert.

Ad ultimum extra ordinem testium memoranda inter auctoritates est oratrix

Maria, Regina Angliae.

Maria Beatrix Eleonora Atestina seu *Estensis*, Alphonsi IV., Mutinensis ducis filia, nata 5. Octob. 1658, Jacobo Stuart, duci Eboracensi (d' Yorck) nupta 1. Dec. an. 1673, cum marito suo Jacobo II. ad regnum Magnae Britanniae translata an. 1685 eoque pulsa an. 1690 reliquam vitam beneficio Regis Galliarum tutam et honoratam degit Parisiis in oppido S. Germani in Laya, unde Sedi Apostolicae pro institutione festi Sacratissimi Cordis Jesu cum Missa propria et officio canonico supplicavit an. 1697.

---

[1]) Tom. 1. p. 220.
[2]) Tom. 3. p. 747.

Digitized by Google

Regina fuit timore Dei, morum integritate et liberalitate in pauperes inclyta. Inter varia pietatis et caritatis officia decessit die 7. Maji an. 1718, aetatis 60. Summus Pontifex die 25. Maji datis literis ob hujus Reginae obitum Jacobo III., ejus filio, Angliae Regi, quem *Praetendentem* vocant, summum dolorem testabatur. Caeterum Benedictus PP. XIV. Regiae hujus familiae merita virtutesque maximis celebravit encomiis in oratione Consistoriali die 10. Aprilis an. 1747, quum Mariae Reginae nepotem, Henricum Benedictum Mariam Clem. Stuart Yorck, Praetendentis filium natu minorem Cardinalium albo inscripsit. [1]) Ut Mariae Reginae preces Summo Pontifici pro concessione festi SS. Cordis Jesu porrectae apud S. R. C. plurimum momenti habuerunt ad eventum negotii anno 1697, ita post 70 circiter annos gravitas atque auctoritas ejus nepotis, ante dicti Principis ac Cardinalis Ducis Eboracensis, tunc temporis Vice-Cancellarii S. R. E. et Episcopi Tusculani, in eadem Sacra Congregatione multum omnino valuit ad conficiendum Decretum d. d. 26. Januarii 1765, quo tandem plenissime concessum est, quod Regina avia petierat, [2]) licet aliud a Decreto significari deinde putaret, quam verba sonant, siquidem Camillus Blasius et Continuat. Hist. Eccl. Fleury vera narrant. [3])

---

[1]) Refertur apud ***Fleury:*** Hist. Eccl. contin. L. 237, §. 44.

[2]) Cardinalis Dux Eboracensis obiit Romae 13 Julii anno Christi 1817, suo 93.

[3]) Cardinalis Eboracensis maximam a memoratis scriptoribus inivit gratiam, quod adversarios devotionis erga verum ac proprie dictum Cor Jesu omni sua comitate complexus declarasset, ex mente Sacrae Rituum Congregationis, objectum cultus ad solam Christi caritatem restringi, excluso scilicet physico ejus Corde. Verum quae superius ex Blasii et Continuat. Fleury operibus attulimus pp. 20 et 58 satis ostendunt, eorum narrationibus hac

Digitized by Google

Ejusmodi ergo quum sint auctores, quorum testimonio apud Sacram Congregationem advocatus utitur, inferre possumus, aptos utique atque idoneos testes proferri, qui plenam fidem sibi vindicent. Praeter hos enim nonnisi Sanctos Breviarii Romani antestatur, omni sane, ut dictum est, exceptione majores.

B. Textus Memorialis.

„Hanc ipsam devotionem sacrae litterae insinuant praesertim Eccl. 6, 37. ubi dicitur: *Cogitatum tuum habe in praeceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto et ipse dabit tibi Cor.* Ipse Deus I. Reg. 2, 35. de Samuele locutus est: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta Cor meum et animam meam faciat.* Ac de regio propheta Act. Apostol. 13, 22. testimonium perhibuit: *Inveni David filium Jesse secundum Cor meum.* Et clarius Cantic. c. 4, 9. divinus sponsus sic animam sanctam alloquitur: *Vulnerasti Cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti Cor meum.* Quae verba S. Ambrosius serm. 16. in psalm. 118. vertit: *Cor meum cepisti.* [1] Et rursus divina sponsa ait: *Pone me ut signaculum super Cor tuum,* veluti exprimitur cap. 8, 6. Insuper ibidem cap. 2, 14. advocatur sponsa in foraminibus petrae,

---

in parte nullam auctoritatem haberi debere. Accedit, quod, notante *Faure,* male de Romana S. R. C. mereatur atque injuriosus in Em. hujus Tribunalis Principes sit, qui Cardinali Eboracensi caeterisque Congregationis membris ejusmodi dicta tribuit, quum hac ratione Sacram Congregationem secum ipsa turpiter committat. Aliud profecto in Decreto scripsisset, aliud simulasset, si verbis in eo relatis intendisset cultum veri Cordis excludere. (Bigliet. confid. crit. Bigl. I.)

[1]) Serm. 16. n. 19. apud *Migne:* Patrol. Latin. tom. 15. p. 1431.

in caverna maceriae, unde S. Bern. (serm. 61.) ait: Patet arcanum Cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto; [1]) et S. Gertrudis *Insinuat. divin. pietat.* lib. 3. a Christo Domino edocta exponit: ut scilicet nidificaret in caverna maceriae SSmi Lateris Domini Jesu, et in summo foramine repausando sugeret mel de Petra, id est, dulcedinem intentionis de Corde Jesu deificato. Et quod attinet ad Christi Cor in eucharistico sacramento, quod praecipue in hoc festo colendum est, S. Jobus 7, 17. mirabundus aiebat: *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum?*"

„Id bene agnoverunt, ut diximus, viri sancti, qui propterea insigni pietate animi sacratissimum Christi Cor venerati sunt, cum reciproco et miro amore ipsius Christi Domini, et caeteros hac devotione imbuere satagerunt, quorum aliquot hic referentur."

„*S. Joannes Evangelista* de seipso, 13, 23. dicit: *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Cum recubuisset ille supra pectus Jesu.* Quapropter, ut praecitato lib. 4. *Insinuat. divin. pietat.* cap. 4. dicitur, cujus suavissimis torrentibus avidissime potatus et inebriatus videbatur de corde suo quasi venam quamdam emittere, et ex illa per universum mundi ambitum largiter dispergere stillicidia divinae suavitatis." [2])

---

[1]) Sermon in Cantica 61. n. 4. apud ***Migne:*** Parol. Lat. tom. 183. p. 1072.

[2]) Ad hunc locum pertinet celebris illa ***Praefatio Gelasiana de S. Joanne Evangelista,*** quae refertur in Libro Sacramentorum S. Gregorii M., exhibeturque a ***Migne:*** Patrol. Lat. tom. 78,

„*S. Maria Magdalena* poenitens ex amore Christi saucia, abstulerat Cor Christi, et cor Magdalenae vivebat in Jesu, ut ex Origine inquit Cornelius a Lapide in Cant. 4, 9.“

„*S. Thomas Apostolus,* ad cujus incredulitatem tollendam divinus Magister (Jo. 20, 27.) ei praecepit: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas et affer manum tuam et mitte in latus meum,* ut digito latus tetegit, protinus exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus,* et amore perculsus in eo commorari et per illud in Cor Christi ingredi desiderabat, ait idem Cornelius a Lapide. Ac exemplo hujus S. Apostoli P. Benedictus Haeftenus *Schola Cordis lib. 4.* sic se ipsum inflammat: *Accede ergo ad*

---

p. 34. et tom. 121, p. 885. Eam laudato textui sanctae Gertrudis subjicere ab instituto nostro alienum non putamus. „Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, beati Apostoli tui et Evangelistae Joannis veneranda natalitia recensentes: qui Domini Nostri Jesu Christi Filii tui vocatione suscepta terrenum respuit patrem, ut posset invenire coelestem, adeptus in regno coelorum sedem apostolici culminis, qui tantum retia carnalis contempserat genitoris; quique ab Unigenito tuo sic familiariter est dilectus, et immensae gratiae muneribus approbatus, ut eum idem Dominus in cruce jam positus vicarium suae matri Virgini filium subrogaret, quatenus beatae Genitricis integritati probati dilectique discipuli virginitas deserviret. *Nam et in coenae mysticae sacrosancto convivio super ipsum vitae fontem aeternum, scilicet pectus recubuerat Salvatoris; de quo perenniter manantia coelestis hauriens fluenta doctrinae, tam profundis ac mysticis revelationibus est imbutus, ut omnem transgrediens creaturam excelsa mente conspiceret, et evangelica voce proferret quod* in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et ideo cum Angelis etc.“

Digitized by Google

Deum cordis tui, ad Cor Dei tui, in quo tabernaculum tibi figas, domiciliumque constituas. Junge hic cor tuum Cordi amoris tui, non digitum, non manum, sed cor jaculare in patentem hunc dilecti tui thalamum."

„*S. Paulus*, doctor gentium, gloriabatur ad Galatas dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*, quae verba exponens *S. Joannes Chrysost. homil. 23.* in Epist. ad Romanos subdit: *Cor itaque Christi erat cor Pauli.*"

„*S. Augustinus in manuali,* [1]) ad finem sic loquitur: *Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus;* et alibi aperuisse ardens suum desiderium fertur, ut omnis gens et omnis lingua confiteatur, et dicat: amemus semper, amemus Cor dulcissimi Jesu."

„*S. Bernardus* [2]) dd. tract. *de Passione Domini* post plura redolentia ingentem sui devotionem sacratissimo Cordi Christi, haec melliflue profert: *Sed quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, nec sinamus nos facile avelli ab eo.*"

„Atque, ut eumdem amorem e corde suo exhalaret, Oration. rhythmic. [3]) sic modulatur:

Ad Cor.

Summi Regis Cor aveto,
Te saluto corde laeto,
Te complecti me delectat,
Et hoc meum cor affectat,
Ut ad te loquar animes, etc." [4])

---

[1]) Cfr. quae de auctore hujus libri acute conjicit Editor apud *Migne:* Pat. Lat. tom. 40. pp. 949—952.

[2]) † 20. Aug. an. 1153, aetatis 63. Cfr. Breviar. Rom. ad d. 20. Aug.

[3]) De auctore rhythmorum S. Benardo tribui solitorum legesis *Migne:* Pat. Lat. tom. 184, p. 1307.

[4]) Eod. p. 1322. Integrum rhythmum „Ad Cor" sistemus infra sectione addititia.

Digitized by Google

„*S. Petrus Damianus* [1]) serm. 1. *de excell. Joan. Evang.*, suam devotionem his paucis verbis expressit: *Cor Christi coeleste gazophylacium et aerarium est.*“ [2])

„*S. Franciscus Assisinas* [3]) numeratur inter multos sanctos, qui in Cor Christi ingredi desiderarunt a Cornelio a Lapide in Joan. 20, 27.“

„*S. Clara* [4]) nulla non die Cor Christi salutabat, ac venerabatur, quo in pietatis exercitio non modicis voluptatibus perfundebatur, inquit Lyraeus *Imitat. Jesu pat.* lib. 3. cap. 6.“

„*S. Elzearius,* [5]) comes Arriani, scribens ad sanctam Delphinam, cupientem de se habere nuntium, respondit, quod saepe se conferret ad sacratissimum Christi Cor in eucharistico sacramento, subjungens: *Hic enim habito,* ut legitur in vita ejusdem apud Surium 27. Septembris, cap. 30.“

„*S. Thomas Aquinas* [6]) opus. 18. hoc amore aestuans de Christo Domino e Cruce pendenti scribit: *Fudit sanguinem de vulnere Lateris et Cordis, ut discipulos in fide dubios, et alios multos et bonae vitae stabilitate tentatos, et ideo frigidos, et quasi mortuos, calefaceret, et revivificatis suo sanguine iter coeleste significaret, ut post ipsum reverenter currerent;* et post adducta exempla

---

[1]) † 23. Febr. an. 1073, aetatis an. 66. Breviar. Rom. ad diem 23. Febr.

[2]) Apud *Migne:* Pat. Lat. tom. 144, p. 859.

[3]) † 4. Octob. an. 1226, aetatis 45. Breviar. Rom. ad d. 4. Octb.

[4]) † 11. August. an. 1253, aetatis 41. Breviar. Rom. ad d. 12. Aug.

[5]) Cfr. Praeter Surium et Bolland. Acta Sanctorum Raynald. ad an. 1323, n. 68. Caeterum Editores Analect. Juris Pontificii mendose legunt: *Alzearius comes Arriarii,* pro quibus vocibus rectius substituimus *Elzearius comes Arriani.*

[6]) † 7. Mart. an. 1274, aetatis 47. Breviar. Rom. ad diem 7. Mart.

Digitized by Google

pellicani, rostro latus fodentis, et cervae vulneratae, sic Christum advocat: *Curre coram nobis, ut fera corde vulnerata, sanguine tuo coelestem semitam nobis ostende, donec te comprehendamus, et in te delicias aeternas capiamus.*"

„*S. Bonaventura* [1]) *tom. 1. in ligno Vitae, Jesus translanceatus* [2]) meditans Cor Christi saucium, sic animam devotam invitat: *Surge igitur amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis, ibi ut passer inveniens domum, vigilare non cesses; ibi tamquam turtur casti amoris pullos absconde, ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris; hic enim est fons egrediens de medio Paradisi, qui in quatuor divisus capita et in corda devote diffusus, foecundat et irrigat universam terram.* Et ardentius in *Stimul. divin. amor.* p. 1, cap. 15. exclamat: *O bone Jesu, nimis distractum est cor meum, nisi recolligatur in latere tuo.*"

„*S. Lutgardes* tanto amore ardebat erga sacratissimum Christi Cor, ut Thomas Cantimpratanus S. Thomae Aquinatis coaevus lib. 2. vitae cap. 6. apud Surium, sub die 16. Junii scribat: *Interrogata a Domino: quid vis? Volo*, inquit, *Cor tuum;* et Dominus: *Quin ego potius,* ait, *et cor tuum;* respondit illa: *sit ita, Domine, et sic tamen, ut Cordis tui amorem cordi meo attemperes, et in te cor meum possideam, omni tempore tua protectione securum. Facta est igitur ea die quaedam permutatio cordium vel potius unio spiritus creati et increati per gratiae excellentiam.* Idque fusius ex aliis antiquis auctoribus enarrat P. Bernardinus Villegas e Societate Jesu in libro inscripto: *La sposa di Gesù Cristo ammaestrata con S. Lutgarda* lib. 1, cap. 13."

[1]) 14. Jul. an. 1274, aetatis 53. Breviar. Rom. ad. d. 14. Jul.

[2]) Editionis Moguntinae an. 1609, tom. 6, p. 408.

Digitized by Google

„*S. Mechtildis* [1]) ex eodem ingenti amore (lib. 2, grat. spirit. vit. cap. 14.) audivit a Christo Domino sibi dici: *Nidificabis in Corde meo divino.* Et rursus cap. 20. refert: *Circa oblationem vero Hostiae benedictae exurgens Dominus a solio illo, videbat Cor suum Sanctissimum ad instar lampadis perlucidae, plenissimae et superabundantis propriis manibus elevare.* Et iterum cap. 22. aliam narrans Visionem de se ait: *Ostendit ei vulnus Cordis sui dulcissimi dicens; huc intra, ut pauses, quae statim intravit cum gaudio Cor Dei.* Insuper lib. 3. recenset: *Cum vice quadam venerabile sacramentum Corporis Christi percepisset, post dulcia cum ipso colloquia, visum est ei quasi Dominus acciperet cor animae, et comprimeret illud Cordi suo, ita ut in unam redigerentur massam.* Et ait Dominus: *sic vellem, ut hominum corda mihi essent unita.* Ac demum lib. 4, cap. 10. scribit, quod orabat ad Dominum pro una persona, ut purum, humile, desiderans, et spirituale cor illi daret, pro qua tale responsum accepit: *Omnia, quae vult et omnia, quibus indiget, in Corde meo requirat et a me sibi dari postulet, more pueri, qui a patre suo omnia, quae desiderat, petit.*"

„*S. Gertrudes* [2]) amantissima extitit sacratissimi Cordis Christi, ut lib. 3. dd. *Insinuat. divin. pietat.* cap. 25. commemoratur, et prae caeteris cum quadam die moesta oraret: ejus moestitiam Dominus non sufferens, praesentavit illi quasi propriis manibus suis Cor suum deificatum in similitudine lampadis ardentis, dicens: *En Cor meum dulcissimum, semper venerandae Trinitatis*

---

[1]) Cfr. Breviar. Monastico-Benedictin. Propr. Aleman. et Helvet. ad diem 26. Febr.

[2]) Cfr. Breviar. Roman. ad diem 15. Novemb.

Digitized by Google

organum, oculis mentis tuae praetendo, cum aliis ibi relatis; et cap. 26, pag. 266. sic Deum deprecabatur: *Ecce, Domine, cor meum abstractum ab omni creatura integra voluntate offero tibi, orans, ut abluas illud in virtuosa aqua SSmi. Lateris tui, et decentissime exornes illud in pretioso sanguine dulcissimi Cordis tui, ac tibi convenientissime coaptes illud in aromatico vapore divini amoris tui.* Apparuit Filius Dei offerens illud Patri unitum Cordi suo divino in similitudine calicis, qui ex duabus partibus cerae esset compactus. Ideo nil mirum, quod in ejus pretiosa morte (lib. 5, cap. 3.) dicatur: *Felix illa anima, centupliter beata, carnis ergastulo derelicto et cum jubilo inaestimabilis suavitatis elevata in illud unicum perexcellentissimum sacrarium, scilicet Cor Jesu suavissimum, tibi, tam fideliter, largiter, ac. jucunde patefactum, est recepta.* Et hanc precatiunculam lib. 2, cap. 5, pag. 111. recitari docebat: *Per tuum transvulneratum Cor transfige, amantissime Domine, cor meum jaculis amoris tui, ut nihil terreni continere possit, sed a sola efficacia tuae divinitatis contineatur;* et benignissimus Dominus, ut patet lib. 4, cap. 60 ad eam dicere dignabatur: *Ex quo tu studes mihi digniorem partem substantiae tuae, scilicet cor tuum saepius praebere, congruum judico, ut et ego pro omni delectamento Cor meum tibi exhibeam, qui sum Deus tibi in omnibus omnia, virtus, vita, scientia, etc.*"

„*S. Catharina Senensis* hoc ipso ardore aestuabat, quam propterea *Raymundus Capuanus* lib. 2., et *Cornelius a Lapide* in epist. ad Galat. 219, ex vehementia amoris Christi ab eo flagitasse, ut cor suum, proprio sublato, ei commutaret, *Christumque ei annuentem cor exemisse*, novumque Christiforme ei indidisse." [1])

[1]) Miraculum sic narrat *Raymundus:* Vit. S. Catharinae, p. II

„*S. Theresia* epist. 8, n. 9. admonuit: „Dirizzar la mira in quel fianco aperto, scoprendovi il suo cuore, e lo sviscerato amore, con cui amò quando volle, che fosse

---

c. VI. n 179. „Cum semel ipsa orasset ferventius cum propheta: Cor mundum crea in me Deus et spiritum rectum innova in visceribus meis, singulariter deprecans, ut Dominus auferret sibi cor proprium et propriam voluntatem, per seipsum tali eam consolatus est visione. Videbatur siquidem ei, quod Sponsus aeternus ad eam solito more veniret, ejusque latus sinistrum aperiens cor inde abstraheret et discederet, sicque ipsa sine corde penitus remaneret. Quae quidem visio fuit adeo efficax et ita sensui carnis concors, quod ipsa dum confitebatur, Confessori suo dicebat, se cor non habere in Corpore. Quod dictum dum ille derideret et deridendo quodammodo increparet, illa repetens quod dixerat, confirmabat dicens: Vere, Pater, quantum sentire possum, secundum sensum corporeum mihi videor me omnino corde carere: Dominus enim mihi apparuit, et aperiens mihi latus sinistrum, abstraxit cor et abscessit. Cumque ille assereret impossibile, ipsam vivere posse sine corde, virgo Domini affirmabat, omne verbum non esse impossibile apud Deum, seque credere firmiter esse corde privatam: ac sic pluribus diebus hoc idem repetens, se dixit vivere sine corde."

180. „Quadam autem die, dum esset in capella Ecclesiae Fratrum Praedicatorum de Senis, in qua solent congregari Sorores de poenitentia B. Dominici supradictae et post omnes remansisset orans; tandemque de somno suae solitae abstractionis evigilans, surgeret, ut domum rediret, subito circumfulsit eam lux de coelo, et in luce apparuit ei Dominus habens in sacris suis manibus Cor quoddam humanum, et lucidum. Cumque ad adventum auctoris et lucis tremebunda cecidisset in terram, appropians Dominus latus ejus sinistrum aperuit iterum, ipsumque Cor, quod in manibus gestabat, intromittens, inquit: Ecce carissima filia, sicut pridie tibi abstuli cor tuum, sic in praesentiarum trado tibi Cor meum, quo semper vivas. Et his dictis aperturam, quam in carne fecerat, clausit et solidavit: remansitque in signum miraculi loco illo cicatrix obducta, prout ejus sociae mihi et pluribus

Digitized by Google

nostro nido, e nostro refugio," quod cum ipsa faceret, de ea S. Ecclesia commemorat: *Tanto divini amoris incendio cor ejus conflagravit, ut merito viderit angelum ignito jaculo sibi praecordia transverberantem,* veluti habetur sub 5. lectione officii ad diem 15. Octobris." [1])

„S. *Maria Magdalena de Pazzis* [2]) erat „così infuocata dell' amore che le mostrava il suo Gesù, tutta per la dolcezza struggendosi; che aperte le braccia, e sollevandole verso il suo celeste sposo, da esso ricevette il suo cuore." Sic scribit Puccinus vitae illius auctor lib. 2, cap. 8." [3])

„*S. Rosa Limana* [4]) in praemium hujus flagrantissimi amoris audire meruit a Christo Domino: *Rosa Cordis*

---

aliis frequenter se vidisse asseruerunt, et ipsa mihi seriose percunctanti negare non valens, verum esse confitens, confirmavit. Et addidit, quod post illam horam numquam, sicut solebat, dicere potuit: Domine, recommendo tibi cor meum."

181. „Hoc ergo Corde non minus gratiose quam mirabiliter acquisito, ex ejus gratiae abundantia laudabilia nimis opera procedebant exterius, et superadmirabiles revelationes pullulabant interius." Pluribus deinde describit Raymundus nn. 181 et 182 quomodo Christum in Eucharistia visibilem saepe sumpserit, corde mirabiliter exiliente atque ingenti amore aestuante.

[1]) † 15. Octob. an. 1582, aetatis 67. Cfr. Breviar. Rom. ad d. 15. Octob.

[2]) † 25. Maj. an. 1607, aetatis 41. Cfr. Breviar. Rom. ad diem 27. Maj.

[3]) Ad illud amoris incendium evasit, inquit Clemens PP. XI. in Bulla Canonizationis, ut interdum exclamaret: „o amor, te amplius ferre non possum. . . ." non semel sponsi divini manu eucharistico epulio refectam et annulo nuptiali subarrhatam . . . idem sponsus suo divino Corde muneratus est. Cfr. Magn. Bullar. Rom. tom. 11, p. 3. edition. Luxemburg. an. 1741.

[4]) † 24. Aug. an. 1617, aetatis 31. Breviar. Rom. ad d. 30. Aug.

Digitized by Google

mei, tu mihi sponsa esto, ut in diplomate Clementis X. pro ejus canonizatione constit. 37"

„*S. Laurentius Justinianus*, [1]) quam fervens fuerit in Sacratissimum Christi Cor, liquet ex superius adductis sub §. *Praecipuum.*"

„*S. Franciscus Salesius* [2]) in locis jam indicatis suum ardentissimum patefecit amorem, nempe lib. 4, epist. 64, ubi idiomate Gallico in Italicum verso, ita eructat verbum bonum: [3]) „Jeri vi sentii dire che vedendo il costato di Nostro Signore aperto, volevi prendere il suo cuore, per metterlo dentro il vostro, come un Re in un piccolo regno, e benchè il suo sia più grande che il vostro, egli s' impiccioliva per accommodarvelo. O quanto è buono questo Signore, mia cara figlia? o quanto è amabile il

---

[1]) † 8. Jan. an. 1455, aetatis 74. Breviar. Rom. ad d. 5. Sept.

[2]) Breviar. Rom. ad d. 29. Jan.

[3]) Quoniam Memoriale non integras epistolas sistit, sed tantum praecipua earum capita frustillatim in italicum idioma versa refert, ipsum textum e fonte erutum ad versionem partium detruncatarum hic in margine apponimus, ut locis in Memoriali citatis sensum evidentiorem restituamus.

Ep. 64. (Editionis Parisiensis anni 1758, Epist. 593: tom. 5. p. 48; edit. Paris. an. 1861, Ep. 555, p. 452.)

(Je ne sais où vous serez ce carême selon le corps; selon l' esprit j' espere que vous serez dans la caverne de la tourterelle et au côté percé de notre Seigneur: je veux bien m' essayer d' y être souvent avec vous; Dieu par sa souveraine bonté nous en fasse la grâce.) Hier, je vous vis, ce me semble, voyant le côté de Notre-Seigneur ouvert, vous vouliez prendre son coeur pour le mettre dans le vôtre, comme un roi dans un petit royaume; et bien que le sien soit plus grand que le vôtre, si est-ce qu' il le raccourcirait pour s' y accomoder. Que ce Seigneur est bon, ma très-chère Fille! que son coeur est aimable! Demeurons-là en ce saint domicile; que ce coeur vive toujours dans nos coeurs, que ce sang bouillonne toujours dans les veines de nos âmes.

Digitized by Google

suo cuore? tratteniamoci in questa santa stanza, che questo cuore vive continuamente ne' nostri cuori, che questo sangue bolle sempre nelle vene delle nostre anime." Iterum *epist. 71.* ad monialem Visitationis scribit: [1]) „La grazia e la pace dello Spirito Santo sia sempre in mezzo del vostro cuore: Ponete questo caro cuore nel costato trafitto del Salvatore, ed unitelo a questo Rè de' cuori, ne' quali sta come in suo trono reale per ricevere gli omaggi, e gli ossequii di tutti gli altri cuori, e tien così la sua porta aperta, affinchè ciascun possa abboccarsi seco, e avere udienza, e quando il vostro cuore gli parlerà, non vi scordate, mia cara madre, di fargli parlare ancora a favore del mio, acciocchè la sua divina e cordial maestà lo faccia diventar buono, ubidiente e fedele." Videatur quoque *epist. 101:* „L' altro giorno nell' orazione considerando il costato aperto di Nostro Signore e vedendo il suo cuore, mi parve, che tutti i nostri cuori stassero intorno a quel del Signore, rendendogli omaggio come à Rè sovrano de' cuori. Che sempre sia il nostro cuore.

---

[1]) Ep. 71. lib. IV. (Edit. Paris. an. 1758. Ep. 653: tom. 5, p. 254.; ed. Paris. an. 1861. Ep. 615. p. 499.)

La grâce et la paix du Saint-Esprit soit toujours au milieu de votre coeur. Mettez-le, ce cher coeur, dans le côté percé du Sauveur et unissez-le à ce Roi des coeurs, qui y est comme en son thrône royal, pour recevoir l' hommage et l'obéissance de tous les autres coeurs, et tient ainsi sa porte ouverte, afin que chacun le puisse aborder et avoir audience. Et quand le vôtre lui parlera, n' oubliez pas, ma très-chère Mère, de lui faire parler encore en faveur du mien, afin que sa divine et cordiale Majesté le rende bon, obéissant et fidèle.

Digitized by Google

Amen." [1]) Aliamque monialem Visitationis *lib. 8, epist. 62:* „Non siamo noi felici, mia cara madre, di poter innestare i nostri cuori con quello del Salvatore che è innestato con la Divinità? poichè così quest' essenza infinitamente sovrana è la radice dell' albero, di cui noi siamo i rami e i nostri amori sono i frutti. Si Signore, fate, come più vi piace del nostro cuore, perchè noi non ne vogliamo, nè porzione ne parte; anzi ve lo diamo, consacriamo e sagrifichiamo per sempre." [2]) Ac praefectam monialium dicti Ordinis Visitationis *lib. 7, epist. 61*, ad amorem Sacratissimi Cordis anhelandum hisce verbis inflammat: „Io me ne vado all' altare, mia cara figliuola, dove il mio cuore spargerà mille desiderii sopra del vostro, o per meglio

---

[1]) Ep. 101. lib. IV.: (Edit. cit. Ep. 157: tom. 2., p. 159; edit. Paris. an. 1861, Ep. 751, p. 599.)

L' autre jour en l' oraison considérant le côté ouvert de Notre-Seigneur et voyant son coeur, il m' était avis que nos coeurs étaient tout-alentour de lui, qui lui faisaient hommage, comme au souverain Roi des coeurs. Qu' à jamais soit-il notre coeur. Amen.

[2]) Ep. 62. lib. IV.: (Edit. cit. Ep. 453. tom. 4. p. 144, edit. Paris. an. 1861, Ep. 426, p. 366.)

(O Dieu! ma très-chère Mère, il faut bien mettre son coeur en Dieu et ne point jamais l'en ôter. Il est lui seul notre paix, notre consolation et notre gloire: que reste-t-il, sinon que nous nous unissions de plus en plus à ce Sauveur, afin que nous portions bon fruit?) Ne sommes nous pas bienheureux ma très-chère Mère, de pouvoir enter nos seps sur celui du Sauveur, qui est enté sur sa Divinité. Car ainsi cette souveraine essence est la racine de l'arbre, duquel nous sommes les branches e nos amours les fruits. (Ne cessons point d' élancer nos coeurs en Dieu, ce sont ces pommes de senteur qu'il se plait à manier; laissons-les lui donc manier à son gré.) Oui, Seigneur Jésus, faites tout à votre gré de notre coeur; car nous n'y voulons ni part, ni portion; ainsi nous le vous donnons, consacrons et sacrifions pour jamais.

Digitized by Google

dire il nostro cuore spargerà mille benedizioni sopra se stesso. Oh Dio, mia cara sorella et figliuola amatissima, a proposito del nostro cuore, perchè non succeda a noi come a questa benedetta Santa Catterina da Siena, di cui cominciamo oggi la festa, che il Salvatore ci levasse il nostro cuore, e mettesse il suo in luogo del nostro?" [1]) Dicta hujus sancti subjecimus, ut magis pateat justa supplicatio monialium Visitationis percolendi peculiari festo Sacratissimum Christi Cor."

„*Beatus Aloysius Gonzaga* adeo Sacratissimum Christi Cor adamabat, ut Sancta Maria Magdalena de Pazzis in extasim rapta, prae caeteris, de eo jam in coelum evecto, dixerit: „Saettava il cuore del Verbo quando era mortale, ora che è in cielo, quelle saette si riposano nel cuor suo, perchè quelle communicazioni, che meritava con gli atti d' amore, e di unione, che faceva (quali erano saette)

---

[1]) Epist. 61. lib. VII. (Edit. cit. Ep. 555. tom. IV. p. 480.)
Je m'en vais à l'autel, ma chère Fille, où mon coeur répandra mille souhaits pour le vôtre, ou plutôt notre coeur répandra mille bénédictions sur soi même; car je parle plus véritablement ainsi. Dieu, ma chère Soeur, ma Fille bien-aimée, à propos de notre coeur que ne nous arriva-t-il comme à cette bénite Sainte, de laquelle nous commençons la Fête ce soir, sainte Catherine de Sienne, que le Sauveur nous ôtât notre coeur, et mît le sien en lieu du nôtre! (Mais n'aura-t-il pas plutôt fait de rendre le nôtre tout sien, absolument sien, purement et irrévocablement sien? Oui, qu'il le fasse ce doux Jésus; je l'en conjure par le sien propre et par l'amour qu'il y confirme, qui est l'amour des amours; que s'il ne le fait (o! mais il le fera sans doute puisque nous l'en supplions) au moins ne saurait-il empêcher que nous ne lui allions prendre le sien, puisqu'il tient encore sa poitrine ouverte pour cela: et si nous devions ouvrir le nôtre, pour, en ôtant le nôtre, y loger le sien, ne le ferions-nous pas?)

Digitized by Google

ora l' intende e gode," [1]) veluti in praecitata vita sanctae legitur cap. 9."

„*B. Henricus Susonius* centies sacratissimum Cor Christi contemplabatur, ut in ejus vita, et operibus spiritualibus, Romae impressis praesertim pag. 317, ubi haec, prae aliis, amatissima legitur adspiratio: „Deh pietosissimo Gesù mio, trasformate il mio cuore miserando nel vostro cuore divinissimo, le fatiche e i vostri dolori leghino il cuor vostro al mio, dolcemente mi sforzi il cuore a vivere sempre unito con il vostro cuore amabilissimo."

„Venerabilis *Serva Dei Catharina Riccia*, e dominicana familia et S. Catharinae Senensis aemulatrix eximia, hoc amore succensa fuit insigniter, adeo ut auditores Rotae in relatione canonizationis illius p. 2, prae caeteris coelestis gratiae muneribus, affirmaverint: *Raptam nempe in coelum, proprio esse privatam corde, aliud ibidem reponente Deo."* [2])

„Venerabilis Dei famulus *Michael a Sanctis,* sacerdos et religiosus professus Ordinis Discalceatorum SSmae. Trinitatis Redemptionis Captivorum, cujus canonizationis causa in Sacra Congregatione agitur, hoc insigne donum obtinuit commutationis sui cordis cum Corde Christi, ut documentis pluribus comprobatur in scripturis S. R. C. oblatis." [3])

---

[1]) Jaculabatur, dum adhuc erat mortalis, in Cor Verbi; nunc vero, dum est in coelo, sagittae illae in ipsiusmet requiescunt corde, quia communicationem illam, quam per actus amoris et conjunctionis cum Deo (qui erant sagittae ejus) merebatur, jam vere comprehendit et possidet.

[2]) † 2. Febr. an. 1590, aetatis 69. Breviar. Rom. ad d. 13. Febr.

[3]) „Illo divinae bonitatis praeclarissimo enituit prodigio, quo Christus ipse divini sui Cordis mysticam commutationem cum corde illius inire dignatus est." (Acta in Causa Canonizationis in Analect. J. P. an. 1863, p. 1446.) Quae iisdem ferme verbis leguntur in Lect. VI. Officii ejusdem Sancti ad d. 5. Julii.

Digitized by Google

„His accedunt aliae piorum auctorum suasiones ad venerationem ejusdem Sacratissimi Cordis. Ludovici Blosii *Concl. Anim. fid.*, [1]) vocat Cor Christi asylum perfugii in tentationibus et tribulationibus. Devotissimus Lanspergius *Pharetr. divin. amor. exercit. ad piissim. Cor Jesu*, hortatur ad venerationem Cordis piissimi Jesu amore ac misericordia exuberantissimi, studens excitare, ac sedula devotione ipsum frequentare: „Per ipsum petenda petas, et exercitia tua offeras, quia charismatum omnium est apotheca, et ostium per quod nos ad Deum et ipse ad nos accedit. Itaque figuram aliquam dominici Cordis ponas in loco aliquo, quem saepius transire habeas, qua saepius exercitii tui, et amoris exercitandi ad Deum admonearis, hanc intuens memor sis exilii miseraeque captivitatis in peccatis. Posses etiam urgente devotione interna figuram hanc, id est, Cor Domini Jesu, osculari, et animo tuo persuadere, quasi verum Cor Dei sit, cum Cor Domini Jesu sub labiis habeas osculandum, in quod cor tuum imprimere gestias, atque spiritum tuum immergere, absorberique, aut desideres videarisque tibi ex gratioso Corde ipsius attrahere in cor tuum spiritum ejus. Gratiam quoque ejus et virtutes, ac prorsus quidquid fuerit tibi (quod mensuram excedit) salutare. His enim omnibus Cor Jesu exuberantissime scatet. Expedit autem et valde pium est, Cor Domini Jesu devote honorari, ad quod in omni necessitate confugias, unde consolationem quoque, et omne auxilium haurias; nam ubi cunctorum te mortalium corda deseruerint, ubi imposuerint tibi, securus esto, hoc fidelissimum Cor te non decipiet, nec derelinquet.“ Praememoratus Pat. Haeftenus, *schola cordis* lib. 4, lect. 15, in

[1]) *Conclave Animae fidelis* extat inter opera Blosii pp. 42. seqq. edit. Colon. an. 1571.

Digitized by Google

haec verba erumpit: „Eia, igitur, Domine, pone me juxta Cor tuum, ut inspiciam illud, et secundum exemplar illius rectificem cor meum. Aspice et tu in me, et miserere mei Domine, atque ex hoc speculo Cordis tui immitte ignitos radios in cor meum, qui illud accendant, et conforment Sacratissimo Cordi tuo.“ Clar. mem. card. Bona *Via Compend. ad Deum* capit. 17, decas. 10. [1]) inter pii affectus exercitationes n. 1, hanc ponit: „Jesu vita morientium, qui cum jam mortuus esses pro nobis, latus tuum lancea aperire voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus, ad Cor admitte me in latus tuum, ut in eo sit requies mea in saeculum saeculi.“ Et Pater Joannes a Jesu Maria in Theolog. Mystic. [2]) sic orabat: „Bibe Domine, obsecro te, bibe cor meum liquefactum, quod cupit infundi Cordi tuo, et misceri amore, liquescentibus visceribus tuis etc.“ et alii passim.“

„Quum igitur ex praedictis liqueat, Sacratissimo Christi Cordi, uti sedi et fonti amoris, praecipuum deberi cultum in memoriam innumerorum beneficiorum, prout illud summa ratione venerati sunt tot eximii sancti, devotio monialium Visitationis (postulante maxime Serenissima Maria Regina Angliae) exaudienda videtur, ut in suis ecclesiis celebretur petitum festum; nam ut ex D. Augustino [3]) Amalarius Fortunatus *de Ecclesiast. Officiis* lib. III, c. 23. advertit: "Beneficiorum ejus solemnitatibus, festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio; ei sacrificamus hostiam humili-

---

[1]) Editores „Analect. Juris Pontificii“ vitiose legunt decis. 10; pro decas. 10; non enim in decisiones, sed vero in decades distinguitur caput 17. opusculi „*Via Compendii ad Deum.*“

[2]) Op. tom. 2. editionis Colonien. an. 1611.

[3]) De Civitate Dei lib. X, cap. 3.

Digitized by Google

tatis et laudis in ara cordis igne fervidam caritatis. [1]) Et ad accendenda ad hunc amorem fidelium corda nimis hisce temporibus tepescentia urget festum stigmatum S. Francisci, ex verbis VI. lectionis superius enucleatis... Sic enim instituta sunt festa nominis Jesu atque plagarum, pluribus in locis per Sedem Apostolicam approbata, et de his agit Guyet: *Heortolog.* lib. III., cap. 16., quaest. 1. Quod si dictum festum sacrorum vulnerum non improbatur, laudabilius existimandum est festum Sacratissimi Cordis, quod prius fuerat vulneratum amoris cuspide, ut advertit S. Bernardus relatus supra, cujus verba hic juvat repetere: *Latus quoque et Sacratissimi Cordis intima lancea perforarunt, quod jam dudum amoris lancea fuerat vulneratum,* et addere S. Mitildem, quae narrat per visum a puero Jesu sibi nuntiatum: *Sicut homo manus suas saepius respicit, sic ab infantia usque ad diem passionis meae quotidie mortem meam in Corde meo revolvebam.* Ideoque passionem Christi specialiter colere debemus in Corde ipsius, uti ejusdem praecipua causa, Isaia etiam 53, 7. vaticinante: *Oblatus est, quia ipse voluit;* et praesertim moniales Visitationis a s. institutore, ut supra, ad id inflammatae, sperantes divinam consequi repromissionem: *Dabo vobis cor novum et spiritum meum ponam in medio vestri,* ut dicitur Ezech. 36, 26. Quare etc. *Frigidianus Castagnorius e Colleg. Patr. Caus. S. P. A.*"

Et haec quidem Castagnorius in Memoriali Sacrae Rituum Congregationi oblato.

---

[1]) Apud Migne: Patrol. Lat. tom. 105, p. 1138.

Digitized by Google

§. II.
Auctoritates adductae in replicatione Frigidiani Castagnorii.

A. Elogium Testium productorum.

Ut vero exceptiones Promotoris Fidei tolleret, in replicatione sua Frigid. Castagnorius nova causae auxilia arcessivit ex aliis duabus auctoritatibus, quas tanquam validiora rei praesidia juxta *gl. ad c. Liquido apparet 54 Dist. 2. de Cons.* [1]) in fine posuit, ut eas cordibus audientium altius infigendo judices eo certius in suam sententiam perduceret. Altera est celebris *Gilleberti de Hoilandia,* [2]) abbatis monasterii Swinhetensis, Ordinis Cisterciensis, qui floruit circa annum 1165, ac beatum Bernardum imitatus, ut ait Henricus Gandavensis, [3]) *sermones composuit subtiles et valde spirituales in Cantica Canticorum.* Eos cum auctoris elogio exhibet *Migne Patrol. lat.* tom. 184. princip.

Altera vero est auctoritas *Alphonsi de Horozco*, Hispani, Ord. Eremitarum S. Augustini, qui Carolo V. Caesari et mox Philippo ejus filio a concionibus et consiliis fuit. His eum laudibus post alios cumulat Nicolaus Antonius: [4]) *Vir fuit eximia sanctitate, iisque clarissimarum virtutum meritis, in quibus virginitatis perpetua custodia, corporis maceratio, animi pia dejectio, misericordia in pauperes, orandi Deum frequentia maxime*

---

[1]) Verb. *infigere*.

[2]) Hoilandia vocabulum est insulae, Anglis et Scotis conterminae, in qua situm erat Monasterium Swinhetense, cui Gillebertus abbas praefuit, Lincolniensi dioecesi attributum.

[3]) De viris illustribus cap. 12, 12. Confer etiam, qui de Gilleberto agit, *Oudin.* de script eccl. saec. XII. (tom. 2, p. 1483.)

[4]) Bibliothec. Hispan. nov. tom. 1, p. 29.

Digitized by Google

laudantur, ut in Album Beatorum Pontificia renunciatione admittendus nonnumquam videatur. Opera ipsius tota redolent auctoris pietatem, eo magis excipienda et frequentanda, quod auctorem habuerit scribendi Mariam Deiparam. Apud Philippum II., Hispaniarum Regem, tanti erat ejus sanctitas, ut magni momenti negotia aggressurus semper voluerit praevia ejus benedictione muniri, eamque, debellaturus Lusitaniam, flexis ab illo genibus postulaverit, ejus denique continuo et latus et alloquium affectarit. Meritorum et dierum plenus Alphonsus obiit die 19. Sept. an. 1591, aetatis suae 91. Magna populi devotione colitur, Deo indies servi sui sanctitatem miraculis confirmante. [1])

Hos ergo Patronus causae devotionis sacratissimi Cordis Jesu testes adhibet adversus Promotorem fidei in sua *responsione* quae in actis Sacrae Rituum Congregationis legitur.

B. Textus Replicationis.

Cultus sacratissimi Cordis Jesu, ait, confirmatur „devotione plurium Sanctorum et summorum hominum, ut ostendimus in memoriali, quibus addere liceat insignem abbatem *Gillebert.*, qui in Cantic. Serm. 21. sub num. 6, quasi has moniales alloqueretur, inquit: *Egredimini hinc nostrae filiae Sion, et videte, ut et vos transeatis in affectum Cordis hujus;* [2]) et rursus Serm. 30, num. 2. ait: *Quid est hoc miraculi fratres? Nonne beatam hanc reputatis animam, quae ipsum Cor Domini Nostri Jesu Christi piis affectibus transfigit et penetrat?*" [3])

---

[1]) Cfr. quoque *Aubert. Mir.* Script. Saec. XVI. cc. 123 et 125.
[2]) *Migne:* Pat. Lat. tom. 184. p. 113.
[3]) Eod. p. 155.

„Addimus quoque Ven. *Alphonsum Orosco* ex Augustiniana familia virum eximium, cujus heroicae virtutes proxime effulgebunt in hac sacra Congregatione. Is etenim super Cantic. cap. 4. ad illa verba: *Vulnerasti Cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti Cor meum,* sic habet: *O tenerrimum, o vehementer dulce Cor, quod nostris movetur affectibus ad repetendam vicissitudinem dilectionis.* Et paulo inferius: *Magna et violenta est caritatis vis, dum Cor Christi vulnerare potest. Acutus et efficax et vere violentus affectus est, Jesu bone, qui transfigere pectus tuum valet. O sponsa benedicta, o anima pia, ne parcas, obsecro, talibus telis sponsum appetere. Affectibus piis quasi spiculis assidue utere. Noli contenta esse dilectum vulnerare semel, sed diu noctuque ipsum concide vulnere super vulnus. Felix es, si sagittae tuae infixae sunt illi, et amores tui militent in Christo; si oculus tuus defixus indefesse sit in illo. O mirabile vulnus amoris, de quo virtus egregia egreditur.*"

„Ex his itaque piissima et maxime commendabilis videtur petita institutio festi."

Digitized by Google

CAPUT II.

AUCTORITATES ADDUCTAE SUB BENEDICTO PP. XIII.

ARGUMENTUM. Ex dicendis hoc capite patebit, cultum sacrosancti Cordis Dei Jesu non esse recentioris aetatis novum inventum, sed olim a Deo piis ac sanctis viris iisque in Ecclesia illustrioribus fuisse afflatum. (*Gallifet:* De cultu SS. Cordis lib. III, c. 3.)

Mirum est, inquit Benedict. PP. XIV., [1]) qua diligentia Patrum et Theologorum dicta cultui Cordis Jesu faventia fuerint a Patre Gallifet tum in opere suo „*De cultu SS. Cordis*“ tum in scripturis Sacrae Congregationi oblatis fideliter enarrata. Atque inprimis maxima vis constituta fuit in revelationibus et sanctitate vitae ven. Sororis Margaritae Mariae Alacoque; deinde catalogus etiam productus est regnorum, provinciarum, Dioecesium, in quibus cultus Cordi Dei solemniter exhibetur; tertio denique prolati fuere sexcenti Patres et Theologi cultui Cordis Jesu faventes, ut Fidei Promotoris ipsius verba usurpemus. Quae omnia quum in cursu scriptionis oblata occasione leviter tacta jam sint, in pauca hic conferre licet, quae adhuc dicenda supersunt.

§. I.

De auctoritate Beatae Margaritae Mariae Alacoque.

Exemplum „*Vitae ven. Margaritae Mariae*“, quod P. Gallifet Summo Pontifici obtulit an. 1726, judicio cen-

---

[1]) De Serv. Dei Beatif. l. c. n. 23.

Digitized by Google

soris Romani [1]) *praeclara perhibet virtutum monumenta ad cultum erga Sacratissimum Cor Jesu firmandum, habendumque est tanquam certum virtutis humilis servae Dei patrimonium posteris relictum.* Quae uberrime eo in opere tractantur, ea in Brevi Beatificationis d. d. 19. Augusti an. 1864 in epitomen coacta leguntur cum hisce laudibus conjuncta: [2])

„Margarita Maria de Alacoque in oppido cui nomen Lauthecourt intra fines Dioecesis Augustodunensis in Gallia honesto genere orta jam inde a pueritia ingenium docile prae se tulit, moresque probos et supra aetatem compositos, sic ut qualis esset futura, certis indiciis parentes ominarentur. Etenim adhuc puella ab oblectamentis, quibus illa aetatula capi solet, abhorrens secretiora petebat domus cubicula, ubi intenta mente Deum coleret ac veneraretur; adolescentior autem frequentiam hominum devitans, nihil magis habebat in deliciis, quam versari in templis assidue, precesque ad plures horas producere. Virginitatem emisso voto primis ab annis Deo consecravit, atque adeo jejuniis, flagellis aliisque asperitatibus adfligere corpus instituit, ut iisdem quibusdam quasi spinis virginitatis florem septum custodiret. Mansuetudinis porro atque humilitatis illustre documentum exhibuit. Etenim demortuo patre, matre vero tum aetate, tum gravi morbo confecta, ab iis qui rei domesticae curationem gerebant, sic dure atque aspere habita est, ut rebus etiam ad victum cultumque necessariis plerumque careret. Atqui tantam inclementiam atque

---

[1]) Macchabei, Procurat. General. Congreg. Cleric. Regular. S. Pauli, S. Congregat. Indicis et SS. Rituum Consult. ac S. Officii Qualificat., in Approbat. operis „de Cultu Sacrosancti Cordis Dei“ d. d. 22. Aprilis an. 1726.

[2]) Primam partem harum literarum descripsimus supra pp. 90—91.

Digitized by Google

injuriam, proposito sibi Christi patientis exemplo, complures annos aequo animo tulit. Novem annos nata ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipiendum primum accessit, atque ex coelesti dape tantum concepit caritatis ardorem, ut ignis ille divinus ex ejus ore atque oculis emicaret. Pari erga proximum caritate incensa graviter dolebat; miseram puerorum turbam fere a parentibus derelictam vitiis succrescere rerum ad salutem aeternam pertinentium ignaram; idcirco eos patienter erudiebat mysteriis fidei, ad virtutem informabat, et vero etiam non modicam quotidiani cibatus partem eisdem alendis detrahere sibi consueverat. Quum coelestem sibi sponsum delegisset, exhibitas a matre nuptias, licet opulentas atque illustres, constanter recusavit, et quo datam coelesti eidem sponso fidem praestaret securius, de ingrediendo sacrarum virginum claustro cogitavit. Qua de re posteaquam diu multumque secum deliberasset, fusisque precibus divinam consuluisset voluntatem, annum agens aetatis suae vicesimum tertium in civitate, cui nomen Paray-le-Monial, intra fines Augustodunensis Dioecesis, religiosis sororibus ex Ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis adscita est. In tyrocinio quum se talem probasset, qualem et egregia ad virtutem indoles et innocenter acta vita portenderet, ad solemnia nuncupanda vota admitti promeruit. Quibus quidem nuncupatis videri coepit ad religiosae disciplinae perfectionem concitato cursu contendere, adeo sodalibus suis Deo dicatis virtutum omnium exemplar enituit. Mira quippe in ipsa elucebat humilitas, singularis et in obtemperando alacritas, et in quibusvis molestiis perferendis patientia, accuratissima legum vel minimarum observantia, in affligtando corpore assidua austeritas, numquam intermissum precationis studium, cui dies noctesque quum instaret, alienato saepe a sensibus animo, divinae gratiae

donis uberrime perfundebatur. In recolendis autem Christi Domini cruciatibus tanto afficiebatur doloris sensu, tantaque inardescebat amoris flamma, ut prope exanimis plerumque languesceret. Porro quum ob virtutis praestantiam omnium sibi sodalium admirationem conciliasset, puellis, quae in tyrocinio versarentur, ad religiosam vitam exercendis informandisque praeposita fuit, eique muneri nulla potuisset aptior inveniri, quam Venerabilis Margarita Maria, utpote quae commissas suae fidei ac magisterio puellas ad ingrediendum atque excurrendum perfectionis iter erigeret ac confirmaret exemplo suo. Jam vero ante augustissimum Eucharistiae Sacramentum eidem fervidius oranti significatum est a Christo Domino, gratissimum sibi fore si cultus institueretur sacratissimi sui Cordis humanum erga genus caritatis igne flagrantis, ac velle se hujus rei curam ipsi demandatam. Qua erat humilitate cohorruit Venerabilis Dei Famula, tanto se officio indignam existimans; sed tamen ut supernae obsequeretur voluntati, utque desiderio suo faceret satis divinum amorem in hominum animis excitandi, studiose egit tum apud religiosas sui coenobii sorores, tum vero etiam apud omnes, quoad potuit homines, ut Cor illud Sanctissimum divinae caritatis sedem omnis honoris significatione colerent ac venerarentur. Multae idcirco et graves Venerabili Dei Famulae tolerandae fuerunt molestiae, plurimae superandae difficultates; numquam tamen ipsa dejecit animum, et spe subnixa coelestis auxilii tam operose ac constanter promovere instituit id genus pietatis, ut, divina favente gratia, non sine magno animarum fructu in Ecclesia auctum longe sit ac propagatum. Denique dissolvi cupiens, ut ad coelestes agni nuptias, quas tantopere deperibat, advolaret, non tam morbo, quam flamma caritatis absumpta diem obiit supremum decimo sexto Kalendas Novembris anno 1690. Quae

Digitized by Google

de Venerabilis Margaritae Mariae sanctitate invaluerat opinio percrebuit magis, postquam ipsa e vivis excessit, accedente praesertim prodigiorum celebritate, quae Venerabili Dei Famula deprecante ferebantur contigisse. Quapropter etc. . . . . Datum ex Arce Gandulphi, sub annulo Piscatoris, die 19. Mensis Augusti anno 1864, Pontificatus nostri anno decimonono." [1])

Et haec quidem invicta illa auctoritas est Beatae Margaritae Mariae, quae, ut supra dictus judex Romanus in Operis Approbatione ait, *profecto satisfacere debet bonorum votis, qui appendentes munia pietatis et cultum devotionis ad pondus Sanctuarii discent, quam juste specialia suae Religionis officia huic sacro Cordi devoverint.*

§. II.

De Brevibus indulgentiarum ad Confraternitates SS. Cordis Jesu datis.

Postulator causae amplius trecenta indulgentiarum Brevia Sacrae Rituum Congregationi exhibuit anno 1726, quibus Summi Pontifices Confraternitates SS. Cordis in omnibus fere Christiani orbis partibus, etiam remotissimis, atque in Ecclesiis omnis generis et ordinis erectas solemniter decorarunt. Quae quum omnia ejusdem formae ac tenoris esse soleant, unum exemplum in forma extensa hic adscripsisse sufficiat, illud scilicet quod P. Gallifet in Catalogo Indulgent. memorat sub n. 86 [2]) quodque ipsi ex Archivo Monasterii Sanctimonialium S. Ursulae in Urbe Oeniponte fideliter extraximus. His igitur verbis conscriptae sunt indulgentiarum literae:

---

[1]) Analecta Juris Pontificii an. 1864, pp. 934 seqq.; necnon Vie et oeuvres de la b. Marguerite-Marie, tom. 1. pp. 578 seqq.

[2]) Edit. Roman. part. II, p. 169; edit. August. p. 563.

Digitized by Google

CLEMENS PP. XI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Cum (sicut accepimus) in Ecclesia Monasterii Monialium Sctae. Ursulae oppidi Civitatis nuncupati Insprugg Brixinen. Dioec. una pia et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub Titulo Sacri Cordis Jesu (non tamen pro hominibus unius specialis artis) canonice erecta sive erigenda existat, cujus Confratres et Consorores quamplurima pietatis et caritatis opera exercere consueverunt: Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Aplorum. ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexu Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon eisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis Confratribus et Consororibus vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam seu Capellam vel Oratorium die festo principali dictae Confraternitatis per eosdem Confratres semel tantum eligendo et ab Ordinario approbando a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effude-

Digitized by Google

rint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus et Consororibus vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis Ecclesiam seu Capellam vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis vel non feriatis seu Dominicis diebus per memoratos Confratres semel tantum etiam eligendis et ab eodem Ordinario approbandis, ut praedicitur, visitantibus et orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero Missis et aliis divinis officiis in dicta Ecclesia seu Capella vel Oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, seu Congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum et Consororum praedictorum quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque processiones de licentia Ordinarii faciendas sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus quam cum ad infirmos aut alias ubicunque et quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti campanae ad id signo dato semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies etiam orationem et salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum et Consororum praedictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut

si alias dictis Confratribus et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint; utque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae Literae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. [1])

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Februarii MDCCV. Pontificatus Nostri Anno quinto.

F. Card. Oliverius.

§. III.
De Patrum et Theologorum dictis cultui SS. Cordis Jesu faventibus.

Praeter relatos in opere Frigidiani Castagnorii imprimis commemoratione dignus est *Claudius de la Colombière, cujus nomen,* teste Benedicto PP. XIV. [2]) *celebre est inter Evangelicos praedicatores.* Concionibus quippe

---

[1]) Quod Breve ut executioni mandaretur, loci Ordinarius in fine documenti haec adscribi jussit: „Publicentur hic insertae Indulgentiae cum executione hujus Brevis, servatis servandis, approbando dies festivos a Confratribus electos, nempe festum de SS. Corde Jesu, quod celebratur feria 6ta post Octavam Corporis Christi, pro principali; pro aliis vero quatuor Festivitatibus festum Desponsationis B. V. M., ejusdem ad Nives, S. Nominis Mariae et Praesentationis. Sig. Brixinae in Offio. Ecclico. die 14. Octobris 1705."

Joan. Antonius de Zephyris,
Canc. et Praeses Off. Eccl.

[2]) L. c. supra pag. 172, n. 22.

valuit, maxime in aula Mariae, Ducissae Eboracensis, postea Reginae Angliae, et singulari animos convertendi tractandique gratia. Beatae Margaritae Mariae Alacoque aliquando a confessionibus fuit. Vir spirituum discernendorum peritissimus quum revelationes Beatae Margaritae probe ponderasset, ingenti gaudio perfundebatur, quod Jesus, Dominus suus, se in partem operis tam sancti vocare dignaretur. Exinde omnis ejus sermo de Deo, ad cujus amorem inflammabat omnes. Paulo post revelationes Beatae Margaritae factas Pater Claudius ex Gallia in Angliam Ducissam Eboracensem secutus tempore exercitiorum spiritualium *coelestes illas illustrationes* in codicem retulit, quarum mentionem infert Benedictus XIV. l. c. n. 22. [1]) „*His spiritualibus exercitiis finem imponens,* inquit, *firmissime animo decrevi, omni studio curaque in id incumbere, ut, quod Domini jussu mihi praescriptum fuit, executioni mandetur. Gratiae siquidem dulcedine ineffabili modo delibutus cognovi penitus sensique, Deum opera mea uti velle in negotio sibi acceptissimo procurando, quod totum pertinet ad certum quoddam religionis officium Christum Jesum in Altaris Sacramento respiciens; cujus officii rationem Dominus Jesus personae*

---

[1]) Ut Latina interpretatio Sacrae Rituum Congregationi exhibita conferri cum exemplari Gallico possit, archetypum heic sistere non piget Haec igitur Claudii ipsius manus est:

„Finissant cette retraite, plein de confiance en la miséricorde de mon Dieu, je me suis fait une loi de procurer par toutes les voies possibles l'exécution de ce qui me fut prescrit de la part de mon admirable maître à l'égard de son précieux Coeur dans le très-saint Sacrement de l'Autel, où je le crois véritablement et réellement présent. Comblé des douceurs que je puis goûter et recevoir de la miséricorde de Dieu sans le pouvoir expliquer, j'ai reconnu que Dieu voulait que je le servisse, en procurant

sibi imprimis carae peculiari revelatione manifestare dignatus est. Plerosque ego jam in Anglia ad hocce piissimum officium amplectendum, Deo adjuvante, feliciter permovi: literas quoque ad amicum in Galliam misi, rogans, ut ad hoc idem, quos posset, induceret, quod utique ad Dei gloriam maxime cessurum confido ob ingentem vim animarum magna pietate praestantium, in eo loco ac communitate degentium. . . . Atque utinam possim, o mi Deus, ubique terrarum versari, quodque a servis et amicis tuis jure tuo exspectas, apud omnes gentes praedicare! Cum igitur Deus consilium suum dictae personae declarasset ipsaque ad me retulisset, quae referebat, scripto ut traderet jussi: quae ego rursus in hoc „exercitiorum meorum diario“ *describere non sum*

---

l'accomplissement de ses désirs touchant la dévotion qu'il a suggerée à une personne à qui il se communique fort confidemment, et pour laquelle il a bien voulu se servir de ma faiblesse. Je l'ai déjà inspirée à bien des gens en Angleterre, et j'en ai écrit en France et prié un de mes amis de la faire valoir à l'endroit où il est; elle y sera fort utile, et le grand nombre d'ames choisies qu'il y a dans cette communauté me fait croire que la pratique dans cette sainte maison en sera fort agréable à Dieu. Que ne puis-je, mon Dieu, être par-tout, et publier ce que vous attendez de vos serviteurs et amis! Dieu donc s'étant ouvert à la personne qu'on a sujet de croire être selon son Coeur par les grandes grâces qu'il lui a faites, elle s'en expliqua à moi, et je l'obligeai de mettre par écrit ce qu'elle m'avait dit; ce que j'ai voulu décrire moi-même dans le *Journal de mes Retraites*, parceque Dieu veut, dans l'exécution de ce dessein, se servir de mes faibles soins. (Apud *Croiset:* Dévotion au Sacré-Coeur C. II, p. 5. edit. Lugdunen. an. 1808, *Vie et oeuvres de la b. Marguerite-Marie Alacoque*, tom. 1, p. 92.)

Digitized by Google

gravatus. Siquidem Deus hoc negotium curis etiam meis vult promoveri." [1])

Nimis longum esset omnes gratias recensere, quae ex cultu ss. Cordis Jesu in P. Claudium de la Colombière profluxerunt; illud dumtaxat ex Langueto breviter afferre liceat, Patrem Claudium, ex eo die, quo se cultui sacratissimi Cordis Jesu totum addixit (fuit is 21. Junii an. 1675, seu dies post Octavam Corporis Christi), innumeras gratias a Deo recepisse, praecipue vero in dies novo fervore vitae spiritualis novoque amore Jesu ita accensum fuisse, ut ab omnibus, quotquot eum noverant, vir consummatae sanctitatis haberetur, quam ipsam abunde satis demonstrant non pauca eaque ardua ab ipso emissa vota, quae legere quisquis poterit ad initium operis concionum a magno hoc Dei famulo habitarum, quae pluries jam in lucem prodiere.

Pater de la Colombière glorioso ex tota Anglia in odium fidei, post plurium mensium carceres, imperato exilio celeberrimus in Galliam redux quatuor dumtaxat annos superstes fuit. Praeclarissima virtutis et tantum non sanctimoniae fama illustris ad coelestem patriam, ut speramus, evocatus est 15. Februarii anno reparatae salutis 1682, aetatis suae 41. Ipsa ejus mors, quam Beata Margarita Maria illi praedixerat, cultum sacratissimi Cordis Jesu mire promovit: scriptis ejus operibus varias in linguas translatis ac summa aviditate a populis christianis exceptis. Atque hic ille est venerabilis Dei famulus, cujus suffragio usus in defensitanda causa est Pater Gallifet in scripturis Congregationi oblatis.

---

[1]) Retraite spirituelle où sont marquées les grâces et les lumières particulières, que Dieu lui communiqua dans ses exercices spirituels durant trente jours. Typis Parisiensibus iterum prodiit anno 1835 apud Perisse.

Digitized by Google

Post Patrem Claudium de la Colombière laudat Gallifet inter alios *Jacobum Alvarez de Paz*, Toletanum, *virum*, ut ipse ait, *vitae sanctitate insignem atque in via spirituali*, *quam tot excellentissimis libris demonstravit*, *ducem peritissimum*. Et sane fuit Alvarez, teste historia Societatis Jesu, [1]) vir omni virtute ornatissimus ac Sancti nomine identidem insignitus. Limae Philosophiam ac Theologiam summa cum laude docuit. Plura scripsit, in quibus se discernendorum spirituum maxime peritum probavit. In iis quid de cultu ss. Cordis Jesu sentiret, semel atque iterum expressit, praecipue vero *tom. 2.*, *lib. 4.*, *part. 2.*, *Exercit. 2.*, ubi haec habet: „*Conaberis intrare in Cor Domini Jesu ipsumque considerare, quale sit: ut ad ipsius similitudinem cor tuum efformes. Cor istud sanctissimum est via, per quam venimus ad aeternam mansionem, quae est Christi divinitas: et ostium, per quod ingredimur ad contemplationem divinitatis; ut ergo possis ad contemplationem et amorem divinitatis ascendere, Cor istud Domini, omnium cordium sanctissimum atque mundissimum, intenta consideratione penetrare curabis, ut simile cor, aspirando in oratione et laborando in actione, habere coneris. . .*" Tum hanc praxim subjungit: „*O Salvator hominum Christe Jesu, cujus opus redemptio nostra est: cujus imitatio tota perfectio est, aperi mihi, obsecro, sanctissimum Cor tuum, januam vitae et fontem aquae vivae, ut per illud ad tui notitiam ingrediar, et aquam verae virtutis omnem sitim rerum temporalium extinguentem bibam etc.*" Decessit vir eximius, post continuatos ad multam aetatem apostolicos labores, Potosii, in regno Peruviae, mense Januario, anno salutis 1620. Mox omnium ingentes de ejus sanctimonia

---

[1]) Cfr. ***Alegambe:*** Bibliotheca Soc. Jesu.

Digitized by Google

fuere sermones, concursus ad cadaver rosariis contingendum grandis. Sodalium vero ea fuit de viri virtute opinio, ut singuli prope aliquid ab eo tractatum ad reliquias acciperent.

Peculiari deinde inciso in eorum commemoratione versatur P. Gallifet, qui ingressum in interiora Jesu docent atque ipsum Cor Salvatoris tanquam saluberrimam habitationem fidelibus assignant. Sc. post disputationem illam de naturali colligatione amoris cum corde, quam supra attulimus pag. 119 seqq., excellentiam cultus ss. Cordis Jesu locupletissimis hisce testibus planam facit. „Superest, inquit, ut his omnibus considerationibus in laudem Sanctissimi Cordis hactenus adductis, hanc ultimam, viris spiritualibus magis propriam, adjiciamus, scilicet Cor Jesu vulneratum et apertum, veluti asylum quoddam tutissimum, animabus singulari puritate ac caritate praeditis, esse praeparatum; in quod confugere debeant ac soleant, invitante Spiritu Sancto in *Cant. c. 2.* „*Veni columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae.*“ Una est enim Patrum ac interpretum sententia, vocibus illis vulnera Christi indicari: ita, ut per *foramina*, plagae pedum manuumque; per *cavernam* autem ipsum latus, ac *Cor lancea apertum*, significentur. Porro solemne esse puris ac fidelibus animabus in hoc asylum confugere, ibique quasi mansionem collocare, certa res est Sanctorum experientia comprobata: quorum selecta aliqua testimonia hic adjungere placet.

S. Bernardus de Corde Jesu vulnerato disserens [1]) pios animi sui sensus erga Cor illud divinissimum, in hunc modum expressos reliquit: „Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus

---

[1]) Tract. de Pass. c. 3. Cfr. quae observavimus supra pag. 81.

Digitized by Google

nos, facile avelli ab eo. Accedamus ad te, et laetabimur et exultabimus in te, memores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in Corde hoc! Bonus thesaurus, bona margarita, Cor tuum, bone Jesu. . . . Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia et comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum in Cor Domini Jesu: ad hoc templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo et laudabo nomen Domini, dicens cum David: inveni Cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris et amici benigni Jesu, et numquid non adorabo? Orabo utique, Cor enim illius meum est, audacter dicam: nam si caput meum Christus est, quomodo, quod capitis mei est, non meum est? Hoc igitur Corde tuo et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum: admitte tantum in sacrario exauditionis tuae preces meas; imo me totum trahe in Cor tuum. O omnium speciosissime Jesu amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, ut in Corde tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus; ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab omnibus perturbationibus absoluti habitare possimus . . . propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi, quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit?. . . Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet?

D. Bonaventura agens de Christi vulneribus haec habet: [1]) „O amantissima vulnera Domini nostri Jesu

[1]) *Stim. Div. amor.* c. 1. Editionis Moguntin. tom. 7. pp 194 seqq. Licet plures e recentioribus editoribus opusculum, quod inscribitur *Stimulus Divini amoris,* aliqua ratione supposititium

Christi! cum in ea subintrarem, perveni ad intima viscera caritatis suae, ibi inhabito . . . ibi tanta abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. O coecitas filiorum Adae, qui per haec vulnera in Christo nesciunt introire! Beatitudo angelorum patet, et circumstans paries ejus confractus est, et vos introire negligitis. Crede mihi, o homo, quia, si in Jesum per haec angusta foramina introire volueris, non solum anima, sed etiam corpus tuum quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet . . . et si ita accidit de corpore, quanta putas animam frui dulcedine, quae per illa foramina conjungitur Cordi Christi: certe exprimere nequeo: sed experire. Ecce aperta est apotheca omnibus aromatibus plena . . . ecce aperta est janua Paradisi, et per lanceam militis gladius versatilis amotus est: ecce apertus est thesaurus sapientiae et caritatis aeternae: intra ergo per vulnerum aperturam. O quam beata lancea et beati clavi, qui apertionem hujusmodi facere meruerunt! O si fuissem loco illius lanceae, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem: haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. [1]) O anima, ecce sponsus

habeant, quod potius ex variis aliis operibus Seraphici Doctoris collectum quam ab eodem in eam, qua nunc extat, formam redactum videatur, illud tamen omnes contra ineptam, ne dicam, impiam censuram defendunt, qnam de eo ferre non erubuit *Casimirus Oudinus* (de Script. Eccl. tom. 3. p. 423.) quem ab orthodoxa fide et Religioso Ordine apostasia adeo occaecavit, ut his in rebus nihil cernere potuerit.

[1]) Ad haec grandi oris hiatu exclamat *Oudinus* l. c.: „Quid absurdius potest excogitari expressionibus ejusmodi, quae hujus libri scriptorem extaticum aliquem Franciscanum produnt, sed divi Bonaventurae gravitatem nullatenus referunt.“ Respondemus Oudino, non fuisse extaticum Franciscanum Divum Laurentium Justinian. qui eadem ad verbum descripsit cap. I. sui „Incendii amoris.“ Quod si ejus gravitatem referant, quidni Sancti Bonaventurae?

Digitized by Google

tuus dulcissimus prae nimio amore aperuit tibi latus, ut tibi tribuat Cor suum!"

Illuc quoque spectabat *Augustinus in manuali c. 23.* „Longinus, inquit, aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus." Quae Augustini verba Doctissimus Suaréz referens, [1] agens de vulnere lateris Christi haec habet: „Christus vulnerari voluit in ea parte Corporis, qua ejus Cor hominibus quasi patere posset; ut intelligerent sibi apertum ostium, per quod in Cor Christi ingredi, illicque possent requiescere."

Idem experiebatur *S. Laur. Justin. tract. de casto connub. c. 8.* „Ostia haec intuemini: lateris manuumque fixuras videte Redemptoris: apertae sunt, introire ne timeatis: intus est latitudo immensa, deliciae inaestimabiles et odoramenta, per quae interiores animae sensus reparantur, et pacatissima quies."

Idem testatur *S. Thomas de Villanova,* [2] *concione 2. in Asc. Domini:* „Turtur ipsa est casta et gemebunda Ecclesia, sponsi sui solatio viduata; cui in hac viduitate gemitus continuus pro cantu est . . . nidus turturis pectus et dilecti sui, in quo per lateris aperturam subintrans secura nidificat."

Idem et *Guerricus, Abbas* [3] *sermon. 4. in Domin. Palm.* „Benedictus, qui, ut nidificare possem in forami-

---

[1] In III. p. T. 2. disp. 41. sect. 1.

[2] † 8. Sept. an. 1555, aetatis 68, Cfr. Breviar. Rom. ad d. 22. Septembris.

[3] *Guerricus*, natione Belga, ex canonico Tornacensi, scholae magistro, monachus Cisterciensis et circa an. 1140 discipulus s. Bernardi, atque inde Abbas Igniaci, in dioecesi Remensi, auctor est plurium sermonum, qui pari fere, qua Bernardi, reverentia legi merentur. Extat ejus elogium apud *Migne:* Pat. Lat. tom. 185. p. 10. et tom. 188. p. 983.

Digitized by Google

nibus petrae, latus perforari sibi tulit; et se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis . . . tuta habitatio, fratres mei, turrisque fortitudinis a facie inimici: ingredere igitur in petram, o homo; et abscondere in fossa humo . . . in fosso latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid, nisi ostium in latere arcae salvandis a facie diluvii? . . . Ideo latus suum aperuit, ut spiritus Cordis quasi patenti et libero meatu aspiret: ibi tuto latebis . . . ibi deliciis afflues."

Verum has affectiones erga Cor Jesu, animique delicias ex illo divinissimo fonte prodeuntes, nemo suavius degustavit aut mirabilius expertus est, quam selectae quaedam Virgines, a Christo Domino praecipuo amore dilectae, et ab ipso coelesti sponso Cordis sui divitias edoctae; quarum aliqua testimonia hic apponere operae pretium visum est. Eminet inter ceteras *S. Gertrudis*, ex cujus vitae actis, ac revelationibus perspicuum fit, vix etiam in Ecclesia Virginem reperiri, in quam tot tamque admirabiles gratias ac favores Deus contulerit: haec igitur divinitus inspirata ardentissimo semper erga Cor Jesu accensa studio fuit; atque ex illo sacratissimo fonte infinita gratiae dona coelestesque delicias perenni fluxu in se emanasse, testatum posteris scripto reliquit. Insignis est in primis ille locus *lib. 2. c. 23.* (qui liber ab ipsamet virgine conscriptus est), ubi post enumerata multa beneficia, sibi ab infinita Dei liberalitate concessa gratiasque agens pro singulis, de beneficiis e Corde Jesu in se profectis subjungit in haec verba, quae, uti jacent in libro insinuato, refero. „Praeter haec omnia, addidisti etiam mihi inaestimabilem amicitiae familiaritatem impendere, nobilissimam illam Deitatis arcam, scilicet deificatum Cor tuum diversis modis mihi praebendo in copiam omnium delectationum mearum: nunc illud mihi gratis donando,

Digitized by Google

nunc ad majus mutuae familiaritatis indicium illud cum meo commutando: cum quo Corde tam occulta secretorum judiciorum simul et deliciarum tuarum mihi manifestasti; ac tam amicissimis blanditiis animam meam multoties liquefecisti; ut, si abyssalem superfluentiam dignationis tuae ignorarem, mirarer, si intelligerem, te vel Matri tuae benignissimae tecum in Coelo regnanti, tales blanditias tam dignantissimo affectu exhibuisse.“ *Eodem libro 2. c. 21.* haec refert: „Supra haec omnia adjecit inaestimabilis virtus caritatis tuae, Deus meus, haec dona supra dicta tali pacto dignantissime obfirmare. Nam, cum die quadam ea beneficia mente revolverem, et usque ad illam praesumptionem ducta fuissem, quod causarer, te mihi ea beneficia more pollicitantium manu ad manum non firmasse; tua tractabilissima suavitas his querelis se benignissime satisfacturam promisit, dicens: ne hoc causeris, accede et suscipe pacti mei firmamentum. Et statim parvitas mea conspexit te, quasi utrisque manibus mihi pandere arcam illam divinae fidelitatis atque infallibilis veritatis, scilicet deificatum Cor tuum; jubentem me perversam more judaico signa quaerentem, dexteram meam extendere, et in sacratissimum Cor tuum mihi patefactum immittere: et manu mea sic in Cor tuum inclusa, dixisti: ecce dona tibi collata me tibi illibata servaturum promitto.“

In revelationibus *Beatae Mechtildis* (de qua *Canisius* [1]) ita loquitur: Virgo divino spiritu illustrata, et in sacris revelationibus probe sancteque versata, tam sancta et sapiens, ut electum Dei organum praeclaris divinisque dotibus ornatum, cum viveret, merito haberetur; multaque miranda per illam suam sponsam Christus et docuerit, et

---

[1]) L. I. c. 13. De Mar. V.

Digitized by Google

ostenderit) haec commemorantur: [1]) „Respondit Dominus: do tibi Cor meum in pignus . . . do etiam tibi Cor meum in domum refugii; hoc donum unum erat ex praecipuis donorum Dei . . . coepitque ex tunc mira devotione circa divinum Cor Domini Jesu affici; et fere, quotiescunque illi Dominus apparebat, aliquod speciale donum a Corde ejus accipiebat: sicut patet in multis locis libri hujus. Saepe etiam ipsa simpliciter ita dicere solebat: si omnia scribi deberent, quae a benignissimo Dei Corde mihi collata sunt bona, matutinalis libri quantitatem excederent." [2])

Denique Postulator causae auctoritatem adhibet testis plenam sibi fidem vindicantis, e cujus testimonio perfectam causae probationem educere conatur. Est autem Sanctimonialis, miraculis et hausta coelitus doctrina in Europa atque in America celeberrima *ven. Maria ab Incarnatione* (antea *Maria Guyert* dicta), quae, anno Christi 1599 nata Turonis in Gallia die 18. Octobris, ordinem S. Ursulae ingressa aetatis anno 32, piissime obiit die 30. Aprilis an. 1672. Sic itaque testem producit:

„Haec ipsa est sanctimonialis tota Gallia vitae sanctitate celeberrima, omnibus gratiae donis mirabiliter insignita, altera Theresia dicta, quae nova prorsus admirabilique vocatione, Dei monitu, ac superiorum permissu, invicto animo maria trajiciens, in plagas Canadenses anno 1640 se contulit, [3]) ibique Monasterium feminis barbaris

---

[1]) De gratia spirituali seu revelat. B. Mecht. l. I. c. 28. edition. Venet. an. 1558.

[2]) Apologias pro gestis ac scriptis sanctarum Mechtildis et Gertrudis plures doctissimi viri in lucem emiserunt, quos citat et convitiis Casimiri Oudini (de Scriptor. Eccl. tom. 3. p. 237) opponit *Ziegelbauer:* Histor. rei literariae O. S. B. p. III. c. 5. §. 10. (Tom. 3. pp. 511 seqq.)

[3]) Maria ab Incarnatione Deppae in Americam conscendit d. 3. Aprilis anni 1639.

Digitized by Google

in fide educandis destinatum, fundavit. Quo opere, labore ingenti, consummato, ipsa barbaris illis feminis instituendis, zelo plane apostolico, ad senium et mortem usque perseveravit. Porro haec eximiis virtutibus adeo excelluit, tot tantisque coelestibus gratiis abundavit, tam sublimibus a Deo communicationibus ac donis ornata fuit, ut ejus animae rectores animo reputantes, quantum utilitatis et fructus ex illarum gratiarum cognitione ad Dei gloriam publicumque Ecclesiae bonum aliquando existere posset, non dubitaverint idem illi praeceptum imponere, quod olim Sanctae Theresiae impositum fuisse legimus: nimirum ut vitam ipsa suam, beneficiaque a Dei bonitate accepta, manu sua conscriberet. Paruit, ut decebat, vitam scripsit suam: quae postea, ea mortua, in lucem, cum Doctorum et Superiorum approbationibus, non sine legentium admiratione edita est. Eo quippe stilo res suas conscripsit, ut facile appareat, (id quod ipsa satis innuit) afflante Numine, verbaque Spiritu Sancto subministrante, opus injunctum perfecisse. Neque enim humana mens, rebus, quae his scriptis continentur, utpote ab humano sensu intelligentiaque remotissimis, tam sublimiter tamque dilucide tractandis, par ullatenus censeri potest.

Haec igitur sanctimonialis, quod ad rem praesentem attinet, Cor Jesu maximo affectu constantissime ad mortem usque venerata est: et quidem eo tempore ac aetate, cum de hoc cultu nostro, utpote nondum cognito, altum in Ecclesia silentium tenebatur. Quo pacto autem coelesti revelatione didicerit Cordi Jesu cultum adhibere, ipsa in hunc modum refert lib. 2, c. 10. et iterum l. 3, c. 13. in additione:

„Crescebat in dies magis ac magis hoc meum vehementissimum de amplificatione regni Jesu Christi desiderium, precibusque ardentissimis de hoc negotio agere apud

Patrem aeternum non cessabam. Accidit autem nocte quadam, cum super ea re, more meo, cum Patre aeterno in oratione tractarem, ut, subita in animo meo oborta luce, perspexerim ac senserim, me a divina majestate aequis auribus non audiri, Deumque Patrem, contra solitum, meis precibus minime tangi. Pupugit acerrime haec infusa cognitio cor meum miraque anxietate vexavit: omnia pati cupiissem, ut id, quod in me deerat, ad Patris aeterni Cor emolliendum, divina bonitas largiretur; ut sic demum rem, quam enixissime petebam aequissimamque esse sentiebam, obtinere possem. Hoc equidem apud me interius certo cognoscebam, preces meas Deo esse gratas; sed eum tamen, ut se exorari pateretur, aliquid praeterea ex me cupere, quo me carere sentiebam. Ego vero me ad illius pedes abjiciens, atque in abyssum vilitatis meae, quantum poteram, memet immergens, optabam vehementissimo desiderio, ut hoc ipsum, quod mihi deerat, donare summa majestas dignaretur, ut exaudiri tandem possem. Tum vero repente divinae lucis radium in animam meam illabi sensi, quem haec vox statim secuta est: *Pete a Me per Cor Jesu Filii mei amantissimi: Per illud exaudiam Te, et impetrabis, quae poscis.* Porro ex illa hora ac momento, Spiritus, quo anima mea regebatur, huic me divino adorandoque Cordi tam arctissime conjunxit, ut jam nec loqui, nec spiritum ducere, nisi per illud possem. Novas quotidie in hoc divinissimo Corde Jesu gratiae infusiones experiebar, quas neque calamo, neque lingua exprimere fas est.“

Ex illa die, quotidianum exercitium erga Cor Jesu usurpare coepit: cui nunquam se defuisse, 30 annorum spatio, quos supervixit, confitetur in epistola, quae lib. 3. ejusdem vitae c. 13. in additione refertur, in haec verba: „A me petis, ut de quibusdam pietatis officiis mihi fami-

Digitized by Google

liaribus te participem faciam. Non es nescius, me illa exercere vix posse, quae certis ac definitis actionibus continentur. Fatebor tamen ingenue, unum esse prae caeteris, quod ab ipso Domino acceptum habeo, in quo triginta jam ferme annos me exerceo, erga sacrosanctum et supreme adorandum Cor Jesu. Ratio autem, quae me impulit ad hoc exercitium amplectendum, si scire cupis, haec fuit. Nocte quadam, cum aliquid a Patre aeterno maxima contentione peterem (hic summatim repetit, quae modo citata sunt, tum haec addit:) Meae internae facultates omnes jam tunc huic sacrosancto Cordi tam intime fuere conjunctae, ut Patri aeterno loqui amplius non valerem, nisi per Cor Jesu. Ab illo tempore dies singulos vespere claudo pia ad Cor Jesu exercitatione: cui nunquam me defuisse memini, nisi fortasse necessitate compulsa. Et quidem, si audire libet, en ferme exercitium meum ad Cor Jesu, et rationem, quam tenere soleo Patrem aeternum alloquens.

Per Cor Jesu mei, vitae meae, veritatis et viae, ad te accedo, o Pater aeterne! Per hoc adorandum Cor, te adoro pro iis omnibus hominibus, qui te non adorant: Te amo pro his omnibus, qui te non amant: Te Deum agnosco pro iis omnibus, qui voluntarie excaecati te agnoscere negligunt. Cupio hominum omnium erga te obligationibus et officiis majestati tuae per hoc divinissimum Cor satisfacere. Totum orbem mente circumeo, animas requirens pretioso sponsi mei redemtas sanguine, ut pro iis per hoc sacrosanctum Cor tibi satisfaciam: eas complector, tibique per Cor Jesu offero: eorum ad te conversionem per illud ipsum Cor submisissime peto. Heu! ne permittas, Jesum meum ab illis diutius ignorari. Fac, ut pro illo vivant, qui pro illis omnibus mortuus est. Cernis equidem, divine Pater, eas nondum certe vivere. Ah! fac per hoc divinum

Digitized by Google

Cor Jesu, fac, obtestor, ut vivere tandem incipiant. Offero majestati tuae super hoc sanctissimum Cor N. N. servos tuos. Peto per divinum sponsum meum, ut eos ejus spiritu repleas: utque auspice eodem illo sacrosancto Corde, tecum esse mereantur in aeternum. Tum sermonem dirigens ad Verbum ipsum incarnatum, sic ajo: Scis utique dilecte mi, id omne, quod Patri per divinum Cor tuum dicere cupio: atque haec omnia cum dico Patri tuo, tibi etiam ipsi dico: quia Tu in Patre, et Pater in Te est. Haec igitur omnia cum illo perfice. En! quale sit meum ad Cor Jesu exercitium. Deinde considerans, quantum debeam Verbo incarnato, in hunc modum orare pergo: o mi divine sponse, quid tibi rependam pro tuis innumeris in me collatis beneficiis: tibi utique gratias agere volo per divinissimam matrem tuam. Cor sacrosanctum hujus SS. Matris tibi offero, quemadmodum Patri aeterno tuummet obtuli. Per hoc sacrosanctum Cor Matris tuae, tanto tui amore succensum, te amo: haec sacra ubera, quae suxisti, hunc uterum, in quo habitare voluisti, tibi offero, ut pro omnibus acceptis beneficiis gratias agam; atque etiam pro vitae meae emendatione, et animae meae sanctificatione. Tum denique ad B. Virginem me converto, et quidquid affectus suggerit, fundo."

Digitized by Google

CAPUT III.

AUCTORITATES ADDUCTAE SUB CLEMENTE PP. XIII.

***ARGUMENTUM.** Quum totus apparatus probatorialis sub Clemente PP XIII. fere nihil novi contineret praeter cultus per universum orbem propagati expositionem, Patres ritibus tuendis praepositi ut aequissimos ejusmodi propagationis existimatores et judices se praeberent, ipsum cultum propagatum ad obrussam exigebant ac praecipuos ejus propagatores certa regula ponderabant, rem scilicet magis ratione quam oculis pendendo.*

De rationibus dogmaticis cultus ac festi sacratissimi Cordis Jesu inde a tempore Innocentii PP. XII. per annos 60 et quod excurrit apud Sacram Rituum Congregationem ita accurate disputatum erat, ut nihil ultra potuerit. [1] Hinc eadem haec Sacra Congregatio sub Clemente PP. XIII. potius *ipsum factum adeo celeris propagationis* hujus devotionis examini subjicere atque in ejus causas necnon in *varia illa pietatis exercitia* inquirere voluit, quibus cultus Sacratissimo Cordi Jesu per omnes fere catholici orbis partes propagatus exhibebatur. Speciali disquisitione quippe dignum videbatur, quod, licet maximae contra hunc cultum excitatae fuissent turbae, post 80 circiter a facta revelatione annos plenissimum triumphum tamen per totum orbem terrarum de omnium hominum cordibus egerat.

---

[1]) Sub Clemente PP. XIII. novas rationes dogmaticas allatas a Postulatoribus non fuisse, res est solis luce clarior; si enim eorum Memoriale (supra p. 85 et p. 97) cum iis conferatur, quae ex scripturis Patris Gallifet exhibuimus pp. 96 seqq., liquet, in eo tantum non ad verbum descripta esse, quae proposita jam erant apud S. R. C. anno 1726.

Digitized by Google

Primum quidem occulte ac timide a paucis erat susceptus, postea publice ac confidenter ubique usurpatus et propugnatus a viris etiam virtute et doctrina praestantissimis, ut adeo confici merito potuerit, tam subitam, tam inexpectatam populorum ad Cor Jesu conversionem tanta animorum consensione sine instinctu divino minime evenisse.

Plura quidem de vi et praestantia Decreti Sacrae Rituum Congregationis anni 1765 diximus supra pp. 127 seqq., ut perversam Camilli Blasii interpretationem excluderemus. Quo vero cogitationem Patrum sacris ritibus tuendis praefectorum plenius assequamur, ad commentarii nostri absolutionem de duobus praeterea quaerendum est, scilicet: 1° quaenam ad id usque tempus essent potiora illa pietatis exercitia, quibus perspectis S. Congregatio declaravit, *cultum Sacratissimi Cordis per omnes fere catholici orbis partes jam esse propagatum?* [1]) et 2° ecqui praecipue memorati apud S. R. C. reperiantur *hujus cultus propagatores?* Duplici quaesito distinctis paragraphis ultimo hoc capite satisfaciemus, necessariae consuetaeque brevitati tamen per omnia servientes.

§. I.
De varia praxi cultus SS. Cordis per totum orbem jam propagati an. 1765.

Quemadmodum P. Gallifet Postulatoris esse censuit anno 1726, ut in suo, quod Sedi Apostolicae obtulit, opere memoraret modos SS. Cor Jesu colendi, [2]) ita qui eum secuti sunt causae defensores praxes sedulo indicarunt, quibus cultus Sanctissimo Cordi deferebatur. Eas prae

[1]) Supra p. 51.

[2]) De cultu Sacrosancti Cordis l. III, c. 5.

Digitized by Google

caeteris diligenter collegit P. Schauenburg [1]) in opere *Amabilissimum Cor Jesu Dei — Hominis ad amandum et redamandum propositum*, part. II, c. 6., ex quo potiores tantum exhibemus, ne in declaranda re aliunde nota diutius quam necesse est immoremur. Omissis igitur orationibus, precibus jaculatoriis, aliisque pietatis exercitiis has *praxes colendi amabilissimum Cor Jesu* proponit l. c.

Prima est. Ante oculos in cubiculo tuo expositam habe imaginem Sanctissimi Cordis Jesu. Quid autem huic Cordi facias, Joannes Landspergius ob insignem pietatem Justus cognominatus, ex Ordine Carthusianorum doctrina et usu rerum spiritualium commendatissimus, [2]) nobis jam pridem declaravit in opusculo, quod „*Pharetram divini amoris*“ nuncupavit, ubi multa alia insignia de cultu Cordis Jesu habet. In ordine ad praesentem praxim ita loquitur: Figuram aliquam Dominici Cordis ponas in loco aliquo, per quem saepius transire debeas, qua saepius exercitii tui, et amoris in Deum excitandi admonearis. . . . Posses etiam urgente devotione externam figuram hanc, id est, Cor Domini Jesu osculari et animo tuo persuadere, quasi verum deificum Cor Domini Jesu sub labiis habeas osculandum: in quod Cor tuum imprimere gestias, atque spiritum tuum immergere, absorberique desideres, videarisque tibi ex gra-

---

[1]) *Schauenburg*, Franciscus, natione Germanus, patria Friburgensis Brisg., natus an. 1716, adolescens in Societatem Jesu cooptatus est. Vir fuit, si quis alius, fervens et divinae gloriae ac salutis hominum zelo accensus. Studio honoris Sacratissimi Cordis Jesu promovendi plura edidit, satis beatum se profitendo, ut ipse ait, si per ea unum aut alterum cor Cordi Jesu lucratus fuisset. (Praefat. Manual.) Opera ejus recenset De Backer: Bibliothèque des écrivains d. l. C. d. J. tom. 4, pp. 663 seqq. Obiit 10. April. 1772.

[2]) Cfr. supra pag. 144.

tioso ipsius Corde attrahere in cor tuum spiritum ejus, gratiam quoque ejus, et virtutes, ac prorsus quidquid fuerit ibi salutare, quod mensuram excedit; his enim omnibus Cor Jesu exuberantissime scatet. [1]

Secunda. Ubicunque demum existas, assuesce amabilissimum Cor Jesu continuis precibus jaculatoriis quasi centrum cordis tui sagittare. Ita egit olim Angelicus Juvenis Aloysius, saeculi nostri vere Thaumaturgus, ut in celebri illo raptu Diva Magdalena de Pazzis testata est, dum altum exclamavit: „O quantum Aloysius amavit in terris! quapropter nunc Deum in coelo possidet in summa plenitudine amoris. Jaculabatur, dum adhuc erat mortalis, in Cor Verbi: nunc vero, dum est in coelo, sagittae illae in ipsiusmet requiescunt corde, quia communicationem illam, quam per actus amoris et conjunctionis cum Deo (qui erant sagittae ejus) merebatur, jam vere comprehendit et possidet.“ [2]) Ob has tam crebras sagittas in Cor Jesu evibratas non mirum, quod Aloysius, praesertim in Gallia, inter praecipuos Cordis Jesu amatores colatur; unde et in Germania nostra in aliquot Litaniis typis impressis inter alia elogia etiam titulus ardentissimi amatoris Cordis Jesu Aloysio attribuitur, qui non alia die ex his terris, ut bene advertit in praeclaro suo opere P. Joannes Croiset, ad Cor Jesu sui abiit, quam ineunte die Veneris post Octavam Corporis Christi, id est, ipsissimo die, qui modo in magna orbis parte sanctissimo Cordi Jesu festivissimus habetur: [3]) ubi et illud, quod idem P. Croiset

---

[1]) Cfr. supra pag. 166.

[2]) Cfr. supra p. 164.

[3]) Id reformatae temporum rationi esse consentaneum, confecto calculo Paschali anni 1591 (quo S. Aloysius coelis insertus est) patet. In eum annum quippe hae notae chronologicae congruunt:

Digitized by Google

testatur, tacere nequeo, nempe per intercessionem magni hujus amatoris Cordis Jesu non paucos insignem amorem erga idem Cor obtinuisse.

Tertia. Quidquid petis a Deo, pete per Cor Jesu. Id jam pridem observarunt sanctae Sorores Mechtildis et Gertrudis, imo passim et alii Sancti. Venerabilis quoque Maria de Incarnatione, illa Galliarum Theresia hanc ipsam praxim, dum semel, se a Deo aequis auribus non audiri, adverteret, divinitus edocta est, dum vocem a coelo delapsam audiit: „Pete a me per Cor Jesu Filii mei amantissimi: per illud exaudiam te, et impetrabis, quae poscis.“ Et vero, si Jesus promisit, quod petentibus in nomine suo Pater aeternus daturus sit omnia, quid idem Pater non dabit petentibus per et in Corde Jesu.

Quarta. Si quid arduum in studio virtutis tibi occurrit, si vincendus animi cordisque tui indomitus aliquis affectus, tunc te anima amore amabilissimi Cordis Jesu. Ita ad magnam perfectionem eluctatus est venerabilis P. Gabriel Lallemant, Gallus, Societatis nostrae, qui cum adhuc Philosophiam doceret, in sacro recessu amore Cordis Jesu ita exarsit, ut eodem ad omnia ardua deinceps superanda se identidem hisce verbis animaret: „Age anima mea! pereamus sancte, et dulcissimo Cordi Jesu voluptatem, quam possumus, pariamus.“ A verbis his facta non aberant; nam fidei propagandae zelo accensus, ut fuse narrat Tannerus noster, in novam Franciam abiit, ubi a barbaris toto corpore tostus, et carne frustatim avulsa devoratus, insignem Martyrii palmam reportavit cum ma-

---

Cyclus Solis 4; Lit. Dom. F; Numerus aur. 15; Epacta 5; Pascha 14. Aprilis; Corpus Christi 13. Junii, et fer. VI. post Octav. Corp. Ch. 21. Jun. Quorum omnium rationes petantur ex *Computo Ecclesiastico*.

Digitized by Google

xima, ut indubium est, sanctissimi Cordis Jesu voluptate. Ad hanc quartam praxim pertinet, ad unam aut alteram horam cum consensu Confessarii votum in honorem Cordis Jesu emittere, hunc vel illum defectum deliberate non committendi, hunc vel illum actum virtutis exercendi etc. Talia vota, eaque difficillima in honorem Cordis Jesu quam plurima edidit Ven. Margarita ab Alacoque.

Quinta. In omnibus necessitatibus confuge ante omnia ad tui amantissimum Cor Jesu; nam „Ubi cunctorum“, ait supra citatus Landspergius, „te mortalium corda deseruerint, ubi imposuerint tibi: securus esto, hoc fidelissimum Cor te non decipiet, nec derelinquet.“ Praesertim te totum confer ad hoc sacratissimum Cor in ariditatibus, aut obduratione quacunque cordis tui. Cor Jesu totum quantum natum et factum est, ut misereatur tui. Proderit etiam, si in tali casu durum, et obstinatum cor tuum mente applices Cordi Jesu, ut ad contactum illius carnei Cordis, quod amore nostri ut cera liquescit, cor tuum ferreum emolliatur. Certe si olim fidelibus multum profuit demortuo cordi S. Augustini Hipponensium antistitis corda ex ferro facta applicare, num minora speremus ex simili pietate erga Cor Jesu, id est, Cor ipsius Dei viventis? et numquid cum fide attacta vel fimbria vestimenti Jesu patravit miracula? quid cum eadem fide attactum faciet ipsum Cor Jesu, praesertim post S. Communionem, ubi cordi nostro reipsa proximum est?

Sexta. Si ad petitiones tuas ipsum Cor Jesu aliquanto tardius, et durius tibi videatur, tunc (si tamen jam aliquantulum familiarem magis esse liceat) hoc ipsum Cor exaggeratis secundum longum, et latum, ut ita loquar, miseriis tuis mendicorum more flectere studeas, unaque apertius illud moneas, utique Cor Jesu non esse durum, sed esse merum Cor, Cor misericors. Ita emolliit Cor

Digitized by Google

Jesu Maria Peros de Castello, ut refert Muratorius in exercitiis ad mentem Ven. Patris Segneri S. J. Identidem Virgo haec piissima (erat illa discipula S. Francisci Salesii) a Deo gratiam petebat susceptionis in Ordinem Religiosum. Jam vero saepe acciderat, ut, postquam hanc ipsam gratiam a Jesu suo in templo efflagitasset, inde exiens a mendicis pro eleemosyna interpellaretur. Hic illa studiose se diu multumque rogari passa est, ut exinde vehementius auditae pauperum, et prolixius exaggeratae miseriae cor suum commoverent. Id ubi fieri sensit, pleno corde, et ore se ad Jesum suum convertit, dicens: ecce mi Jesu! ego licet sim humano, id est, duro corde, ulterius tamen has miserias audire nequeo: misereor pauperum et do stipem. Et tu, o Jesu! qui totus es misericordia, totus cor ad miserendum, me tamdiu non audis? etc. Imitatione quoque dignum est, quod ven. P. Thomas de Jesu Ord. S. Augustini in Aerumnis Christi, Aerumna 19na, in hunc fere modum refert: Fuit, qui peccatis immersus, cum de iis ob duritiem cordis, ut ut vellet, dolere tamen jam non posset, prae moerore e domo exierat incertus, quo tenderet reperiendi alicujus solatii causa. Exeunti ad januam domus mendicus omnino miserabilis occurrit: hic recordatus, Jesum dixisse, sibi fieri, quod suis fit, iterum ingressus domum panem ei attulit, et flexis coram eo genibus, detectoque capite, cogitans, se esse coram ipso Jesu, haec in corde suo dixit: Jesu mi! ecce tu es in hoc paupere: si possem, darem etiam cor meum. Sed est tam durum, ut non possim dare, neque tu acceptares. Accipe interim hunc panem: de corde meo fac, quod vis. Vix haec effatus erat, magna copia lacrymarum ex corde tenerrimo diffluxit, indeque magnis gratiis a Deo est donatus. Tantum prodest his artibus Cor Jesu aggredi.

Digitized by Google

Septima. Nullum diem, saltem Veneris, omittas, quo non aliquid de Corde Jesu mediteris: huc servire poterunt quae dicta sunt de objecto cultus SS. Cordis Sectione II. Saltem nunquam omittas illos tres actus elicere, de quibus mentionem fecimus ad finem Sectionis II. pp. 135 seqq., nimirum amorem Cordis Jesu appretiantem, amorem redamantem, amorem poenitentem. Si his addideris Officium, aut Corollam precatoriam Cordis Jesu, o quam gratam rem facies Cordi Jesu! multo magis adhuc illud tibi devincies, si in ejusdem honorem, vel ultimo cujuslibet mensis die Veneris sanctissima Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae obeas. Hunc certe morem cum insigni suo fructu integra sacra Asceteria observant: qui quidem Sacerdotibus quotidie Sacrum dicentibus, uti nequit esse molestus, ita plane familiaris et exoptatissimus esse deberet.

Octava. Cor Jesu re ipsa in templis nostris praesens, si per negotia liceat, quam frequentissime visites, praesertim autem tunc, cum hoc amabilissimum Cor quasi oblivioni datum est, et a reliquis cordibus hominum quasi mortuum, et solitudo factum est. O quam felicia tunc sunt vel minima temporis momenta, quibus solus cum solo Corde Jesu, et quidem tui amantissimo agere potes. Nemo tunc est, qui tibi rapere possit ditissimum hoc Cor: tempus tunc est, non tantum ingrediendi, sed etiam aggrediendi infinitum hunc thesaurum etc. Profecto qui praesentia tua Christum in sua solitudine quasi consolaris, non potes non mereri magnas gratias a liberalissimo Corde Jesu. Hanc in rem scimus olim amantissimum Jesum apparuisse Ven. Petri Balthasari Alvarez, onustum sarcina pretiosissimarum mercium, videlicet gratiarum, eique haud modicum inde largitum esse, quod illum in templo a reliquis desertum aliquando visitare voluerit. Cordi, et tali Cordi nec minimum amoris obsequium frustra exhibetur.

Digitized by Google

Nona. Promove, quantum in tuis viribus est cultum Cordis Jesu per distributa Rosaria et imagines Cordis Jesu, per libellos de illius cultu etc. puta tibi quoque dictum, quod Christus dixit Venerabili Margaritae de Alacoque, quando illam hortatus est, ut devotionem erga Cor suum tanquam ultimam inventionem amoris divini, qua corda hominum ad se attraheret, infimis et summis persuaderet. In primis autem ferventibus precibus apud Deum age, ut festum Cordis Jesu tui, quod in magna orbis parte jam celebratur, ab universa quoque Ecclesia solemne habeatur. [1]) Paucis: Cor Jesu sit tibi cordi, et nunquam tibi deerit occasio cultum Cordis Jesu promovendi.

Decima. Cordi Jesu frequenter cor tuum oppone, et secundum Cor Jesu examina. Praxim hanc P. Jacobus Alvarez de Paz, Societ. Jesu, excellentissimis in via spirituali libris vitaeque sanctitate insignis, tomo tertio *l. 4. p. 2. Exercit. 2.* his verbis tradit: [2]) „Conaberis intrare in Cor Domini Jesu ipsumque considerare, quale sit, ut ad ipsius similitudinem cor tuum efformes. Cor istud sanctissimum est via, per quam venimus ad aeternam mansionem, quae est Christi divinitas; et ostium, per quod ingredimur ad contemplationem divinitatis. Ut ergo possis ad contemplationem et amorem divinitatis ascendere, in Cor istud Domini, omnium cordium sanctissimum, atque mundissimum intenta consideratione penetrare curabis, ut simile cor aspirando in oratione, et laborando in actione habere coneris." Ita est. Saepius penetra cum corde tuo in Cor Jesu; nam, ut mellifluus Bernardus in tract. de Pass. ait: „Ibi thesaurus ineffabilis caritatis latet, ibi nova devotio invenitur, inde lacrimarum gratia extrahitur,

---

[1]) Supra p. 44.
[2]) Supra p. 183.

Digitized by Google

discitur mansuetudo, patientia, compassio, et praecipue cor contritum, et humiliatum invenitur." Verum de ingressu in Cor Jesu mox plura.

Undecima. Ama vitam internam, seu absconditam cum Christo in Deo. Hunc in finem domicilium tuum aedifices in Corde Jesu, vel potius ipsa habitatio tua sit Cor Jesu. Hic potissimum post negotia, et labores te collige. „Faciamus," nos admonet ex S. Bonaventura vir sanctissimus, Vincentius Caraffa, Praepositus Generalis Societatis Jesu in suo Myrrhae fasciculo, „tria tabernacula: unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere, ubi volo quiescere, et vigilare, bibere, comedere, legere, et omnia mea negotia pertractare." Hanc praxim assidue observarunt Sanctus Comes Elzearius, piissima in Gallia ancilla Armella Nicolas, Bernieres de Louvigni Galliae Thesaurarius, vir vel inter medios mundi tumultus ob insignem virtutem summus, aliique quam plurimi, inter quos primo loco ponenda erat Ven. Margarita ab Alacoque, quae in hoc Cordis Jesu Domicilio varias identidem personas assumpsit, habitans in eo nunc ut discipula in Schola, nunc ut aegrota in Apotheca, nunc ut captiva in carcere amoris, nunc ut paupercula in palatio Regis ditissimi etc. [1]) Praxis haec illud quoque commodi habet, ut vitam quietam semper, et jucundam vivere possimus, ita, ut de nullo casu admodum laetemur, neque etiam tristemur. Sic Maria Claudia de Pontalliers, virgo sanctissima ex Ordine Coelestinarum, de se testata est: Ex quo in Corde Jesu habito, ne quidem ad tempus, quo Psalmus 50. recitatur, tristis fui.

---

[1]) Demeures dans le sacré Coeur de Notre-Seigneur Jésus-Christ. (Vie et oeuvres de la b. Marg-Marie tom. 2, pp. 469 seqq.)

Digitized by Google

Duodecima. Quidquid petis a Deo, si tamen bonum est, quod petis, prius repone in Corde Jesu, et tunc primum ad Deum desideria tua dirige. Monitum et praxis haec est Angelici juvenis Aloysii, qui, ut vita a Cepario scripta habet, haec sibi annotavit: „Desideria, quae concipis, non ita a te commendanda Deo sunt, quemadmodum in tuo, sed quemadmodum in Christi pectore sunt; quoniam enim bona sunt, in Jesu prius, quam in te sint, necesse est, longeque ab eo propensiore affectu, quam a te exponentur.“ Ad hanc praxim pertinent ea, quae Blosius ex Ordine S. Benedicti, in rebus spiritualibus et divinis Magister omnium consensu summus, et vitae Sanctitate celeberrimus in Spec. Spir. c. 7. sub finem his verbis monet: „Commenda bona opera et exercitia tua Sacratissimo, atque mellifluo Cordi Jesu emendanda, perficiendaque; maxime enim id expetit Cor illud amantissimum, et semper paratum est imperfecta tua excellentissimo modo perficere.“ Atque haec ipsa praxis est, quam jam pridem ante Blosium sancta Gertrudis divinitus edocta adhibuit, ut videre est in ejus revelationibus.

Decima tertia. Post S. Communionem praeter quintam praxim etiam aliae non paucae praecedentium servire poterunt. Tunc praesertim illud sancto Felici Capucino familiare suspirium ardentissime ingemina: „Jesu accipe cor meum! et nunquam illud mihi redde.“ Vel sequere consilium citati Caraffa ita loquentis: „Postula commutationem cordis dicendo: Jesu! praebe mihi cor tuum, o quanto aptius meo, quam tuo pectori competeret; amaret enim te utpote amore dignissimum. Dum vero est in te, amat me dignissimum odio.“ Per ejusmodi suspiria obtinuit olim post S. Communionem S. Mechtildis, ut Jesus illi cor extraxerit, illudque liquefactum ita cum suo Corde commiscuerit, ut ex duobus cordibus unum cor

Digitized by Google

fieret, in nostrum solatium haec subjungens: tali modo corda hominum fiant unum cor cum Corde meo.

Decima quarta. Festum Cordis Jesu omni possibili modo celebra. Id fiet, si praeter sanctissima Sacramenta summa cum devotione obita praedictas praxes omnes, si unquam alias, hac certe die observes. Cum primis vero studeas, omni abjecta sensuum licentia, et effusione animi ad externa, te totum quantum intra Cor Jesu Jesu recipere, vitamque ibi absconditam vivere, attentendo ad omnes illius sanctissimos motus, et affectiones divinissimas, tuaque omnia eidem conformando. His omnibus addas magis insignem aliquam tui cordis victoriam, quam sanctissimo Cordi tanquam solenne homagium offeras, exercendo arduum aliquem virtutis actum, praesertim mansuetudinis, aut humilitatis.

Decima quinta et ultima. Eaque dignitate omnium prima, si vis Cordi Jesu carus esse, prae omnibus virtutibus cole mansuetudinem, et humilitatem, virtutes Cordi Jesu proprias et vere characteristicas. Hoc est monitum magni sancti Francisci Salesii, insignis illius amatoris Cordis Jesu, qualem vel solae ejus Epistolae manifeste loquuntur. Non alias virtutes Cordis sui Jesus nobis tam claris verbis commendavit, quam mansuetudinem, et humilitatem, ac si in his solis tota Christiana perfectio consisteret. „Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.“ Math. 11. Certe per has duas virtutes in summo gradu acquisitas magnus Salesius perpetuo, cum adhuc in terris esset, in Corde Jesu habitare promeritus est, uti, referente Reverendissimo Langueto, venerabilis Mater Anna Clementina ex Ordine B. Mariae a Visitatione Meloduni anno 1661 in fama Sanctitatis demortua divinitus edocta est. Per easdem virtutes haud dubie obtinuit, ut ex eo, quem instituit, Sanctimonialium Ordine,

unique earum facta divinitus revelatione, cultum sanctissimi Cordis Jesu cum tanto mortalium commodo in totum orbem jam diffusum videre, et in ipsis coelis admirari possit.

§. II.
De praecipuis propagatoribus cultus SS. Cordis Jesu in Actis memoratis.

Tanquam instrumenta propagationis cultus Sacratissimi Cordis Jesu praeter ipsam *B. Margaritam Mariam* ac *Patrem Claudium de la Colombière* apud Sacram Congregationem laudabantur quatuor viri pietate ac doctrina insignes: Episcopus *Languet*, *P. Croiset*, *P. Gallifet*, necnon *P. Gourdan*.

B. Margarita Maria Alacoque.

Beata Margarita Maria Alacoque, inter Dei hominumque Corda casti foederis sequestra, ut eam eleganter appellat numus [1]) in memoriam Beatificationis Romae

---

[1]) Sequester, sequestratio verba sunt in utroque jure quam usitatissima, in civili quidem occurrunt **ll. 5, 6 et 7 ff. Depositi** (XVI, 3.) necnon **l. 110 ff. V. S.** (L. 16.), in jure sacro vero **c. Ex literis 2. X. De dolo et contum.** (II, 14.), et titulo **De sequestrat. possess. et fruct.** X.: (II, 16.), **Clem.:** (II, 6.). Est autem Sequester, defininiente Modestino (l. 110. ff. V. S.) is, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus a sequendo, quod occurrenti aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committatur, vel quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur, ut post A. Gellium noct. Attic. XX. 11. scribit S. Isidorus Hispal. Etymolog. X. 260. (Migne P. L. tom. 82. p. 395.): Sequester est qui certantibus medius intervenit, qui apud Graecos ὁ μέσος dicitur. apud quem

Digitized by Google

signatus anno 1864,[1]) hac lege nata videbatur, ut omnes, quoad posset, homines ad ss. Cor Jesu colendum induceret. Quae ex Actis Beatificationis deprompta jam dedimus pp. 91—93 et 125—126, licet satis ostendant, fidelem Dei famulam in faciendo opere sibi divinitus commisso nunquam esse defatigatam, iis tamen hoc loco addimus ex abundanti, quae S. R. Cong. eandem in rem habet in Decreto DE TUTO d. d. 24. Junii 1864,[2]) quod ab his omnino verbis incipit: „Qui in cruce exaltatus humani generis Redemptor omnia ad se trahere disposuerat, ita Venerabilem suam famulam Margaritam Mariam Alacoque mirabiliter attraxit, ut *ad altum Cor suum accedens immensae caritatis dulcedinem in suo fonte*

---

pignora deponi solent, quod vocabulum a sequendo factum est, quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Quintiliano institut. Orat. XII. 8. sequester est media litium manus. Vocabulum Tertullianus pluries de Christo usurpat, apud quem, ut fidelissimum sequestrem Dei et hominum (I. Tim. II, 5.) caro nostra in deposito est, qui et homini Deum et hominem Deo reddet, spiritui carnem et carni spiritum (Resur. Carn. c. 51. Apud Migne P. L. tom. 2, p. 860.) Translate etiam sequester dicitur quicunque aliqua ratione medium se interponit et quippiam alteri conciliat. Sic Sen. Consol. ad Helv. 12. Menenius Agrippa inter Patres ac plebem publicae gratiae sequester fuisse, ac Sil. VI. pacis sequester missus perhibetur. Ex quibus patet, Beatam Margaritam Mariam Alacoque belle fuisse nuncupatam nomine sequestrae casti foederis inter Dei et hominum corda.

[1]) Numus memorialis ex uno latere (antica) effigiem exhibet Beatae Margaritae adductis circumscriptam literis; aversum latus (postica) autem imaginem Salvatoris repraesentat sacratissimum Cor suum in aperto pectore manifestum facientis aliis his circum literis signatam: *Cor ut redametur exhibet.*

[2]) Exhibetur in opere *Vie et oeuvres de la b. Marg.-Marie* tom. 1, pag. 572.

Digitized by Google

degustaret eamque inter homines diffunderet. Inde quas Venerabilis Margarita ex aperto latere hausit dulcedinis aquas veluti flumen in universam terrám diffluere fecit, id unum exoptans, ut hominum cordibus in hoc aquarum viventium pelago emundatis fons in eis fieret aquae in vitam aeternam salientis. Cum vero carnis deposita sarcina ad Superos evolans meruit ex Corde Jesu torrente voluptatis repleri, tum eam quoque exhausit virtutem, qua ad coelestis sponsi similitudinem mortalium succurreret aerumnis eorumque languores curaret. Proinde sanctitatis ejus fama late diffusa est *prout Divini Cordis cultum ipsa diffuderat.* Hinc factum est ut etc.“

Maxime vero amplificando cultui Sacratissimi Cordis Jesu prospexisse videbatur *magnis*, quae Dei jussu cultoribus ss. Cordis *proposuerat, gratiarum praemiis,* ut ipsa s. Congregatio loquitur., Sed antequam ejus verba referamus, sistendum est Sacrae Congregationis judicium, ut quae ipsius scriptis sit auctoritas certo discamus. De iis ergo hoc prodiit Congregationis Decretum d. 22. Septemb. anno 1827. [1])

„Providentissime quidem quum positum fuerit in more institutoque majorum, ut nunquam revocarentur ad trutinam virtutes alicujus servi Dei, nisi Scriptorum revisio, si quae dum viveret exaravit, in Sacrorum Rituum Congregatione peragenda praecesserit, propterea R. P. D. Laurentius e ducibus Mattei, Patriarcha Antiochenus et Postulator Causae ven. Servae Dei Sororis *Margaritae Mariae Alacoque,* Monialis professae Ordinis Visitationis Beatissimae Mariae Virginis, Instituti S. Francisci Salesii, sa. me. Urbani Papae VIII. Decretis obtemperando, Scripta quaecunque ad dictam Dei servam spectantia, quae asser-

[1]) Vie et oeuvres de la b. Marg.-M. tom. 1, p. 549.

Digitized by Google

vabantur tum in Archivo Cancellariae Episcopalis Aeduensis, tum in Asceterio Parodii, ubi ven. Margarita aetatem exegit, perquirenda curavit, ut exhibita et theologicae subjecta censurae Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, quid de illis sentirent, decernerent. Haec autem Scripta et Epistolae sunt:

Sequitur Catalogus Mss.

Haec vero Scripta et Epistolae per Theologum ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Julio Maria de Somalia, Praefecto Causaeque Relatore, deputatum serio diligenterque perpensa et examinata, factaque postmodum in ordinario Sacrorum Rituum conventu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto per eundem Eminentissimum Ponentem de singulis relatione, quum ex eadem aperte constiterit, nihil hisce in Scriptis et Epistolis fuisse repertum theologica censura notandum, Eminentissimi et Reverendissimi Domini censuerunt rescribendum esse „*Nihil obstare, et procedi posse ad ulteriora.*“ Die 22. Septembris 1827.

Factaque deinde Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII, Pont. Max., per me Secretarium infrascriptum relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsum, et Rescriptum approbavit. Die 26. recensiti mensis et anni.

Julius M. Card. de Somalia, S. Ecclesiae Vice-Cancellarius et S. R. C. Praefectus.

J. G. Fatati, S. C. Secretarius.“

Scriptis Beatae Margaritae Mariae ita omni erroris suspicione exsolutis ac contra Camillum Blasium [1]) caete-

[1]) **Camillus Blasius plura ex scriptis B. Margaritae Mariae calumniando pervertere conatus erat in *Dissertat. Commonit. c. 65;* verum Blasii criminationem gravissime et copiosissime dissolvunt *Faure:* Biglietto II. et *Tetam:* Apologet. l. II, cc. 56—57.**

Digitized by Google

rosque adversarios defensis, tuto proferre jam licet, quae in Actis de *magnis gratiarum praemiis cultoribus Sanctissimi Cordis Jesu propositis* discussa leguntur.

„*Spondeo* (verba sunt divinae promissionis supra jam allata pp. 37 et 96), *eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu coelestium donorum copia fore cumulandos.*“

Ut vero exactius datae sponsionis plenitudinem caperent fideles, eam Divinus Salvator ipse distinctius famulae suae exposuit his verbis, apud S. Congregationem pariter relatis: „*Cura, ut haec devotio ubique locorum innotescat eamque hominibus summe commenda tanquam non modo tutum, sed etiam suave et admodum facile medium, verum Dei amorem consequendi:*“

„*Commenda Sacerdotibus et religiosis, ut viam certissimam, qua ad status sui perfectionem perveniant;*“ [1])

---

[1]) Verborum apud Sacram R. Congregat. in latina versione adductorum mentem genuinam declaret textus ipso ex fonte descriptus: „Les trésors de bénedictions et de grâces que ce Sacré Coeur renferme sont infinis; je ne sache pas qu'il y ait nul exercice de dévotion dans la vie spirituelle qui soit plus propre pour élever en peu de temps une âme à la plus haute sainteté et pour lui faire goûter les véritables douceurs qu'on trouve au service de Jésus-Christ. Oui, je le dis avec assurance, si l'on savait combien cette dévotion est agréable à Jésus-Christ, il n'est pas un chrétien, pour peu d'amour qu'il ait pour cet aimable Sauveur, qui ne la pratiquât d'abord.“

Faites en sorte, que les personnes réligieuses l'embrassent, car elles en tireront tant de secours, qu'il ne fraudrait point d'autre moyen pour rétablir la première ferveur et la plus exacte régularité dans les communautés les moins bien réglées et pour porter au comble de la perfection celles qui vivent dans la plus exacte régularité.

Digitized by Google

„Animarum pastoribus, ut instrumentum aptissimum, quo corda saxis duriora ad poenitentiae lacrymas emolliant;“

„Fidelibus omnibus, ut modum praestantissimum, quo de indomitis animi affectionibus plenum dominium reportent.“

„Quin imo genus religionis efficacissimum esse doce, quo pax inter dissidentes familias restitui, amor erga me qua calidissimus, qua tenerrimus accendi, denique et perbrevi tempore et ratione quam facillima virtutis apex obtineri possit.“

Aliam revelationem sibi factam his verbis scriptam reliquit. [1])

„Amantissimus Dominus mihi aperuit, cupere se vehementer ab hominibus redamari: seque hoc desiderio

---

Mon divin Sauveur m'a fait entendre, que ceux qui travaillent au salut des âmes, auront l'art de toucher les coeurs les plus endurcis, et travailleront avec un succès merveilleux, s'ils sont pénétrés eux-mêmes d'une tendre dévotion à son divin Coeur.

Pour les personnes séculières elles trouveront par ce moyen tous les secours nécessaires à leur état; c'est-à-dire, la paix dans leur famille, le soulagement dans leurs travaux, les bénédictions du ciel dans toutes leurs entreprises, la consolation dans leurs misères. C'est proprement dans ce sacré Coeur qu'elles trouveront un lieu de refuge pendant leur vie, et principalement à l'heure de la mort. Ah! qu'il est doux de mourir, après avoir eu une constante dévotion au sacré Coeur de celui, qui doit nous juger! Enfin il est visible, qu'il n'est personne au monde qui ne resentit toutes sortes de secours du ciel, s'il avait pour Jésus-Christ un amour reconnaissant, tel qu'est celui qu'on lui témoigne par la dévotion à son sacré Coeur. (Vie et oeuvres de la b. Marg.-Marie tom. 2, pp. 285 seqq. et alibi passim.)

[1]) Un jour de saint Jean l'Evangéliste mon divin Sauveur me fit connaître que le grand désir qu'il avait d'être parfaitement aimé

Digitized by Google

excitatum statuisse Cor suum illis manifestare huncque thesaurum amoris et misericordiae gratiarumque omnium ad salutem et perfectionem conducentium reserare eo fine, ut quotquot huic sacrosancto Cordi debitam reverentiam et amorem adhibere vellent, infinitarum, quas complectitur, divitiarum participes efficerentur: affirmans praeterea cultum illum peculiarem Cordi suo delatum sibi esse acceptissimum: et hinc velle se, ut imago Cordis sui coloribus expressa fidelium oculis palam exponeretur, quo emolliri eorum durities specie tam amabili posset: pollicens insuper eos omnes, qui talem imaginem peculiariter colerent, maximis gratiis ab hujus divinissimi Cordis plenitudine cumulandos.“

Ingentes utique hi sunt gratiarum thesauri, quos Salvator ss. Cordis sui cultoribus liberalissime erat pollicitus.

---

des hommes lui avait fait former le dessein de leur manifester son Coeur, leur ouvrant tous les trésors d'amour, de miséricorde, de grâce, de sanctification et de salut qu'il contient, afin que tous ceux, qui voudraient lui rendre et lui procurer tout l'amour et tout honneur qui leur serait possible, fussent enrichis avec profusion de ces divins trésors dont ce sacré Coeur est la source, m'assurant qu'il prenait un plaisir singulier d'être honoré sous la figure de ce Coeur de chair, dont it voulait que l'image fut exposée en public, afin, ajouta-t-il, de toucher par cet objet le coeur insensible des hommes: me promettant, qu'il répandrait avec abondance dans le coeur de tous ceux qui l'honoreraient tous les dons dont il est plein; et que, partout, où cette image serait exposé epour y être singulièrement honorée, elle y attirerait toutes sortes de bénédictions; qu'au reste, cette dévotion était un dernier effort de son amour qui voulait favoriser les chrétiens en ces derniers siècles, leur proposant un objet et un moyen en même temps si propre pour les engager à l'aimer et à l'aimer solidement. (Vie et oeuvres de la b. Marg.-M. tom. 1, pp. 86 seqq. et tom. 2. pp. 274 seqq.)

Digitized by Google

Sed omnium promissorum nec efficacius inveniri quidquam potuit ad impellendum fideles ad hanc devotionem propagandam celeberrima illa revelatione Beatae Margaritae Mariae coelitus facta, cui *pia foedera* ad ss. Cor unitis viribus colendum originem suam magna ex parte debent. Noverant quidem Patres antiqui, bonum maximeque jucundum esse habitare in dulcissimo Corde Jesu ibique veluti *in foraminibus petrae cavernaque maceriae nidum ponere* altissimumque refugium, [1]) sed tam extraordinariam donorum vim a Patre misericordiarum in illos effundi, qui *inita inter se societate* in Corde dilectissimi Filii sui conjuncti ordinatam aciem exhibent, hac demum visione amantissimus Jesus mundum docere dignatus est. Id quomodo contigerit, *Beata Sanctimonialis* ipsa Patris sui spiritualis jussu scripto mandavit. [2]) „*Quum* (P. Colombière) inquit, *aliquando in templum nostrum venisset rem divinam facturus, magnis et me et illum gratiis Dominus noster affecit; nam temporis puncto, quo ad ipsum Dominum sacra communione suscipiendum accessi, monstravit* [3]) *mihi sacratissimum Cor suum tanquam ardentem fornacem, aliaque duo corda divino Cordi proxime adhaesura in illudque se profunde abditura, additis his verbis:*

---

[1]) Relegi ea possunt, quae allata sunt ex ss. Elzeario p. 155; Francisco Sales. p. 161; Bernardo p. 185; Bonaventura p. 186; Laurent. Justin. p. 187; Thom. de Vil. p. 187.

[2]) Antiqua utimur versione, qnae in opere Patris Gallifet a Romanis judicibus approbato extat p. 92, part. II, edit. Roman. an. 1726 et p. 395. edit. Augustan. an. 1753.

[3]) In fonte legitur: „Il me montra son sacré Coeur comme une fournaise ardente, et deux autres coeurs qui allaient s'unir au sien et s'y abîmer, en me disant: **C'est ainsi que mon pur amour unit ces trois coeurs pour toujours.** Il me fit entendre que cette union serait toute pour la gloire de son sacré

Digitized by Google

Haec tria plane sincerus
Corda jungit amor meus
His aeternis nexibus.

Significavit mihi hanc conjunctionem totam spectare ad gloriam sacratissimi Cordis sui, cujus thesauros illi Patri per me manifestari volebat, ut eorum pretium utilitatemque hominibus exponeret atque praedicaret: ob eamque causam placere sibi, ut bonorum spiritualium aeque portio nobis non secus ac fratri et sorori obveniat."

En tibi effertissimam illam coelestium donorum haereditatem a Patre misericordiarum omnibus illis traditam, qui in Corde dilectissimi Filii sui caritatis nexibus sociati ejusdem Cordis thesauros mundo manifestos faciunt ejusque cultum inter fideles propagant! Laetissima hac spe *infinitarum divini Cordis divitiarum* [1]) allecti atque invitati Ecclesiae filii prope *innumeras illas confraternitates sub titulo Cordis Jesu erectas,* quarum mentionem facit s. Congregatio, aliasque pias consociationes inierunt, ut adeo vere sit recteque in Decreto animadversum, *magnis propositis gratiarum praemiis* potissimum effectum esse, ut cultus dulcissimi Cordis tam celeriter ac tanto cum fructu auctus longe sit ac propagatus.

Quae omnia — liceat nobis haec corollarii ritu inferre, antequam in afferendis auctoritatibus ulterius progrediamur, — quae omnia, inquam, si cum iis conferantur,

---

Coeur, dont il voulait que je découvrisse au Père les trésors, afin qu'il en fît connaître le prix; que pour cela il voulait que nous fussions comme frère et soeur également partagés des biens spirituels." (Vie et oeuvres tom. 1, pp. 90 seqq. et tom. 2, pp. 347 seqq.)

[1]) „Les richesses infinies de mon Coeur suppléeront et égaleron tout." Verba Domini ad B. Marg. Mar. l. c.

Digitized by Google

quae Servator hominum Jesus sacerdotibus sacrosancti Cordis sui cultui addictis speciatim promisit, sc. *fore, ut quicunque eorum qui animabus curandis operam navant tenera erga divinissimum Cor Jesu fuerint devotione inflammati, arte polleant animos vel durissimos emolliendi miroque cum fructu in vinea ejus laborent,* perspicuum sane faciunt, nihil unquam optatius illis cadere posse, qui curae animarum operam suam utcunque impendunt aut alias Superioris ecclesiastici munere funguntur, sive qua professores scholarum sive qua regentes collegiorum aliarumve domorum ecclesiasticarum, quam ut qui fidei ac curae ipsorum commissi in studiis collegioque sodales sunt, sanctam ad invicem habeant societatem in Corde Jesu eandemque, e Convictibus etiam egressi ac quoquo versus dispersi, firmam ac perpetuam teneant [1]) in valentissimo illo magnete, ut divinum Cor recte appellat s. Franciscus Salesius, [2]) omnium corda ad se alliciente

[1]) Quod usu receptum in Collegiis est, ut juvenes in studiis sodales consueta *novem officia amoris erga ss. Cor Jesu* turmatim adimpleant, h. e. in varias distributi sectiones, quarum singulae novem sociis constant, servari id etiam post eorum e Collegiis egressum facile posse, multorum experientia docet. Neque dissimilis est ratio piae societatis sub titulo *Communionis perpetuae ac reparatricis in pluribus Seminariis* erectae, cujus sodales in duas sectiones dividuntur: quaelibet vero sectio septem vel triginta habet socios, et singulis singuli dies vel hebdomadae vel mensis assignantur, quibus quilibet eorum ad sacram communionem accedere debeat. Eandem hanc methodum etiam ab iis qui absolutis jam studiis collegia reliquerunt, non exiguo cum fructu retineri apertum est.

[2]) Vide supra pag. 11. not.

Digitized by Google

et trahente.[1]) Ita enim fiet, ut prosperioribus usque successibus suos in vineam Domini conferant labores. Sed haec quidem satis de Beata Margarita Maria Alacoque ad refellendam Camilli Blasii accusationem, quod Postulatores causae sub Clemente PP. XIII. *firmius aequo inhaeserint jactatae revelationi illius Sanctimonialis.*[2])

Sanctimoniales Visitationis Beatissimae Virginis.

Ut olim sub Pontificibus Innocentio XII. et Benedicto XIII. ita etiam sub Clemente PP. XIII. apud S. Congregationem Rituum peculiarissima mentione in promovendo cultu ss. Cordis Jesu dignus judicabatur totus Ordo Sanctimonialium a Visitatione B. Mariae Virginis nuncupatus, cui in more positum esse dicebatur, ut singulis mensibus diem unum Cordi Jesu colendo praecipue consecraret: indicta eo die in eumque finem sacra communione; quod quidem devotionis genus aliae etiam eaeque non paucae religiosae familiae variorum ordinum, Salesianarum exemplum secutae, sibimet ipsis statuisse ferebantur.

---

1) Ad sanctam hanc animarum conjunctionem spectant, quae S. Franc. Sal. in epist. 555 ad S. Franciscam de Chantal (relat. in Memorial. Postulatoris Causae sup. p. 120) scribit in haec verba: „O Dieu! que c'est une douce chose, que d'avoir la sainte unité des coeurs, qui par une merveille inconnue au monde, nous fait être en plusieurs lieux sans division, ni séparation quelconque! Demeurons et allons en paix; et comme une seule âme se console en l'une et l'autre main, tenant son fils de l'une, et son père de l'autre: ainsi réjouissons-nous de quoi en une parfaite unité d'esprit et de tout nous-mêmes, ici où nous demeurons et là où nous allons, nous nous tenons à ce Sauveur que notre coeur veut chérir revéremment comme son père et tendrement comme un fils. Or sus! je m'en vais présenter ce coeur à ce cher Sauveur en la sainte Messè."

2) Dissertat. Commonit. Prolus.

Digitized by Google

J. J. Languet, Episcopus.

Ut cultus sacratissimi Cordis Jesu adeo celeriter tam variis ac diversis in locis — in exteris nationibus etiam — propagaretur, unus praeter Sanctimoniales s. Francisci Salesii et Patrem de la Colombière adjuvit doctissimus *Joannes Josephus Languet*, Episcopus Suessionensis (a. 1715) postea (a. 1731) Archiepiscopus Senonensis, vir per totum orbem ob res praeclare gestas et opera omnibus artibus perpolita celeberrimus simulque haereticorum, praesertim Jansenistarum, suo saeculo invictissimus malleus [1]) ac denique insigni amore Cordis Jesu praecellens, ut patet tum ex illius Epistola quam an. 1724 Romam dedit ad P. Gallifet, [2]) tum maxime ex celebratissimo suo opere, quo ea quae ad vitam, virtutes, coelestes visiones ac miracula Beatae Margaritae Mariae pertinent, complexus est. Ex processibus juridicis sc. atque ex aliis actis authenticis vitam Beatae Virginis Sanctimonialis decem omnino libris comprehensam mirabili dili-

---

[1]) Languetus a *pastorali, quo flagrabat, zelo* maxime commendatur Benedict. PP. XIV.: De festis D. N. J. Ch. Part. I. §. 122 Edition. Bruxellensis an. 1866, p. 138.

[2]) Extat in opere Patris Gallifet de cultu cordis Jesu, part. II, pag. 3, edit. Roman. et p. 230, edit. Augustan. Ejus initium hoc est: „Je bénis Dieu, de ce que vous employez votre séjour dans la capitale du monde chrétien à y faire connaitre la dévotion au Coeur sacré de Notre-Seigneur. J'estime cette dévotion pour avoir vu de mes yeux et touché pour ainsi dire au doigt les merveilles que Dieu a opérés par elle et à son occasion." De eadem devotione versus finem Languetus ait: „Cette dévotion doit être chère à tous ceux, qui ont un coeur capable d'éprouver et d'aimer ce que le Coeur de Jésus-Christ a ressenti de tendresse et de bonté pour nous."

Digitized by Google

gentia conscripsit ac Reginae Galliarum dedicavit.[1] Ejus mentionem non sine laude olim fecerat Prosper de Lambertinis in suis, quas Patri Gallifet apud S. Congregationem qua Promotor Fidei opposuit, exceptionibus; in eoque nunc sub Clemente PP. XIII. fundamentum totius disquisitionis positum esse videbatur. Magno clarorum omnium virorum dolore Languet, quum in morbo, si unquam ante, suarum virtutum odorem diffudisset, anno salutis 1753 migravit e vita septuagenario major.

Inter caeteros, qui cum Eppo. Languet in propagando cultu ss. Cordis Jesu elaborarunt, duo Sacerdotes e Societate Jesu excelluisse leguntur in Actis Sacrae Congregationis, nimirum *P. Joannes Croiset* et *P. Josephus Gallifet.* Beata Margarita in quadam sua epistola ad Patrem Claudium de la Colombière data et scripturis apud S. Congregationem inserta haec scripserat: *Adjuro te, Reverende Pater, ne quid vel minimum omittas, quod ad cultum Cordis Jesu per totum orbem promovendum conferre possit; nam scias velim, Jesum Christum mihi significasse, se prae reliquis ad hunc cultum ubique terrarum confirmandum hominibus suae Societatis usurum, unaque per hoc medium innumeram fidelium servorum multitudinem ad se attracturum esse.*[2]

---

[1] La vie de la vénérable Mère Margarite-Marie, Religieuse de la Visitation Sainte-Marie, du Monastère du Paray-le-Monial, en Charolois, morte en odeur de sainteté an. 1690. Par Mgr. Jean-Joseph Languet, Evêque de Soissons, de l' Académie Française. Cfr. *Journal de sçavans* Mars 1720, pp. 336 seqq.

[2] Vie et oeuvres de la b. Marg.-Marie tom. 2, pag. 285 coll. tom. 1, pp. 280, 288; tom. 2, pp. 168, 200, 214. Quibus omnibus in locis haec ratio affertur, cur Societati Jesu singulari quodam modo proprius ac praecipuus esse debeat SS. Cordis Jesu cultus, quod ipse Dominus eo ipso tempore, quo Cordis sui

Digitized by Google

Quod munus hominibus Societatis Jesu commissum duo illi Sacerdotes praeter alios sibi commendatum habebant.

P. Joannes Croiset.

Omnibus omnino praeivit *Pater Joannes Croiset*, vir et libris conscriptis et vitae piissimae etiam publicis typis editae exemplis illustris. Certe illius volumen, Lugduni *de Cultu Cordis Jesu* [1]) primo statim post obitum Beatae Margaritae anno editum et innumeris fere vicibus impressum, quin in omnes ferme linguas translatum, totum orbem mox pervagavit et summis laudibus ab omnibus est celebratum, ut fusius refert Episcopus Languet *lib. VIII.* in vita ejusdem Beatae Sanctimonialis, [2]) quae ipsa Patrem

---

cultum introduci ac celebrari in Ecclesia praeciperet, hoc ipsum velle se, ut per Societatem Jesu maxime praestaretur, non semel neque obscure edixerit; maxima etiam pollicitus gratiarum praemia, si tamen Societas tota se dedisset in vota Jesu de Cordis sui cultu tam miris sed veris modis manifestata.

[1]) La dévotion au Sacré Coeur de N. S. Jésus-Christ par un Père de la Compagnie de Jésus. Lyon. 1691.

[2]) Nota atque apud omnes pervulgata res est, unam ex editionibus libri Patris Croiset relatam esse in Indicem librorum prohibitorum Decreto 11. Martii an. 1704, probabiliter ea de causa, quod Officium de SS. Corde nondum approbatum exhibuerat. Ea prohibitione multi ex osoribus hujus devotionis abusi cum Camillo Blasio et Jansenianis Italis insanis vociferationibus sese contra Patrem Croiset aliosque novas ejus libri editiones parantes extulerunt. Sed quanta id fecerint injuria, vel nuperrimo judicio authentico liquet, quod cum caeteris censoribus Romanis non ita pridem clarissimus D. Petrus Minetti S. C. adv. S. F. Prom. Coad S. R. C. assessor suffragio suo probavit, quodque, licet longiusculum, heic tamen exscribendum censemus cum historia operis Patris Croiset. Sic itaque habet documentum Summo

Digitized by Google

Croiset, nihil adhuc scriptionis de Corde Jesu meditantem, egregium cultus sanctissimi Cordis propagatorem fore diserte praedixerat. Relicta de se singulari sanctitatis opinione decessit Avenione die 31. Januarii 1738.

Pontifici per occasionem Beatificationis Margaritae Mariae dedicatum àtque a magistratu libris judicandis in Urbe constituto, ut diximus, approbatum lib. VIII. pp. 208 seqq.

„Ecco sicome nacque l' edizione di cui siam debitori al Padre Croiset.

A Lyon eran cercati con gran premura i libretti della divozione al Cuore di Gesù; e per mancanza di esemplari stampati si trascrivevano. Questo pio religioso, ch' era Reggente nel Collegio di Lyon, vide che l' ardor s' era acceso fra suoi scolari, e che copiavano il librettino: si valse dell' occasione per far loro meglio comprendere quel che voleano onorare, senza troppo forse conoscerlo; e procurò co' suoi discorsi d' ispirare a que' giovani cuori l'amore di Gesù Cristo, e la conformità al sacro suo Cuore, esemplare de' nostri, e oggetto della lor tenerezza.

Gli scolari ugualmente docili e pii obligarono il lor Reggente a porre in iscritto ciò che avea lor detto in voce su tale argomento, e di aggiungerlo à ciò che copiavano, per farne una più istruttiva edizione Due di loro s' offèrsero pronti alla spesa e si conteser l'onore della preferenza .... Il Reggente si arrese alle istanze: vide che un libro tanto desiderato sarebbe utile sommamente e ne apparecchiò l'edizione: ciò fù nell'anno 1690. In quest' anno medesimo Suor Margarita morì; ne essendosi potuto produrre l' edizione che nel 1691, il P. Croiset ebbe l' opportunità di aggiugnervi un compendio delle virtù della pia religiosa e delle meraviglie che avea udite di lei e per mezzo di lei dal Signore operate. Appena impresso il libro del P. Croiset venne per così dire rapito, cosichè si dovette rinovarne più volte la stampa. Fu copiato in più città o imitato. Nel 1694 si stampò a Bordeaux coll' autorità di Monsignor Arcivescovo, e se ne fecero più edizioni. Sei di seguito ne furon fatte in Aurillac colla dedica alla Superiore della Visitazione di quella città l' onoratissima Madre Maria-Cristina di Noailles. Un altra se ne fece

Digitized by Google

P. Josephus de Gallifet.

Cum Patre Joanne Croiset parem laudem adeptus est vir doctissimus et officiis gestis celeberrimus saepe laudatus *P. Josephus de Gallifet,* [1]) qui quidquid de sacra-

---

a Bezançon nel 1699. La più ampia di tutte le edizioni e la più istruttiva è quella che fu fatta a Lyon nel 1698 dalla diligenza del medesimo P. Croiset, che accrebbe di molto la prima del 1691. Quei che voranno più particolarmente vedere, qual sia lo spirito e la pratica della divozione al sacro Cuore di N. S. e che vorran ricavarne tutto il frutto che dee produrre, troveranno in questo libro di che edificarsi non meno che istruirsi. Meglio di quel che abbia fatto questo pio scrittore non si possono scoprire i doveri di un verace fervore, gli ostacoli che lo rallentano, tutte in una parola le sante strade della vera perfezione e dell' amore di Dio: non si può leggere senza accendersi di questo amor santo, e senza arrossire della tiepidezza in cui viviamo. Questo è lo scopo, a cui tende tutta l' opera, come la divozione altresì di cui si svela i sacri misteri. La moltitudine delle edizioni di questo libro ne prova la bellezza; e il frutto, che ha prodotto nel cuore di tutti coloro che l' hanno praticata, ne mostra l' utilità assai meglio di quello ch' io potrei dire.

Se la divozione de' popoli ha fatto spesso finire le edizioni di questo libro, le moltiplicate edizioni han fatto altresì diffondere da per tutto una tal divozione: onde s' e avverata pur anche un altra predizione della Beata, la quale aveva detto che ***per mezzo di un libro del P. Croiset, Gesuita, la divozione del Cuor di Gesù si spargerebbe da per tutto.***" (Vita della Beata Margherita Maria Alacoque, Religiosa professa dell' ordine della Visitazione di Santa Maria nel Monastero di Paray-le-Monial, dedicata alla Santità di Nostro Signore PAPA PIO IX. Roma 1864. Tipografia Salviucci.)

[1]) ***Gallifet*** (al. Galliffet), Josephus de, natione Gallus, ortus stirpe nobili non procul Aquis Sextiis in Provincia an. 1663, magni Patris Claudii de la Colombière non impar discipulus, quum — a medicis desertus — ex voto unius e suis in Collegio studiisque

Digitized by Google

tissimo Corde Jesu praeclare dici potest, id omne in librum satis magnum congessit, quem Benedicto PP. XIII., quum Romae Galliarum Assistentem ageret, anno 1726 dedicavit [1]) Honorificentissimam ejus mentionem a Prospero Lambertinio, tunc apud Sacram Rituum Congregationem Fidei Promotore, in suis animadversionibus fieri supra diximus. Jam vero opere hoc eruditissimo juxta ac piissimo per orbem divulgato dici non potest, quantis iisque novis amoribus erga Cor Jesu non modo Roma, sed totus propemodum orbis exarserit. Praeclarissimo huic operi majorem adhuc famam attulit *Scriptura pro concessione festi sacratissimi Cordis Jesu* Sacrae Congregationi oblata, qua cultus divini hujus Cordis tam invictis argumentis stabilitur, ut vel ipse Promotor Fidei Memoriale magnifice laudarit, quamvis aliis de causis concessionem Festi dissuaserit. Pater Gallifet demum paulo ante redintegratum sub Clemente PP. XIII. processum *pro institutione festi sacratissimi Cordis* annis gravis ac studiis laboribusque Dei causa susceptis fractus, in coelum, ut fas est credere, ad dulcissimi Cordis Jesu amplexum evolavit magno doctis viris ac bonis omnibus sui relicto desiderio.

P. Simon Gourdan.

Simon Gourdan, Parisiensis, natus 24. Mart. an. 1646, canonicus regularis S. Victoris an. 1661, excelluit

---

sodalibus ad SS. Cor Jesu facto sanitati non sine prodigio, ut credebatur, restitutus esset Lugduni, voti obligatione in se suscepta cultui Sanctissimi Cordis Jesu totum se addixit. Qua de re plura legere est in opere ***Biographie universelle***, supplément tom. 65, pag. 66.

[1]) Integer titulus operis hic est: ***De cultu Sacrosancti Cordis Dei ac Domini Nostri Jesu Christi in variis christiani orbis provinciis jam propagato. Authore R. P. Josepho de Gallifet, Societatis Jesu sacerdote.***

Digitized by Google

egregiis omnino virtutibus, sed imprimis insigni in SS. Cor Jesu pietate. Ardens ejus in Deum catholicamque religionem studium in calamitosis illis temporibus emicuit. In defensionem Bullae *Unigenitus* multa strenue egit et praeclare scripsit, et celebre sibi nomen comparavit epistolis suis ad Cardinalem de Noailles, Archi-Episcopum Parisiensem datis, in quibus una est praestantissima *de laudibus cultus Cordis Jesu.* [1]) Eam ob singularem quam continet pietatem exhibuit Collegium Mussipontanum [2]) et P. Waldner in suo de Corde Jesu libro in linguam Germanicam transtulit. Plures alias lucubrationes in honorem SS. Cordis; quae ab ipso literis mandatae prodierunt in lucem, percensent praeter alios editores operis *Biographie universelle* tom. 18, pp. 194 seqq. Pater Simon in eodem suo Monasterio, quod adeo illustravit, morbum, mortem, sepulchrum et, quod egregia ejus facta sperare jubent, coelum reperit die 10. Maji 1729.

Et isti quidem praecipue memorabantur cultus Sanctissimi Cordis propagatores. Iis adjungere operae pretium erit nomina Causae Postulatorum, illustrium Poloniae Antistitum, *fervido verae fidei Zelo animatorum*, ut eos Clemens PP. XIII. gratulabundus alloquitur, [3]) qui quanto foedius conviciis proscinduntur a Jansenianis, [4]) tanto majorem gratiam apud cultores SS. Cordis merentur. Inter alios autem excelluerunt:

---

[1]) Eloge de la dévotion au Sacré Coeur de notre adorable Sauveur Jésus-Christ.

[2]) In opere „*La dévotion au Sacré-Coeur* etc." refertur pp. 15 seqq. edit. Nanceyensis an. 1749.

[3]) Lit. ad Primatem Regni dat. d. 7. Septemb. 1765.

[4]) Iis vel ipsi Annalistae Florentini turpem contumeliam dicunt, quod magnam partem hujus causae cum Jesuitis attigissent apud Sacrorum Rituum Congregationem. (Annali Eccl. 30. Mart 1781, N. 13, pp. 100 seqq.)

Digitized by Google

Vladislaus de Lubienski, Archi-Episcopus Gnesnensis et Regni Primas;

Wenceslaus Sierakowski, Archi-Episcopus Leopolitanus;

Theodorus Princeps Czartoryski, Episcopus Posnaniensis;

Cajetanus Soltykius, Episcopus Cracoviensis;

Ant. Casimirus Ostrowski, Episcopus Cujaviensis;

Adamus Krasinckius, Episcopus Camenecieńsis;

Ignatius Massalskius, Episcopus Vilnensis;

Hieronymus Szeptyski, Episcopus Ploccensis;

Jos. Andreas Zaluskius, Episcopus Kioviensis;

Andreas Bayer, Episcopus Culmensis.

Quemadmodum aliorum summorum virorum facta memoriae produntur, ne oblivione posteritatis extinguantur, ita et clarissimorum horum Praesulum nomina heic literis sint consignata, ut ab intelligentibus et gratis Sanctissimi Cordis cultoribus, qui hucusque exilia haec nostra legere sustinuerint, meritam laudem ferant immortalemque gratiam ineant.

Ejusmodi ergo sunt praecipuae sive pietatis exercitationes sive instituti cultus auctoritates, quae sub Clemente PP. XIII. a Patronis Causae magna cum fiducia adductae et a Sacra Congregatione diligenti discussione examinatae tantum ponderis habuerunt, ut eadem Sacra Congregatio omnibus rite perspectis *probe noscens,* ut ipsa ait, *cultum Cordis Jesu jam esse per omnes fere catholici orbis partes, faventibus earum Episcopis, propagatum, simulque intelligens, hujus missae et officii celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum institutum, tandem 26. Januarii 1765 annuendum precibus censuerit Episcoporum Regni Poloniae et Archiconfraternitatis Urbis sub titulo Sanctissimi Cordis erectae.* [1])

---

[1]) Supra p. 51.

Sed haec quidem hactenus. Quodsi quis plura de Decreto Sacrae Rituum Congregationis legere cupiat, is adeat praeter auctores jam laudatos p. 127 *Benedictum Tetamum*, virum orbi erudito doctissimis, quae ingenii sui reliquit, monumentis satis notum, qui in egregio suo opere *„De vero cultu et festo Sanctissimi Cordis Jesu adversus Camilli Blasii Commonitoriam Dissertationem Apologeticus,“* [1]) quidquid a Commonitore Blasio vel ab ejus Patrono Christotimo Amerista studiosius excogitatum et conquisitum fuerat ad mentem Decreti pervertendam, uberiori tractatione in patenti luce posuit veramque ejus interpretationem rationibus firmavit, maxime cc. 3, 4, 5, 8, 9, 10 et 11, lib. I. et Append. I. per totum.

---

[1]) Venetiis an. 1772—1773, apud Zerletti.

Digitized by Google

SECTIO ADDITITIA.

VARIAE MATERIAE.

CAPUT I.

MATERIAE CANONICAE.

Semper ego, inquit Gonzalez, [1]) *dum discipulis e suggestu jus Pontificium exponebam, magnopere commendabam, ut integras decisiones perquirerent, legerent et perlegerent, ut rectius et facilius verum sensum perciperent; in ea enim sententia persisto, nos veram perfectamque cognitionem insalutatis antiquis integris Pontificum Conciliorumque monumentis assequi non posse.* Recte prorsus.

Haud dissimilem esse rationem interpretationis Decretorum Sacrae Rituum Congregationis praemonuimus in anteloquio pag. 6—7. Et sane. Quum ex facto jus oriatur [2]) atque ex praeparatoriis scripturis in Congregatione distributis seu lectis *decisiones Congregationis* saepe transcribantur, ipsi hi libelli perquirendi sunt et consulendi, ut genuina Decretorum mens ex fontibus, unde profluxerunt, hauriatur.

---

[1]) Apparat. de origine et progressu juris canonici n. 53.

[2]) Adisis *Doujat:* Praenot. canonic. lib. V. c. 19.

Digitized by Google

Hujus doctrinae ut fructum aliquem in materia, quam hic tractamus, experiantur cupidi sacrorum canonum juvenes, bina capita ex fontibus deprompta exhibenda censemus, nimirum disputationem *de differentia festorum Corporis Christi et Cordis Jesu* habitam apud S. R. C. die 11. August. an. 1860 et in Commentario hoc nostro plus semel citatam [1]) et C. **Si Dominum** *De reliquiis et veneratione Sanctorum in Clementinis*, quod etiam huc refertur.

§. I.

De Differentia Festorum Augustissimi Corporis Christi et Sacratissimi Cordis Jesu.

Granaten. Postulatorum et Resolutionis Dubiorum.

Votum Magistri Apost. Cæremoniarum.

Prooemium.

Quae pietas in decore domus Dei promovendo, quae diligentia in pastorali munere rite explendo, qui zelus, qui amor pro ecclesiasticis functionibus juxta ordinem peragendis effulgeat in praeclarissimo Viro Salvatore de Reyes, Archiepiscopo Granatensi, Vos probe nostis, Emi. et Rmi. Patres, ex quo duobus circiter abhinc annis, eo instante, plura circa missam in anniversario tum electionis et consecrationis Episcopi, tum creationis et coronationis Romani Pontificis celebrandam, per responsiones septem dubiis ab eo propositis, decreto lato die 14. Augusti 1858, sapienter statuistis. Nunc autem eodem zelo ductus iterum ad hanc S. C. accedit, alia, quae ad divi-

---

1) Vid. pp. 62, 86.

Digitized by Google

narum laudum recitationem et uniformitatem spectant, imploraturus; cum enim ipsi (ut in supplici libello ingenue significat) „cordi maxime sit, quod in divinis laudibus persolvendis omnia rite, et secundum ordinem fiant, ad hanc Sacram Congregationem, qua par est reverentia, orator accedit, quo sequentium dubiorum solutionem, et postulatorum concessionem obtineat."

Et quoniam perhonorificum istud munus demandatum mihi fuerit, ut super iis, quae praeclarissimus Granatensis Archiepiscopus in supplici libello exposuit, meam aperirem sententiam, sic fungar munere meo, ut dubiis et postulatis ex eodem supplici libello depromptis, per vices propositis, quae pro singulis opportuna mihi visa fuerint, maxima, qua par est, reverentia subjiciam. —

Dubium IV.

Libellus ab Oratore oblatus.

Per decretum Sacrae hujus Congregationis 17. Augusti 1771 in una Ordinis Eremitarum Discalc. S. Augustini resolutum fuit ad 3., quod in concursu Octavae Corporis Christi cum officio SS. Cordis Jesu (ritus duplicis majoris) integrae Vesperae recitarentur de octava sine commemoratione de SS. Corde. Per decretum vero in Alben. 16. Februarii 1856 ad 3. quaest. 5. decisum fuit, quod si festum SS. Cordis fuerit 1. classis omitti debeat in casu commemoratio de octava in primis vesperis de SS. Corde. Ambae resolutiones eisdem principiis niti videntur, quod nempe festum SS. Cordis quasi appendix sit et complementum solemnitatis SS. Corporis Christi; nam in illo nihil aliud agi, quam compleri cultum jam institutum (pro SS. Corpore), declaratur in ejus approbatione; et 2. quod neque in festis Domini liceat de uno

Digitized by Google

eodemque respectu officium et commemorationem fieri. Cum igitur haec principia et posterior resolutio in Alben. locum adamussim habere videantur, ubi festum SS. Cordis sub ritu duplicis 2. classis, ut in Hispania, celebratur, hinc orator ab hac S. Congregatione quaerit, utrum reipsa hic omitti debeat commemoratio de octava Corporis Christi in casu, an vero standum sit decreto S. hujus Congreg. in una dubior. 12. Martii 1836, in quo ad primum praecipi videtur commemoratio de octava, cum festum SS. Cordis ritu gaudet duplicis 2. classis?

Disputatio Caeremoniarii.

1. Resp. Notum satis perspectumque vobis est, Emi. et Rmi. Patres, in quam ancipiti discrimine versetur quaestio in praesenti dubio proposita, quae cum aliis duobus sequentibus arctissimam habet connexionem. De ejusmodi enim quaestione res est, in qua non una est liturgicorum opinio, et, quod majus est, pro qua solvenda ipsae hujus S. Congregationis resolutiones non ita clarae apertaeque videntur, ut omnem prorsus auferant dubitationem, prout in ipso dubio videre est. Quinimo in ipso breviario romano uniformitas hac super re desideratur. Dum enim in recentioribus editionibus adnotatur, vesperas de octava Corporis Christi faciendas esse absque ulla commemoratione; in editionibus antiquioribus, quando loco officii SSmi. Cordis recitabatur officium SS. Quinque plagarum (quae festorum differentia quaestionem nihil immutat) legitur: „*Vesperae integrae de octava Corporis Christi . . . cum commemoratione Quinque Plagarum.*“ Nostra quidem sententia stat pro facienda commemoratione sive Corporis Christi, sive ejus Sacratissimi Cordis, ex eo quod in eorum opinionem descendimus, qui putant, ex officio et commemoratione praedictarum festivitatum

non fieri bis de eodem, tum quia agitur de mysterio diverso, tum quia si Ecclesia de utroque instituit duo festa, unum immediate alterum sequens, imo unum cum altero perpetuo concurrens, derogasse hoc in casu quodammodo videtur praefatae regulae de eodem bis non faciendo. Quae tamen sententia si audacior fortasse videatur, ac despicienda, oramus obtestamurque, ut vos decreta, quae hactenus hac de re prodierunt, in aciem vocantes ita deliberetis, ut in posterum omnis dubitandi aut errandi auferatur occasio.

2. His, eo quo decet obsequio, praemissis, in arenam descendimus. De uno et eodem sive Sancto sive Mysterio in eadem officii divini parte fieri simul non posse officium et commemorationem, satis aperte eruitur ex generalibus breviarii romani rubricis, quae tit. VIII. de officio Sanctae Mariae in Sabbato sic habent n. 3: „*Ejus (B. M. V.) officium in Sabbato incipit feria VI. ad modum simplicis a capitulo. . . . Si autem feria VI. occurrat officium novem lectionum, in vesperis fit tantum commemoratio de S. Maria . . . nisi illud officium IX lectionum sit de eadem S. Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est.*“ Et ulterius tit. XXXV de commemorationibus, seu suffragiis Sanctorum n. 4. sic loquuntur: *commemoratio de Santa Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus officium parvum, nec quandocumque fit officium de ea.*“

5. Huic regulae concordant decreta Sacrae hujus Congregationis diei 23. Septembris 1684 decretum generale, et 15. Septembris 1685 officii nominis B. M. V. et suffragantur rubricistae, inter quos *Gavantus,* [1]) *Guyetus*

---

[1]) ***Gavantus,*** Bartholomaeus, patria Mediolanensis, Clericus Regularis s. Pauli, inter liturgicos scriptores longe clarissimus, Mediolani decessit 14. Augusti an. 1638 aetatis 68.

Digitized by Google

lib. 3, cap. 17, quaest. 3. [1]) et Cavalerius [2]) tom. 3, part. 1, cap. 23, decr. 1, num. 1 et 2. Hinc loco adagii pervulgari coeptum est apud rubricistas, ne de eodem fiat officium et commemoratio, quae est indubitata regula in officio divino. Sic Gavantus sect. 3, cap. 12, n. 23, et ne de eodem, parte officii, id. sect. 5, cap. 18, n. 14.

4. Jure autem ac merito [3]) regulam hanc limitant interpretes rubricarum ad casum, quo festa simul coincidentia vel eidem Sancto, vel eidem Mysterio Christi, ac B. Virginis referuntur. Audiatur *Gavantus* sect. 7, cap. 7, n. 3: „*Si concurrunt festa Ascensionis et Inventionis S. Crucis, fiat commemoratio de festo S. Crucis, licet videatur festum de eodem Domino, et differentia satis*

---

1) ***Guyetus***, Carolus, Soc. Jesu, gente Turonensis, Rituum ecclesiasticorum peritia illustris, obiit Turonis 30. Mart an. 1664 aetatis 64.

2) ***Cavalieri*** seu ***Cavalerius***, Joan. Michaël, domo Bergomas, Ordinis Eremitarum S. Augustini, rei liturgicae scientissimus, vita functus est 6. Jan. 1757.

3) Diligenti hac canonis liturgici expositione Apostolicus Caeremoniarum Magister eo spectat, ut levitatem contrariae opinionis confutet, quam alius Caeremoniarius non ita pridem apud eandem S. R. Congregationem his verbis expresserat die 27. Martii an. 1824: „omnis controversia cessaret, si obtinuisset illorum opinio, qui censebant, nihil obstare, quominus in secundis Vesp. Octavae SSmi. Corporis Christi de uno fieri posset Officium, de altero simplex commemoratio; sed praevalere debet contraria sententia, quae stricte adhaeret regulae generali jubenti, ne in eadem parte officii simul de eodem Officium et commemoratio fiat, ac propterea in Romano Directorio, quod aliis certam dat normam amovetque arbitrium aliter statuendi, signatur: Vesperae de eadem Octava sine ulla commemoratione.“ Quae omnia accurate referuntur a ***Gardellinio:*** Decret. authentic. Cong. S. R. n. 4604. Dub. II. nota 1.

Digitized by Google

patet in diversitate mysterii, quidquid alii contra scripserint." Ex quo consequitur, si in honorem diversi mysterii, seu facti alicujus particularis Christi Domini vel B. Virginis instituta sint festa, nullam adesse rationem, cur unius commemoratio omittatur in festo alterius, perinde ac ait *Guyetus* lib. 4, cap. 13, quaest. 4, fit commemoratio octavarum Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Christi in dominicis infra easdem octavas occurrentibus, licet harum dominicarum officium fere ex integro ex officio octavarum praedictarum desumatur. Argumentum hoc instauratur ex eo, quod occurrente dominica II. post Epiphaniam die 14. Januarii, in primis vesperis festi SS. Nominis Jesu fit commemoratio praecedentis officii, scilicet diei octavae Epiphaniae.

5. Tota igitur quaestionis ratio ex hac facti specie pendet, an scilicet objectum, seu mysterium festi sacratissimi Cordis Jesu idem prorsus sit ac mysterium quod in festo Corporis Christi recolitur. Atqui si officium, quod in festo SS. Cordis recitatur, attente parumper consideretur, facile erit videre, objectum seu mysterium hujus festi aliud omnino esse ab objecto seu mysterio festi Corporis Christi. Argumentum hoc concinne illustrat Ferdinandus Tetamus, in suo diario fer. VI. post octavam Corporis Christi in qua festum Cordis ejus celebratur, cujus verba hic referre placet. „*Incongruum non est . . . in officio totius Corporis mystici triumphantis Ecclesiae facere commemorationem partis ejusdem, unius videlicet vel alterius Sancti, qui est pars laudati Corporis. Ergo etiamsi daretur, officium SS. Cordis Jesu esse officium partis respectu officii SS. Corporis ejus, adhuc non esset, cur videretur incongruum in secundis vesperis octavae festi SS. Corporis Christi facere commemorationem sequentis festi SS. Cordis ejusdem et multo minus*

erit incongruum in primis vesperis integris de SS. Corde facere commemorationem praecedentis octavae SS. Corporis Christi. Licet enim utrumque festum sit unius ejusdemque D. N. J. Ch., diversa tamen sunt mysteria in utroque celebrata. Primum namque respicit veritatem realis praesentiae Corporis Christi in Sacramento Altaris, alterum vero respicit mysterium amoris D. N. J. Ch. symbolice in ipso materiali Corde demonstrati; de quibus, si non incongruum visum est Ecclesiae diversas institui festivitates, cur incongruum sit diversas fieri commemorationes?"

6. Certe, quidem decreta, de quibus mentio fit in dubio, altera quidem Ordinis Eremitarum Disc. 17. Aug. 1771 ad 3. et Alben. 16. Februarii 1856 ad dub. III., quaest. 5. et alterum in una dubiorum 12. Martii 1836 non satis inter se conciliari posse videntur, cum in occurrentia praedictorum festorum commemoratio alterutrius hinc admittatur, inde excludatur. Unde hoc sit aut quid Sacra Congregatio sibi sequendum duxerit in singulis casibus, nostrum non est curiosius investigare, cum ad confirmandam thesim nostram pro exposito casu festi SS. Cordis Jesu sub ritu dupl. 2. Class. occurrentis in die octava SS. Corporis Christi satis esse videatur responsum S. C. in decreto 12. Martii 1836 ad 1. in una dubiorum, quod pariter citatur in dubio. Ex quo quidem responso commemoratio de octava non solum praecipi videtur, ut dicitur in dubio, sed reipsa praecipitur. Cum enim quaesitum fuisset ad 1: *„An iis in locis in quibus officium Sacratissimi Cordis Jesu gaudet ritu duplici secundae classis, habeat etiam primas vesperas proprias cum commemoratione octavae Sanctissimi Corporis Christi, vel an vesperae esse debeant de memorata octava?"* responsum affirmativum editum a S. C. satis aperte nobis videtur

Digitized by Google

declarare, non solum faciendas esse primas vesperas Cordis Jesu, verum etiam peculiari modo, quia si recte perpendantur verba dubii, potior difficultas minime versabatur circa primas vesperas, quia major ritus scilicet 2. classis eas tribuit in casu festo Cordis Jesu, sed potius circa commemorationem Corporis Christi, de qua jam duae contrariae resolutiones prodierant 17. Augusti 1771 in una Ordinis Eremitarum etc. et 16. Februarii 1856 in Alben. Atque hic volumus serio animadverti, responsum hoc affirmativum S. C. apprime respondere doctrinae, quam paulo ante protulimus ex Tetamo, qui in sensu nostro ait: *„Multo minus erit incongruum, in primis vesperis integris de SS. Corde facere commemorationem praecedentis octavae SS. Corporis Christi.“*

7. In quam sententiam facilius trahimur, quia cum alias quaereretur in Mechlinen. die 22. Maji 1841, de qua habenda erit ratio in sequenti dubió, an in missa Cordis Jesu, quae celebretur in altari ubi patenter expositum est SS. Sacramentum, omittenda esset commemoratio de venerabili, ex eo quod, in paritate ritus, in vesperis de octava Corporis Christi non esset facienda commemoratio sequentis (Cordis Jesu) ex memorato decreto 17. Augusti 1771, Sacra haec Congregatio, quae anno 1834 responderat omittendam esse, declinans, si ita loqui fas est, a proposita quaestione, per indirectum responsum: *ad modum collectae permitti potest,* sententiae nostrae favere non obscure videtur.

Quae quidem omnia si vobis, Emi. et Rmi. Patres, probabuntur, respondendum esse censemus: *Detur decretum in una dubiorum 12. Martii 1836 ad 1.* [1])

---

[1]) Extat citatum S. R. C. Decretum apud Gardellini n. 4772.

Digitized by Google

Dubium V.

Libellus ab Oratore oblatus.

Ex iisdem principiis sequi pariter necessario videtur, quod neque in missa SS. Sacramento exposito fieri de hoc commemoratio possit vel debeat, quod similiter ab hac S. Congregatione resolutum fuit in Ostunen. 6. Septembris 1834: quaeritur ergo, an his standum sit, et omitti propterea debeat praedicta commemoratio in casu, an vero recentiori decreto S. hujus Congreg. in Mechlinen. 22. Maji 1841, in quo ad 2. declaratum fuit, quod hoc in casu haec commemoratio ad modum collectae permitti potest.

Disputatio Caeremoniarii.

1. Quae in praecedenti dubio fusiori calamo exposuimus pro commemoratione octavae SSmi. Corporis Christi facienda in primis vesperis Sacratissimi Cordis Jesu iis in locis, ubi hoc festum gaudet ritu dupl. 2. class., praesenti etiam quaestioni accomodata esse censemus, ita ut in missa de SSmo. Corde, quae coram SSmo. Sacramento exposito celebratur, ejusdem SSmi. Sacramenti commemoratio addenda esse nobis omnino videatur. In quam quidem sententiam tacite devenisse S. Congregationem patet ex citato decreto Mechlinen. 22. Maji 1841. Dixi tacite devenisse: cum enim tota quaestionis ac dubii ratio peteretur ex congruentia principii, non esse nimirum bis de eodem faciendum in eodem officio, quod S. Congregatio jam adoptaverat in decreto 17. Augusti 1771, et deinde confirmaverat in altero decreto Ostunen. 5. Septembris 1834, videbatur profecto prono alveo descendere, ut negaretur commemoratio Sacramenti in praedicta missa, quemadmodum negata fuerat in Ostunen. 6. Septembris 1834.

Digitized by Google

Id tamen, re maturius discussa, S. Congregatio non decere existimavit; et ne videretur dare de eadem quaestione responsiones sibi invicem pugnantes, mediam quamdam, si ita loqui fas est, inivit viam, qua commemorationem praedictam, quoties aliunde ex rubricarum regulis facienda sit, *ad modum collectae permitti posse* respondit. Quomodo autem permitti unquam posset, nisi tacite significetur, regulam illam de eodem bis non faciendo officiis SSmi. Sacramenti et Cordis Jesu applicandam non esse? [1])

Non enim a regulis rubricalibus alienum est, ut aliquando fiat bis de eodem, sed aliis verbis et alia oratione. Ita profecto fieri videmus dominica XXII. post Pentecosten, in cujus missa recurrit oratio: *Deus refugium nostrum et virtus etc.* Nam si ex superiorum praescripto tunc recitanda est eadem oratio ad modum collectae, pro quacumque necessitate, in Ordine divini officii eo die recitanda praescribitur alia oratio, scilicet pro quacumque tribulatione: *Ne despicias etc.* Quae argumenti ratio a pari quaestioni huic nostrae applicari posse videtur; ut nimirum fiat bis de eodem, sed alia oratione, alio titulo, et alia deprecandi formula. Dum enim in oratione Cordis Jesu a Deo efflagitamus, *ut, qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu;* in oratione de SSmo. Sacramento precamur, *ut*

---

[1]) Quod Ap. Caeremoniarum Magister semel atque iterum enitatur suam interpretationem argumentis rationibusque confirmare et contrariam refutare, assignandum id esse putamus acriori disputationi alius, quem diximus, Caeremoniarii, qui apud S. Congregationem iteratis vicibus ex allato principio audacius contenderat, Festum sacratissimi Cordis nec habere posse commemorationem seu, uti in fine disputationis habetur, Sanctissimo Cordi Jesu jus non esse ad commemorationem.

Digitized by Google

per sacra Corporis Ipsius et Sanguinis mysteria redemptionis ejus fructum in nobis jugiter sentiamus. Diximus alio titulo, quo duarum solemnitatum officia recitantur: In altero enim, nimirum Corporis Christi praescribitur ad prim. in ℟. br. *Qui natus* per tot. oct.; in altero, Cordis Jesu, cujus missa incipit: *Miserebitur:* recitatur invitatorium: *Christum pro nobis passum:* Ad prim. in ℟. br. *Qui passus;* Praef. *de Cruce.* Novissimo igitur S. Congregationis decreto libenter inhaerentes et rationibus supra recensitis, sententiam nostram pro commemoratione facienda aperimus, censemusque respondendum, aut absolute jubendo commemorationem faciendam esse, aut saltem ad tramites propositi dubii: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam;"* quod idem est, ac si permittatur ad modum collectae.

Dubium VI.

Libellus Oratoris.

Ex priori allato principio, sive ex identitate festi SSmi. Cordis Jesu cum illo SSmi. Corporis Christi, fluere pariter videtur, quod eadem esse oporteat in utrisque hymnorum conclusio, sive „Jesu tibi sit gloria"; quod quidem per hanc S. Congregationem in una Congregatione Sanctissimi Redemptoris 1. Septembris 1838 ad 8. decisum reperitur. Quaeritur tamen, utrum his standum sit, an vero novissimo S. hujus Congregationis decreto in Mechlinen. 7. Septembris 1850, in quo ad 3. declaratum fuit: Conclusiones hymnorum non esse in casu variandas, sive debere esse communes.

Disputatio Caeremoniarii.

1. *Resp.* Sacratissimi Cordis Jesu officium probatum atque concessum est cum missa propria *Miserebitur,*

Digitized by Google

ex decreto hujus S. Congregationis 11. Maji 1765 in una regni Poloniae, utrique clero regni Poloniae, nec non archiconfraternitati sub eodem titulo in Urbe erectae; quod officium deinceps altero decreto 23. Julii ejusdem anni in una Venetiarum concessum quoque est recitari cum alia missa itidem propria: *Egredimini,* a clero saeculari civitatis et dioecesis Venetiarum.

2. Pro conclusione hymnorum praefati officii duo exstant S. hujus Congregationis decreta, quae citantur in dubio. Alterum in una Congregationis Sanctissimi Redemptoris 1. Septembris 1838 ad 8. quod jubet conclusionem esse debere ut in festis Beatae Mariae virginis, nimirum: *Jesu tibi sit gloria etc.* Cujus quidem resolutionis ratio ex eo desumpta esse videtur, quod altera missa propria, cujus initium: *Egredimini,* quae reperitur in appendice missalis romani sub titulo: *Alia missa in eodem festo pro dioecesi Venetiarum:* hanc prae se fert in fine rubricam: *Praefatio de Nativ. Domini. Et sic dicitur etiam in missis votivis a dominica Trinitatis usque ad septuagesimam. A septuagesima vero usque ad Pentecosten praefatio de Cruce.*" Cum itaque quaesitum fuerit, quomodo terminentur hymni in festo Sanctissimi Cordis Jesu, quum in missa: Egredimini dicenda sit Praefatio de Nativitate? S. Congregatio respondit: „*ut in festis Beatae Mariae Virginis.*" Hinc fortasse factum fuisse suspicamur, ut redactor Ordinis divini officii pro clero romano in errorem induceretur, cum anno 1847 pridie festi Cordis Jesu, quod tunc in diem 16. Junii transferri contigit, monuit, ad Completorium, et per totum sequentem diem hymnos concludendos esse cum versiculo: *Jesu tibi sit gloria.* Quaecumque enim tandem sit relatio et consonantia, quae intercedit inter praefationem de Nativitate et conclusiones hymnorum: *Jesu tibi sit gloria,* ille pro-

Digitized by Google

fecto non animadvertit in casu, de quo agebatur, nullo modo conciliari posse praedictam hymnorum conclusionem: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine etc.* cum officio, in quo, ut in calendario ipso notatur invit.: *Christum pro nobis passum etc.;* ad prim. in ℟. br.: *Qui passus,* et in missa *praef. de Cruce.* Jure igitur meritoque S. Congregatio in Mechlin. 7. Septembris 1850, „*mendum irrepsisse, et conclusiones hymnorum non esse in casu* (officii scilicet, quod Romae celebratur) *variandas,*" respondit.

3. Atque ut tantisper redeamus ad relationem et concordantiam, qua simul uniuntur praef. de Nativitate, et conclusio hymnorum: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es etc.* animadvertendum est, rubricam generalem tit. XX, §. 4. jubere quidem conclusiones hymnorum in omnibus festis B. M. Virginis faciendas esse cum ℣. *Jesu tibi etc. ... Qui natus etc.:* non item vero generaliter pro omnibus Jesu Christi festis, sed specifice tantum pro nonnullis determinatis, ut in prima praefatione, nempe de Nativitate, adnotatur. Neque dicas, sub nomine, licet specifico festi Corporis Christi comprehendi quoque festum Sacri Cordis ejusdem ob eorumdem identitatem. Nam praeterquam quod huic sententiae non omnes assentiuntur, ut supra vidimus ex Tetamo, de facto est, quod dum in duobus dictis festis Nativitatis et Corporis Christi conclusiones hymnorum: *Jesu tibi etc.* . . . respondent adamussim non praefationi solum de Nativitate, sed etiam ℟. br. ad prim. *Qui natus es de Maria Virgine;* hoc non verificatur in officio et missa particulari pro aliquibus locis de Corde Jesu; licet enim in missa praef. sit de Nativitate, ℟. br. tamen ad primam est: *Per quem salvati et liberati sumus.* Cum itaque ratio passionis praecipue emicet in officio Cordis Jesu: *Christum pro nobis passum*

Digitized by Google

etc., Qui passus es etc.; Qui salutem humani generis in ligno crucis etc.; profecto hymni aptius concludi posse viderentur cum ℣. *Jesu tibi sit gloria, Qui passus es pro servulis etc.* Cum vero in ipsis officiis mysteriorum Passionis, quae ex decreto hujus S. Congregationis in una Urbis 6. Augusti 1831 celebrantur fer. III post dominicas septuagesimae et sexagesimae, et feriis VI post Cineres, et post dominicas I, II, III et IV quadragesimae, hymni, si unum et alterum excipias, videlicet comm. Passionis, et Lanceaé ac Clavorum, concluduntur more consueto: *Praesta Pater piissime etc.;* in ea sumus sententia, ut conclusiones in casu minime variandae sint, ac proinde propositae quaestioni respondendum ducimus: *„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“*

Decretum S. R. C.

Die 11. Augusti 1850 Sacrorum Rituum Congregatio respondit:

ad Dub. IV. V. VI. *Dilata et videantur particulariter.*

§. II.
Decretalis de Institutione Festi Corporis Christi.

Qui in declaranda excellentia cultus ss. Cordis Jesu ex fine excellentissimo ducem sequuntur Patrem Gallifet, hanc ferme adhibent methodum. Finis cultui nostro propositus, inquiunt, is est praecipuus, ut injuriae amantissimo Cordi ab hominibus ingratis inflictae, maxime in Altaris mysterio, eluantur, sarciantur, compensentur. Hujus porro finis excellentia quanta sit, ut melius intelligi possit, duplex omnino adhibenda consideratio est: altera *de amore*

Digitized by Google

Jesu erga homines; altera *de hominum erga Jesum ingrato animo maxime in Eucharistiae sacramento.* Sic enim amorem immensum Cordis Jesu cum incredibili hominum duritie comparando apparebit, et quam justa sit amantissimi Redemptoris querela et quam aequa postulatio, ut violatus ejus honor reparetur et denique quam sancta et homine christiano digna exhibita idoneis obsequiis et operibus postulata reparatio, in qua demum finis intentus positus est.

Amori Jesu erga homines, maxime in ss. Eucharistia, illustrando multi viri docti et sancti utilem operam navarunt, quos inter praestat ipse P. Gallifet, in cujus ea de re edita consideratione lib. II, c. 3. amor in Jesum sincerissimus adeo cum doctrina solidissima elucet, ut eam censorum nescio quis non tam calamo quam facibus erga Cor Jesu ardentissimis conscriptam dixerit. Nos vero, quum tantae rei utcunque explicandae prorsus impares nos sentiamus, satis habemus, scriptum de hoc mysterio caput juris canonici exhibere, quod juvenibus, in quos erudiendos omnes nostras curas et cogitationes conferimus, infra Octavam Corporis Christi praelegere solemus. [1]) Est autem:

C. **Si Dominum.** *De reliq. et venerat. SS. Clem. (III. 16.)*

Si Dominum in Sanctis ejus laudare jubemur, [2]) dignum profecto, justum et salutare nobis existit, ut sibi,

---

[1]) Quae ad originem Decretalis *Si Dominum* spectant, paucis sumus complexi in Commentario *de rationibus festorum mobilium utriusque Ecclesiae: Latinae et Graecae,* p 50, quibus quidem consonant historiarum monumenta. In gratiam eorum juvenum, quibus manca tantum atque inchoata est Corporis juris sacri ejusque glossarum cognitio, breviores quasdam notas ex gl. depromptas heic ad textum in margine apponimus.

[2]) Psalm. 150.

Digitized by Google

in sui, quo nos quotidie spiritualiter reficit, memoriam corporis, laudes festivae venerationis et gratias referamus. Hac igitur consideratione inducti, constitutionem a bonae memoriae Urbano Papa quarto praedecessore nostro super hoc editam [1]) de fratrum nostrorum consilio districte praecipimus observari: cujus tenor sequitur in haec verba: Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et aliis ecclesiarum praelatis etc. Transiturus de hoc mundo ad patrem salvator noster Dominus Jesus Christus, cum tempus passionis suae instaret, sumpta coena, [2]) in memoriam mortis suae instituit [3]) summum et magnificum sui corporis et sanguinis sacramentum, corpus in cibum et sanguinem in poculum tribuendo. [4]) Nam quoties hunc panem manducamus, et calicem bibimus, mortem Domini annuntiamus.

---

[1]) An. 1264.

[2]) Dictio „*sumpta coena*“ interpretationem habet ex can. *Liquido* 54. Dist. II. de Cons jcta. gl., ubi s. Augustin ait: „Salvator, quo vehementius commendaret Mysterii illius altitudinem, hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat,“ quem locum glossa commentando sic exponit: ideo coenatus Dominus coenatis discipulis corpus suum tradidit, ut in hoc sacramento consummationem omnium sacramentorum veteris testamenti et agni paschalis, quem ante manducaverant, et caeterorum monstraret.

[3]) De institutione ss. sacramenti legesis can. *Panis est in altari* 55. Dist. II. de Cons. et c. *Cum Marthae* 6. X. De celebrat. Missar. et sacramento Eucharistiae (III, 41.)

[4]) Cfr. Can. *In quibus* 38. Dist. II. De Cons.: „Circa Corpus Christi aquilae sunt, quae alis circumvolitant spiritualibus“ (S. Leo); *Aquilae*, inquit gl. h. e., Angeli vel fideles, quorum juventus ut aquilae renovatur: can. *Quum in lege* 16. C. XXIII. q. 4.

Digitized by Google

In institutione quidem hujus sacramenti dixit ipse Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem; ut praecipuum et insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc praecelsum et venerabile sacramentum: memoriale, inquam, mirabile ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum, ac super omnia pretiosum, [1]) in quo innovata sunt signa et mirabilia immutata, in quo habetur omne delectamentum, et omnis saporis suavitas, [2]) ipsaque dulcedo Domini degustatur, in quo utique vitae suffragium consequimur et salutis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale sacratissimum, et memoriale salvificum, in quo gratam redemptionis nostrae recensemus memoriam, [3]) in quo a malo retrahimur, et in bono confortamur, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipsius corporali praesentia Salvatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur: sed non propter hoc realem eorum praesentiam obtinemus: In hac vero sacra-

---

[1]) Innova signa et immuta mirabilia. Eccli. 36, 6.

[2]) Sap. 16, 20.

[3]) Can. *Semel* 51, 52 et can. *In Christo semel* 53. Dist. II. De Cons. agitur de memoria Redemptionis nostrae in ss. Eucharistia: Eam glossa his versibus Leoninis seu ὁμοιοτελεύτοις ornat verb. *ne obliviscamur* can. 51. cit.:

Clauditur hoc vase nostri pia victima Phase;
Viva, salutaris, semel in cruce, semper in aris.
Quos recreas Jesu tam sacri corporis esu,
A vitiis munda sacrati sanguinis unda.
Hic editur Jesus, remanet tamen integer esus.
Res occultatur: quare? quia, si videatur,
Forsitan horreres, et manducare timeres.
Ut sine subjecto dependet in aëre nubes,
Et centrum terrae pelagi sustentat abyssus:
Sic vini color et sapor est, pondus quoque panis.

Digitized by Google

mentali Christi commemoratione Jesus Christus praesens sub alia quidem forma, [1]) in propria vero substantia est nobiscum. Ascensurus enim in coelum dixit Apostolis et eorum sequacibus: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,“ benigna ipsos promissione confortans, quod remaneret et esset cum eis, etiam praesentia corporali. O digna et nunquam intermittenda memoria! in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac lignum vivificum ligno crucis affixum, fructum nobis attulisse salutis. Haec est commemoratio gloriosa, quae fidelium animos replet gaudio salutari, et cum infusione laetitiae devotionis lachrimas subministrat. Exaltamus nimirum nostram memorando liberationem, et recolendo passionem dominicam, per quam liberati sumus, vix lachrimas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione adsunt nobis suavitatis gaudium simul et lachrimae: quia et in ea congaudemus lachrimantes, et lachrimamur devote gaudentes, laetas habendo lachrimas, et laetitiam lachrimantem: nam et cor ingenti perfusum gaudio, dulces per oculos stillat guttas. O divini amoris immensitas, divinae pietatis superabundantia, divinae affluentia largitatis! dedit enim nobis Dominus omnia, quae subjecit sub pedibus nostris, et super universas terrae creaturas contulit nobis dominii principatum. Ex ministris etiam spirituum superiorum nobilitat et sublimat hominis dignitatem. Administratorii

---

[1]) Tribus de causis, ait gl. can. *Forte dicas* 43. Dist. II. de Cons., sumitur Corpus Christi sub alia specie et non sub sua visibiliter, scilicet ut fides haberet meritum, (quo careret, si ei humana ratio praeberet experimentum); et ne veluti quidam esset horror cruoris, uti s. Ambros. ait can. *Forte dicas*, et tandem ne ridiculum fieret paganis: infra ead. Dist. *Panis* 55. can. *Quid sit*. 73.

Digitized by Google

namque sunt omnes in ministerium, propter eos qui haereditatem salutis capiunt destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos ejus munificentia, volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem caritatem praecipua liberalitate monstrare, semet ipsum nobis exhibuit, et transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis et admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, et datum est idem penitus cum datore. [1]) Quam larga et prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum. [2]) Dedit igitur nobis se ipsum in pabulum, ut, quia per mortem homo corruerat, et per cibum ipse relevaretur ad vitam: cecidit homo per cibum ligni mortiferum, relevatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis, in isto pependit vitae alimentum. Illius esus meruit laesionem, istius gustus intulit sanitatem: gustus sauciavit et gustus sanavit. Vide, quia unde vulnus est ortum, prodiit et medela: et unde mors subiit, exinde vita evenit. [3]) De illo siquidem gustu dicitur: Quacunque die comederis, morte morieris. De isto vero legitur: Si quis comederit ex hoc pane, [4]) vivet in

---

[1]) Concord. can. *Nec Moyses.* 87. Dist. II. de Cons., ubi Dominus Jesus exhibetur „ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur," in quod alterum incisum hi scripti sunt versus glossae:

Rex sedet in coena turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus; se cibat ipse cibus.

[2]) Nota, inquit gl., salutationis formam, qua quis offert se ipsum, et secundo, quod idem opus meritorium laudabilius est in vovente vel professo, quam in alio, quia plus dat, quum secundum Anselmum: lib. de similitudinibus „det fructum et arborem"

[3]) Praef. de Cruce: can. Invenimus 71. Dist. I. de Cons.

[4]) Subaudi *credendo in Christum,* uti explicat can. *Caritas est aqua* 14 de poenitent. Dist. II, ad quem remittit gl. hic appo-

Digitized by Google

aeternum. Hic est cibus, qui plene reficit, vere nutrit summeque impinguat: non corpus sed cor, non carnem sed animam, non ventrem sed mentem. Homini ergo, qui spirituali alimonia indigebat, Salvator ipse misericors de nobiliori et potentiori hujus mundi alimento pro animae refectione pia dispositione providit. Decens quoque liberalitas extitit et conveniens operatio pietatis, ut verbum Dei aeternum, quod rationabilis creaturae cibus est et refectio, factum caro, se rationabili creaturae carni et corpori, homini videlicet in edulium largiretur: panem enim Angelorum manducavit homo, et ideo Salvator ait: caro mea vere est cibus. Hic panis sumitur, sed vere non consumitur: manducatur, sed non transmutatur: quia in edentem minime transformatur, [1]) sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum sacramentum! O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, praecipuis magnificandum, laudibus, dignis praeconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis et sinceris mentibus retinendum! O memoriale nobilissimum intimis commendandum praecordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero et meditatione, ac celebratione sedula recensendum. Hujus memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus: quia cujus donum vel munus frequentius aspicitur, hujus memoria strictius retinetur. Licet igitur hoc memoriale sacramentum in quotidianis missarum

---

sita; est autem credere in Christum juxta can. cit. amando in ipsum tendere, ideoque majoris perfectionis, quam Credere Christo, vel credere Christum, de qua distinctione sistuntur versus l. c.

Crede Deo: credasque Deum: plus credo valere,
Si credis in eum, quam quod ei vel eum.

[1]) Can. *Non iste* 56. Dist. II. de cons.

solemniis frequentetur, [1]) conveniens tamen arbitramur, et dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter haereticorum perfidiam et insaniam, memoria solemnior et celebrior habeatur. In die namque coenae Domini, quo die ipse Christus hoc instituit sacramentum, universalis ecclesia pro poenitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, [2]) adimpletione mandati circa lotionem pedum et aliis, quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi hujus maximi sacramenti. Hoc enim circa sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa observat ecclesia, ut (quamvis in litaniis et missis, ac aliis etiam ipsorum memoriam saepius renovemus) nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solemnius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum aliquid per negligentiam aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur: statuit ipsa mater ecclesia certam diem, in qua generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi, quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum existeret, solveretur. Potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum sacramentum corporis et sanguinis Jesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria ac corona, ut festivitate ac celebritate praefulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis missarum officiis circa solennitatem est forsitan praetermissum, devota diligentia suppleatur, et fideles, (festivitate ipsa instante) intra se praeterita memorantes, id quod in ipsis missarum solemniis, saecularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc

---

[1]) Can. *Iteratur* 71 Dist. cit.

[2]) Can *Literas* 18. Dist III. de cons.

Digitized by Google

attente in humilitate spiritus et animi puritate restaurent. Intelleximus autem alias, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis divinitus revelatum, [1]) festum hujusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum. Nos itaque ad corroborationem et exaltationem catholicae fidei digne ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto sacramento, praeter quotidianam memoriam, quam de ipso facit ecclesia, et solemnior et specialior annuatim memoria celebretur: certum ad hoc designantes et describentes diem: videlicet feriam quintam proximam post octavam [2]) Pentecostes; ut in ipsa quinta feria devotae turbae fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose

---

[1]) Beata Juliana a Monte Cornelione ad Leodii Portas Hospitaliaria, coelesti visione admonita an. 1280, ut peculiari festivitate sanctissima Eucharistia coleretur, de ea instituenda consuluit Theologos et Episcopos, inter quos erat Jacobus Pantaleo, Trecassensis, Archidiaconus Leodiensis, Episcopus deinde Verdunensis, Summus denique Pontifex Urbanus IV. appellatus an. 1261. Cfr. Sup. p. 38. Caeterum adisis *Act. Sanct. Bolland. ad diem 5. April*, ubi revelatio facta de instituendo festo Corporis Christi ita narratur: „Tempore juventutis suae quoties Christi Virgo Juliana orationi incumbebat, magnum Dei signum et mirabile apparebat. Apparebat, inquam, ei luna in splendore, cum aliquantula tamen sui sphaerici corporis fractione, quam quum multo tempore conspexisset, mirabatur multum, ignorans quid illi protenderet. Exinde s. Juliana humiles preces Deo profundens, divini consilii particeps fieri meruit. Tunc revelavit ei Christus, in luna praesentem Ecclesiam, in lunae autem fractione defectum unius solemnitatis in Ecclesia figurari, quam adhuc volebat a suis fidelibus celebrari.“ (Vit. S Julianae lib. II, c. 2, April tom 1, p. 457.)

[2]) Quod festum Pentecostes octavis carere dicatur c. *Capellanus* 4. X. de feriis (II. 9.), intelligendum id est de officii celebratione; eodem titulo enim c. *Quoniam* 2. memorantur Octavae Pentecostes sc. quoad dierum numerum.

Digitized by Google

concurrant, et tam clerici quam populi gaudentes, in cantica laudum surgant: tunc enim omnium corda et vota, ora et labia, hymnos persolvant laetitiae salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet caritas, devotio plaudat, jubilet [1]) chorus, puritas jucundetur: tunc singuli alacri animo pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solemnia celebrantes: et utinam ad Christi servitium sic ejus fideles ardor inflammet, ut per haec et alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum, qui sese dedit pro eis in pretium tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post hujus vitae decursum eis se in praemium largiatur. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, et per Apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae stricte praecipiendo mandamus, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus tam excelsum, et tam gloriosum festum praedicta quinta feria singulis annis devote ac solemniter celebretis, et faciatis studiose per universas ecclesias civitatum vestrarum et dioecesium celebrari: subditos vestros in dominica, dictam quintam feriam proxime praecedente, salutaribus monitis solicite per vos et per alios exhortantes, ut per veram et puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas et sedulas orationes [2]) et alias devotionis et pietatis opera taliter se studeant praeparare,

---

1) *Jubilus*, inquit glos. h. l., est gaudium, quod verbis explicari non potest, nec tamen penitus reticeri; unde jubilare est cantare voce quadam confusa prae gaudio.

2) Gl. verb. *orationes* integrum tractatum de oratione exhibet novem comprehensum paragraphis, de cujus prolixitate auctor se excusat, quod in orationis suffragio sperans sit effectum illius expertus in assequendis prosperis et evitandis vel saltem temperandis adversis.

Digitized by Google

quod hujus pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverenter, ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim Christifideles ad colendum tantum festum et celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui matutinali officio ¹) festi ejusdem in ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: Qui vero missae, totidem: Qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centum: Qui vero in secundis, totidem: Illis vero qui primae, tertiae, et sextae, nonae ac completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta: Illis autem qui per octavas illius festi matutinalibus, vespertinis, missae, ac praedictarum horarum officiis interfuerint, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi, de injunctis sibi poenitentiis relaxamus.

§. III.

Vis et Notio duarum Associationum „APOSTOLATUS ORATIONIS" et „COMMUNIONIS REPARATRICIS" ex authenticis Monumentis explicata.

A. Apostolatus Orationis.

Apostolatus orationis neque sodalitas neque confraternitas proprie dicta est, sed potius *foederatio quaedam precum* ad quam ineundam non privati modo fideles, sed maxime piae fidelium societates invitantur. Non magis

¹) *Oratio*, inquit gl., est quasi *oris ratio*, ut scilicet rationabile petatur; et quamvis Deo porrigitur, qui cordis locutionem cognoscit, adjungitur tamen vox triplici ratione, primo ad excitandam

igitur ac Associatio pro Fidei Propagatione, cui in auxilium venire conatur, conditionibus Confraternitatum institutioni praefixis subjicitur.

Sola conditio Sociis Apostolatus Orationis imposita, ut privilegiis huic associationi propriis frui possint ea est, ut nempe intentiones omnes SSmi. Cordis Jesu sibi proprias faciant, offerendo saltem semel in die suas orationes, actiones et dolores pro intentionibus pro quibus ipse Christus Dominus orat, seque in sacrificium offert, sed maxime pro Ecclesia universali et pro Summo Pontifice Romano, uti pariter pro quibusdam aliis magis urgentibus necessitatibus a totius Societatis Moderatore singulis mensibus designatis.

Cum Apostolatus Orationis Archiconfraternitati SSmi. Cordis Jesu, Romae in Ecclesia dicta „**della Pace**" institutae, aggregatus fuerit diplomate diei 8. Aprilis anni 1861; fideles, qui Apostolatui aggregantur, Indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus dictae Archiconfraternitati concessis ipso facto frui poterunt.

Religiosae communitates quibus in pia hac precum foederatione primus locus debetur, ad eam ineundam specialiter invitantur; ipsae etiae in illa admitti poterunt, quarum regulae obstant, quominus ullum novum onus suscipiant, quum pro onere minime haberi possit suarum intentionum unio cum intentionibus SSmi. Cordis Jesu.

(Ex statutis „Apostolatus orationis" a Sacra Sede approbatis d. 27. Jul. 1866.)

---

interiorem devotionem verbis enim et signis nos ipsos interius excitamus ad sanctum desiderium augendum, ut dicit Augustinus ad Probam; secundo ad redditionem debiti, scilicet ut serviat orans Deo secundum se totum: corde et corpore can. *Nunquam* Dist. V. de Cons.; tertio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione: unde Psalm. 15. *Laetatum est cor meum et exultavit lingua mea.*

Digitized by Google

B. Communio Reparatrix.

Quamplurimi christifidelium . . . peculiari erga Cor sacrum Jesu amore accensi, inita canonice inter se societate, quoddam pium exercitium sibi perficiendum proposuerunt, cui nomen indiderunt *Communionis perpetuae ac reparatricis.* Praecipuus enim eorum finis est efficere, ut sacrae communionis frequentia Deus propitius factus suae iracundiae flagella a nobis avertat, et gravissimae tum Divinae Majestati, tum Christi sanctissimae Religioni eique, quem in terris suum constituit Vicarium, injuriae quotidie illatae aliqua ratione reparentur, atque etiam fides catholica ubique gentium . . . incorrupta servetur et universus Christi grex ab impiis hostium vaferrimorum insidiis incolumis evadat. Porro memorata sacrae communionis frequentia hac methodo dirigitur. Qui hujusmodi pio exercitio seu Communione perpetua et reparatrice perfungi intendunt, in classes seu sectiones dividuntur. Quaelibet sectio seu classis vel septem vel triginta sodalibus constat; si septem sint sodales, singulis singuli hebdomadae dies, si triginta sint, singulis singuli mensis dies assignantur, quibus quilibet eorum ad sacram communionem accedere debeat.

(Ex Brev. Indulgent. SSmi. D. N. Pii PP. IX. d. 9. August. an. 1861.)

§. IV.

De Fontibus Spuriis, e quibus Monumenta ad Festum Sacratissimi Cordis spectantia dimanarunt.

Leges in quavis societate *legitimo ex fonte* dimanare dicuntur, si editae ab iis personis sunt, quae juxta ejusdem societatis constitutionem potestatem legiferam in ea habent; *spurias* contra omnes illas leges esse patet, quae

Digitized by Google

ab iis proficiscuntur, qui auctoritate, quam in societatem aut aliquam ejus partem sibi vindicant, destituti sunt.

Jam vero a tempore sancti Pii Papae V. omne jus liturgicum ita reservatum est Summo Pontifici, ut nulli omnino, *quacunque ecclesiastica dignitate fulgenti, etiamsi S. R. E. Cardinalis aut cujusvis alterius gradus et praeeminentiae fuerit, liceat in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae in Missali Romano* a S. Pio PP. V. *edito continentur, aut approbatae deinceps a Sede Apostolica sunt, addere vel recitare,* de qua Pontificia juris de liturgia dicundi potestate fuse disseruimus in *cit. Annotationibus canonico-liturgicis* in Decreta Concilii Provinc. Viennensis an. 1858. [1])

Quodsi ab obligatione sequendi Missale et Breviarium Romanum exemptae sunt Ecclesiae et Religiones, quarum Missalia et Breviaria *vel ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica probata vel ducentis annis antiquiora sunt Constitutione sancti Pii PP. V. Quo primum,* [2]) certum tamen est, easdem Ecclesias sive saeculares sive regulares nunquam potuisse ullam officiorum additionem vel immutationem in suis propriis Missalibus aut Breviariis facere absque expressa Sedis Apostolicae facultate. Patet ex authentica Declaratione *Decreti S. R. C. contra abusus,* quod jussu Urbani PP. VIII. editum et Breviario Romano praefixum est. Decretum quidem edicit: „*Non potuisse nec posse locorum Ordinarios tam saeculares quam regulares addere calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quae Breviarii Romani rubricis, vel Sacrae Rituum Congregationis vel Sedis*

---

[1]) Apud *Moy:* Archiv für Katholisches Kirchenrecht. Tom. 5, pp. 371—381.

[2]) Eod. p. 381.

Apostolicae licentia conceduntur. [1]) Ejus autem interpretationem authenticam Sacra Congregatio exhibuit die 28. Octobris an. 1628 edito altero hoc Decreto: „*Decretum contra abusus comprehendit etiam Breviaria tolerata a Pio V., excedentia bis centum annos, hoc modo videlicet, ut non possit eis addi aliquod festum Sanctorum . . . . nisi modo et forma contenta in Decreto et consulta Sede Apostolica.*“ [2]) Quae omnia a cl. D. Bouix exposita graviter accurateque sunt *Tract. de jure liturgico, Part. IV. cap. 2, §§. 4. et 5.* [3]) Eandem veritatem quoque late ac solide contra Gallicanos tuetur *Academia liturgica Romana an. 1859*, ut proinde jam audiri nequeant, qui in ignoratione authenticae hujus declarationis anni 1628 versantes cum Cavaliero [4]) et Guyeto [5]) docent, quoad novorum officiorum additionem privilegiatis Ecclesiis nihil fuisse de suo antiquo jure detractum.

Spuriis monumentis accensendae igitur sunt Episcoporum constitutiones, quibus absque praevia facultate Sedis Apostolicae Officium ac Missam sacratissimi Cordis Jesu ante an. 1765 celebrari jusserunt, quantumvis licet ejusmodi missae varias exercitationes ac preces Cordi Jesu colendo maxime idoneas complecterentur [6]) atque earumdem

---

1) Apud *Gardellini* n. 593.
2) Apud *Gardellini* n. 625.
3) Edition. II. pp 257 seqq.
4) Tom. 2, p. 175. Edition. t. Venet. an. 1758.
5) Lib. III. cap. 1, 9. 8.
6) Primum inter has Missas locum obtinet Missa Bisuntina *Gaudeamus* anno 1692 ab Archiepiscopo Bisuntino praescripta atque eodem fere tempore etiam ab Episcopo Lingonensi recepta. Atqui

Digitized by Google

ope sacratissimus cultus celebrior factus ab integris provinciis usurpari et in praxim deduci coeperit. Prodierunt autem plures ejus generis Ordinariorum sanctiones; ex quo enim celebratio hujus festi etiam peculiari edito voto a multis Galliae provinciis, a foedissima grassante peste per cultum ss Cordis Jesu liberatis, in singulos annos publico Episcoporum et Magistratuum civilium decreto statuta fuerat, ipsum festum a multis Dioecesibus, et in Gallia quidem fere universis, tum ab integris quoque ordinibus religiosis, nominatim ab universo fere ordine S. Benedicti in Gallia, officio Canonico et Missa propria maxima cum solemnitate celebratum est:

A. Missae Spuriae.

Illustre exemplum Missae confirmatione Sedis Apostolicae destitutae prostat in *Missali Parisiensi* an. 1738, cujus libri censuram scripsimus, quum de Missalibus prohibitis ex professo egimus in *Annotat. can.-liturgicis* [1]) *cit.* Missam „*Venite ad me omnes*“, quam Archiepiscopus

res est publica auctoritate testata, ex praedicta Missa ***cultum erga sacratissimum Cor Jesu in illis regionibus cum maxima religione ad animarum spirituale incrementum profecisse*** eamque propterea auxiliis recte fuisse adnumeratam; ***quibus Christi fideles ad hoc tandem deducerentur, ut jam in semetipsis sentire possent, quod et in Christo Jesu***, ut eam in rem scriptum legimus in testimonio Vicarii generalis Archiepiscopi Bisuntini d. d. 14. Aprilis an. 1725 relato apud P. Gallifet pp. 506. Edit. Augustan.

[1]) Archiv. an. 1860, p. 64.

Parisiensis cum *Sequentia* [1]) et *Praefatione propria* [2]) praescripsit, exhibebimus infra *parte ascetica.*

Idem prorsus dicendum de alia Missa „*In capite libri scriptum est,*“ quae in pluribus Missalibus saeculo XVIII. editis refertur.

---

[1]) *Sequentia* sic appellata est, quia Epistolam sequebatur, ut post Grancolas, Doctorem Parisiensem, monet Sala (ad Bonae cap. 4. lib. II.) Primus Sequentiarum auctor Notkerus, s. Galli Monachus († 911), a plerisque creditur (Migne P. L. tom. 131, p. 989.); at post eum dictu incredibile est, quot in ejusmodi pangendis cantiunculis laborarint. Quoniam vero pleraeque hujus generis Sequentiae verbis ignotis et barbaris, ineptis quoque et puerilibus sententiis scatebant, Coloniensis Synodus an. 1536 de illis delendis cogitavit Part. II. can. 11, uti videre est apud Hardouin tom. 11, p. 1982. Eadem fuit Tridentinorum Patrum sententia. Quamobrem in emendatione Missalis Romani jussu s. Pii PP. V. editi Sequentiae fere omnes expunctae sunt, quod sc. earum pleraeque, ut Concilium Coloniense ait, *caeco quodam judicio superstitiosius invectae* ineptae atque pueriles essent et ecclesiasticae dignitati minus consentaneae, et quod earum usus a priscis Ecclesiae institutis abhorreret. Memoriae gratia tamen nonnullae in Missali Romano retentae sunt, nempe **Lauda Sion Salvatorem**, quam S. Thomas Aq. composuit; **Veni Sancte Spiritus**, cujus Auctorem Hermannum Contractum, monachum Augiae Divitis († 1054), Joannes Egon adserit (apud Migne P. L. tom. 143, p. 10), alii Robertum, Galliarum Regem († 1031), uti ex Ziegelbauer tradit Migne (P. L. t. 141, p. 899.), alii denique Innocentium PP. III perhibent; et **Victimae Paschali laudes**, cujus ignoratur auctor, licet multi eam Notkero tribuant. In Missis defunctorum permissa quoque fuit Prosa **Dies irae dies illa**, cujus omnino incertus est auctor, quum non minus octo scriptorum foetus dicatur. Adcessit demum Sequentia **Stabat Mater dolorosa**, quae Innocentio PP. III. a Pagio juniore adscribitur.

In Romanis Ordinibus primaevis, inquit *Zaccaria:* Bibliothec. ritual. tom. 1. p. 33, nullum vestigium de Sequentiis in Missa Romani Pontificis dicendis comperio. Saeculo XII. Sequentiarum

Digitized by Google

Sed paulo alia est ratio Missae „*Gaudeamus*“ quam pro festo sacratissimi Cordis Jesu an. 1692 approbavit atque an. 1694 inserendam decrevit *Missali Bisuntino* Antonius Petrus de Grammont, Archiepiscopus Bisuntinus. Quamquam enim ex prima sua origine spuria erat atque ex Missali Vesontino in alia quoque Missalia absque licentia Sedis Apostolicae transiit, ¹) successu temporis

et Prosarum (sic appellatarum, quod in iis non observantur metricae regulae) usum, non tamen in re divina agnoscimus, sed in die Natalis Domini et in die Paschatis inter prandendum. Iis enim diebus solebat Romanus Pontifex cum Episcopis et caeteris ordinibus cibum sumere, et post lectionem homiliarum ad mensam Sequentia a cantoribus, mandante Pontifice, decantabatur Saeculo XIII. inclinante demum Sequentias in Missis cantatas fuisse Ordo Romanus eo tempore editus tradit.

²) Leges canonicas de Praefationibus c. *Invenimus* 71. Dist. 1. de Cons. et Dict Gratian. can. *Sanctorum canonum* 2. Dist. 70. in edendo Missali sus deque se habuisse ipse profitetur Archiepiscopus in Decreto, quod est Missali praefixum. Praefationes addidimus, inquit, ubi propriae deerant, nempe pro tempore adventus, Corporis Christi, Dedicationis etc. . . . Has quae nobis suppetebant divitias, passim per Missale nostrum larga manu distribuimus.

¹) Typis germanis etiam pluries varie mutata prodiit; sic eam v. g. Missale Augustanum an 1733 (cum approbatione Ordinarii editum a FF. Veith) exhibet pag. CXII. addita Sequentia de SSmo. Nomine Jesu:

Lauda Sion Salvatoris
Jesu Nomen, et Amoris
Toto cordis jubilo

Quam sequentiam iidem editores iterum omittunt in editione ejusdem Missalis an. 1759. Ex hisce mutationibus patet, quam vere sit a Sanctimonialibus a Visitatione B. M. V. in libello supplici an. 1725 animadversum, approbationem Sanctae Sedis etiam ea de causa postulari, „ut Missa Pontificiae auctoritatis suffragio munita neque variationem deinceps neque contradictionem pateretur.“ Supra p. 34.

Digitized by Google

tamen *ratihabitione* Summi Pontificis pro aliquibus Ecclesiis necessariam confirmationem adepta est, uti colligitur ex authentico testimonio *D. Bartolini*, S. R. C. secretarii d. d. 11. Aprilis 1866, quod videsis in ultima pagina Editionis Ratisbonensis Missalis Romani ejusdem anni 1866.

B. Officia Spuria.

Huc spectat *Officium adorandi Cordis Jesu*, quod extat in Breviario Benedictino Parisiis edito apud Petrum Debats (via Jacobaea). In eo haec nota, quo ab aliis similibus Officiis distingui possit.

Antiphonae ad Vesp. incip. *Jesus ingrediens mundum dicit: in capite libri etc.*

Capitulum. III. Reg. 9. *Sanctificavi mihi domum hanc etc.*

Hymnus. *Jesu paterni pectoris etc.*

Huic Officio a Sacra Rit. Congregatione necessariam auctoritatem non fuisse tributam multi sentiunt.

Similiter erant, qui de legitima approbatione Officii *sacrorum quinque Vulnerum et Cordis Jesu*, quod ex rara illa duorum Officiorum mixtura conflatum supra memoravimus p. 41., non nihil subdubitarent, quod sc. crederent, a consuetudine Sacrae R. Congregationis omnino abhorrere, ut Officium ex tali perturbatione rerum enatum assensu suo comprobet. At, licet fatendum sit, externam Officii speciem eam non esse, quae omnem spuriae originis suspicionem propulset, iis tamen ea in parte accedere non audemus. Quum enim inclyti illius Regni Praesules Regulares summo pietatis amore sacras Ecclesiae leges in omnibus zelent atque eo omnes suas curas conferant, ut insignis Cisterciensis Ordo semper sit, juxta verba juris canonici, *vitis illa fructifera flores proferens et odores*

Digitized by Google

effundens: Ecclesiae cara, Episcopis et Praelatis accepta atque in conspectu regum et principum fama et merito gloriosa, [1]) dubitandum non est, quin postea saltem per ratihabitionem Summi Pontificis Officium non sit ad praescriptum sacrorum canonum exactum, si forte Pontificia approbatione adhuc indiguisset.

Caeterum de Officiis a Sede Apostolica non approbatis valet, quod de illegitimis Breviariis generatim agentes indubitatis rationibus docent juris periti, scilicet *Officia ipsa* utut Ordinarii auctoritate totiusque Capituli aut Congregationis consensu confecta vel recepta, *ne centenaria consuetudine quidem legitima evadere, ac proinde per eorumdem recitationem obligationi horarum canonicarum nunquam satisfieri; personas vero ad Breviarii recitationem obligatas absque ullo alio immediati Superioris interventu uti posse formula a Summo Pontifice per Sacram Rituum Congregationem approbata.* Legantur quae eam in rem accurate nervoseque disputat cl. *Bouix de jure liturgico* tum alibi, tum nominatim part. IV, cap. 2, §. 3., propositione 6, coll. §. 4, prop. 2, 5, 6 et §. 5. prop. 1. ac nos ipsi scripsimus in cit. *Annotationibus canonico-liturgicis,* l. c. pp. 378 seqq.

---

[1]) C. *Recolentes* 3. X. De statu Monachorum, p. d. (III, 35.)

Digitized by Google

CAPUT II.

MATERIAE ICONOGRAPHICAE.

§. I.

Imagines SS. Cordis Deo jubente pictae et fidelium venerationi expositae.

Quod devotissimus Landspergius suaserat, ut *figura aliqua Dominici Cordis in publico ac frequenti loco poneretur, ut eam intuentes amoris exercitandi ad Deum admonerentur,* [1]) id sibi acceptissimum esse ipse Dominus aperte significavit Beatae Margaritae Mariae; ut ita nimirum Divinum Cor atque in eo spinas, crucem, hians vulnus et flammas undique erumpentes contemplando fideles ex variis hisce amoris et doloris symbolis ad solidam caritatem informarentur. „Die quodam S. Joannis Evangelistae sacro, inquit B. Marg. Maria, postquam ab amantissimo Domino gratiam accepissem illi propemodum similem, quae in ultima coena dilecto discipulo contigit, [2]) menti meae Cor illud sacrosanctum objectum est, lucis radios miro splendore spargens undequaque crystallique instar pellucens, in throno, qui totus ex igne flammisque constare videbatur, veluti sublime *vulnus lancea factum distincte apparebat, spinea corona Cor cingebat, cruxque in superiori parte eminebat.* [3]) Quae Dominicae passionis in-

---

[1]) Supra p. 197.

[2]) Supra p. 153.

[3]) Ce divin Coeur me fut représenté comme sur un trône tout de feu et de flammes, rayonnant de tous côtés, plus brillant que le soleil et transparant comme un cristal. La plaie qu'il reçut sur

signia significabant (rem ipso Jesu declarante) omnia, quae ille pro hominum salute passus est, ex amore profluxisse. Tum amantissimus Dominus haec adjecit, cupere se vehementer ab hominibus redamari, seque hoc desiderio excitatum statuisse, Cor suum illis manifestare, huncque thesaurum amoris et misericordiae gratiarumque omnium ad salutem et perfectionem conducentium reserare, eo fine ut quotquot huic sacrosancti Cordi debitam reverentiam et amorem adhibere vellent, infinitis quas complectitur divitiis participes efficerentur; *affirmans praeterea, cultum illum peculiarem Cordi suo delatum sibi esse acceptissimum, ac propterea velle se, ut imago Cordis sui expressa coloribus fidelium oculis palam exponeretur, quo emolliri eorum durities specie tam amabili posset; pollicens insuper, eos omnes, qui ejusmodi imaginem praecipua veneratione colerent, donis coelestibus ex hujus Divinissimi Cordis plenitudine prodeuntibus affatim cumulandos* " [1]) Exinde fidissima Christi sponsa tum apud religiosas sui Ordinis sorores, tum vero apud omnes quoad potuit homines studiosissime egit, ut Sanctissimo Cordi Jesu etiam exterior hic cultus per imagines expositas, qualem ei placere ab ipso didicerat, ubique tribueretur. [2])

---

la croix y paraissait visiblement. Il y avait une couronne d'épines autour de ce sacré Coeur, et une croix au dessus. (Vie et oeuvres tom. 2, p. 274.)

[1]) Supra p. 212.

[2]) Dici vix potest, quanta cum sollicitudine curatum a B. Marg. Maria sit, ut hac honoris significatione SS. Cor Jesu ab omnibus coleretur. Videri ea de re potest opus „Vie et oeuvre de la b. Marg. Marie" locis in indice rerum indicatis verb. „Images" tom. 2, p. 548.

Digitized by Google

§. II.
Imagines SS. Cordis ab Anticardiacis impugnatae.

Verum quod fuit novae hujus praxis initium, idem et persecutionis fuit. Nam ubi primum animadversum ab adversariis cultus SS. Cordis est, imagines ejusmodi pingi ac sculpi frequentibusque in locis fidelium adorationi palam exponi, ingentes in eas clamores sublati sunt, cultum hunc, ipsiusmet vocabuli aversatione et odio, continuo fastidientibus ac respuentibus inimicis.

Sexcenta licet ejus rei exempla proferre ex Annalistis Florentinis atque ex aliis Jansenianae sectae addictis scriptoribus; sed unum posuisse satis habemus ex *Cam. Blasii* Dissertat. commonit., ubi toties decantata impudenter repetuntur, praesertim cc. 49, 50 et 63. „Praesumptio audicissima est, exclamat, quae Christi corpus abscindit, et de medio ventris ejus evellit Cor, et hoc carnis frustum commune nobis cum brutis et nil dispar habens a corde brutorum“ repraesentat ac colit. Praeterea imagines SS. Cordis pingi solitas vocat *monstrosas, falsas, immodestas, noxias, periculosas ab Ecclesia damnandas,* atque — ut textum ex primo, quod indicavimus, capite exhibeamus — in imaginem, qua Christi Cor in aperto pectore flammis incensum et spinis coronatum ostenditur, hisce argumentis insurgit: „An non ergo exscindet ac labefactabit unitatem imago, de qua agitur? An non videbitur naturae ordinem subvertere, quo vivum cor exemptum prorsus subductumque est ab oculis hominum?“ Idque adeo verum est, ut etiam in usu scripturarum sub typo cordis exprimi soleant, tamquam omnibus ignotae ac imperviae, et ut notae ac perviae soli Deo occultae cogitationes hominum. *Pravum est cor hominis et inscru-*

tabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor. Jerem. 17. *Homo enim vidit ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.* I. Reg. 16. *Major est Deus corde nostro, et novit omnia.* I. Joan. 3. Quod itaque per naturam non licet in cordibus hominum, ut ea nempe videantur et vivant, id arbitrio hominum tentare ac fingere liceat in uno Corde Hominis-Dei? Quod tamen, ut supra jam vidimus, praeter naturalem etiam divina lege districte vetitum est sub figura Paschalis Agni: *Nec efferetis de carnibus ejus foras. Exod. 12,* Quo certe loco nihil aptius desiderari potest, ut ab oculis fidelium omnino subducantur imagines, quibus aut Cor Jesu effertur foras, aut e scrinio pectoris utraque manu reserati conspicuum fit, quod a nemine visum, quod a nemine investigatum est, Dominici Cordis arcanum. Quid quod ut omne Cor pateat, simul adhaerentia removentur viscera, et quod magis est, scinduntur etiam pectoris ossa! quod nefas esse contextim edictum fuit Exod. 12. *Nec os illius confringetis.* Imaginem Judae proditoris, dum se laqueo suspendit, his delineat coloribus s. Petrus Act. 1. *Suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.* Si oculos hinc referas ad imaginem, quam Patroni Cordis effingunt, et cum inferiori Judae superiorem conferas ventrem Jesu, misereberis, opinor, Christi Servatoris tui, tactusque dolore cordis intrinsecus intorquebis in eos cum Propheta amaram illam exprobationem Is. 40: *Cui ergo similem fecistis Deum?*"

Post haec multa sive ex sacris literis sive ex profanis scriptoribus omni verecundia abjecta congerit, ut ostendat, magnum ejusmodi imagines facessere christianae pudicitiae negotium; verum in iis afferendis adeo impudenti scribendi genere utitur, ut calamus reluctetur ea describere. Contumeliis suis tandem hunc finem imponit: „Huc

sane provehimur, dum veritate deserta, quae Christum proponi et praedicari vult crucifixum, falsa ac noxia delectamur imagine Jesu profano more, non jam ex vulnere lateris, sed ex hiatu scissi pectoris Cor suum carnale porrigentis, quod exprobasse videtur Apostolus ad Galat. 3. dum exclamavit: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus praescriptus est in vobis crucifixus?* Quod hinc vero malum, quod hinc immineret periculum, sequentia verba demonstrant: *sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini!* Unde vel hoc nomine praeter alias notas, imagines hae, quas ita concinnare nonnulli etiam detrectarunt pictores, ut ex locupletissimis testibus accepi, in censuram recidunt Tridentini *sess. 25. De invocatione, venerat. Reliq. Sanctor. et sacr. imag.: Omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate nec pingantur nec exornentur . . . . nihil profanum, nihil inhonestum appareat. . . . . Ex imaginis inspectione pietas excitetur, nulla vero turpis cogitationis detur occasio,* ut ad rem commentatur S. Carol. *Concil. Provincial. I. par. I Tit.*" [1])

§. III.
Imagines SS. Cordis contra Anticardiacos defensae.

Blasii criminationes multi scriptores graviter repulerunt, in quibus prae caeteris memorari debet *Bened. Tetamus,* qui in suo *Apologetico* [2]) solidae doctrinae copia

---

[1]) Dissertat. Commonit. c. 49, pp. 185 seqq. edit. Norimberg. an. 1774.
[2]) Supra pag. 226.

Digitized by Google

et varietate imagines Sacratissimi Cordis ab Anticardiacorum calumniis egregie defendit cc. 6, 45, 46, 47 lib. II. „*Rei veritas inepte*, inquit in lemmate capitis 45, *immodestia vero prorsus temere et insolenter adversus sacri Cordis imagines obtenditur*. Primum de *veritate*, tum de *immodestia* dicamus.“ Ex iis vero quae pluribus capitibus erudite et copiose de utroque membro habet, prolixitatis vitandae causa pauca tantum excerpimus.

A. De veritate imaginis SS. Cordis Jesu.

„Triplicem distinguunt Dogmatici Theologi rationem, qua effictae sacrae imagines intelligi possent; de qua legere poteras Benedictum XIV.: de can. SS. l. IV. part. 2, c. 20, eam explicantem ex Bellarmino *de cultu imag.* Prima est, si imagines fiant, ut res ipsa talis credatur esse, qualis in imagine exprimitur. Altera est, ut factum aliquod historicum de persona aliqua significetur; ut si Deum depingeres in Paradiso deambulantem et quaerentem et objurgantem Adam. Tertia, si symbola fiant ad explicandam rei alicujus naturam, aut personam aliquam exprimendam secundum modum, quo illa apparere consuevit, ad quam pertinent imagines Angelorum, Spiritus Sancti in forma columbae, aut etiam ipsius Dei sub imagine senis. Tum de his imaginum efformandarum rationibus docent omnes, primi generis esse certo falsas et proscribendas; alterius vero et tertii generis probatas esse maxime et in Ecclesia usitatas.

His positis quid est, quod objicis, *imaginem Cordis exhibere aliquid contra veritatem?* Num putas, illam idcirco esse factam, quod significari velit, Christum ita revera esse, et discisso pectore et Corde producto vivere? Crasse nimis intelligis; tum vero idem dicito de imaginibus Angelorum, de imaginibus Christi sub Agni specie, de

imaginibus Spiritus Sancti sub forma columbae, hoc uno tam subtili argumento, quod imagines hae aliquid exprimant contra rei veritatem.

Atqui tu fortasse ad illud recurres, quod de his veras habemus apparitiones aut locutiones scripturarum, in quibus imagines illae fundantur. Jam, si bene intelligis, quod hic dicis, duo dicis: alterum quod imagines illae veritatem suam desumant a quodam phantasiae nostrae statu; alterum quod hic ipse phantasiae status fundamentum habeat in locutionibus aut apparitionibus Scripturarum. Quid ergo si utrumlibet pro Cordis imagine valeat? Neque hic ad apparitionem et revelationem vener. Margaritae factam confugimus, ubi Christus fertur *Cor suum Sacrosanctum detegens* sic famulam suam alloquutus *Vides Cor meum? Cor illud tanto hominum amore succensum* etc. Ad ipsum Commonitorem Blasium appellamus, mentis obtutum in Cordis Jesu meditatione defixae probantem et commendantem, praecipue cap. 39. Ad Sanctorum exempla provocamus, qui eo Cordis intuitu *tanquam duce Corde carneo,* ut ipse explicat Blasius cap. 61. in amorem Dei exardescebant. Quin ad ipsam satis pronam et conformem scripturarum significationem proclamamus; ex quibus si Christo latus lancea apertum fuisse habemus, non id absque symbolica Cordis ipsius significatione factum fuisse intelligi debet: *Vulnerari enim voluit* (ait Suarez in III. part. disp. 41, sect. 1.) *in ea potissimum parte corporis, qua ejus Cor hominibus quasi PATERE posset, intelligerentque sibi apertum ostium, per quod in Cor Christi ingredi illicque possent requiescere: Unde Augustinus* in Manuali c. 2. *Longinus,* inquit, *APERUIT mihi latus Christi lancea, et ego intravi et ibi requiesco securus.*

Vide itaque, Blasi, quid tibi prius conandum sit, phantasias istas vel *Ostii aperti*, vel *Introitus*, vel *Re-*

Digitized by Google

quiei in Corde Christi inveniendae, cum habitudine mentis ad Cor ipsum verum et carneum Christi, adversas evincere Scripturae et Patribus; tum illud conare, imaginem illam Cordis exhibere aliquid contra rei veritatem.

Sed quum haec ex Scripturis expressimus, multo majorem fortasse objectioni honorem detulimus, quam ea mereretur, quae a te in medium producta haud tam sublime exporrigebatur. Tuum est valde pedestre et putidum quod obgannis: „*Quod per naturam non licet in cordibus hominum, ut ea nempe videantur et vivant, id arbitrio hominum tentare ac fingere liceat in uno Corde Hominis Dei!*" Non te puduit, Romanis typis tantam stultitiam consignare?" Haec ille l. II, c. 45.

Quod vero opposuerat Blasius, depingendam non esse Cordis Christi imaginem, ne Cor ipsum materiale cum spirituali quadam intelligentia conjunctum sumatur pro objecto adorationis ac cultus, neve ita introducatur symbolum compositum, duobus locis solvit Tetamus, obiter quidem l. I. c 1, copiose vero l. II. praecipue c. 51.

E priori loco haec breviter enotamus.

„Quid ergo jam est, quod bilem Commonitori moveat, si *carnem ipsam et fibras cordiformis musculi veste symbolica induamus?* . . . Utrum id (h. e. taxare pium depingendi Cordis Jesu morem) salva reverentia sanctis imaginibus debita dictum sit, sapientes dijudicent. Nam utut velimus ipsi largiri, Cor materiale Jesu in praesentem cultum non venire, nullo tamen modo ab illis efformandis imaginibus abstinendi essent Fideles; nisi si eadem ratione ducti, quam insinuatam a Commonitore habemus, in pictores vel sculptores illos animadvertendum putemus, quod columbam rostro et plumis affabre elaboratam veste symbolica Spiritus Sancti, et Agnum veste symbolica Jesu Christi, et Senem crispata fronte barbaque promissa veste

symbolica Dei Patris circumvestiant. Quum ergo convenire debeat inter nos optimumque Commonitorem, Cor, utut symbolicum velit, Festi hujusce objectum esse; Sanctumque Orthodoxis sit, symbola ipsa, religionis nostrae argumenta, ut animo, ita oculis ad venerationem proponi posse et debere, non videmus, quanam arte alia Cor ipsum symbolicum proponi posset, nisi sub Cordis imagine. Cordis ergo imaginem daturi, quid peccamus, si cordiformem musculum venulis et fibrillis circumvestitum proponimus? Num qui panem symbolicum depingere vellet, non panem vero similem depingeret, sed aut lapidem aut scorpium?"

Symboli compositi exceptionem uberiori disputatione tollit lib. II. c. 51, ex qua paucis haec accipe:

„Tu ergo novum symboli genus existimasti *symbolum compositum;* illud nempe, quod consurgere dicatur ex ipsa vera rei substantia, tum ex superadjecta spirituali significatione? Nobis vero vix symbolum ullum esse posse sine illa compositione videtur. Neque id clarissimum tibi faciemus ex ipsa symboli etymologia, quae quum a graeco *συμβάλλω*, h. e., *conjicio* seu *compono* sit, per seipsam innuit, aliquid esse debere, ex quo aliud *conjicimus,* unde utrorumque compositio aliqua ostenditur: quod ipsum docet Du-Cange in Gloss. V. *Symbolum,* ajens symbolum esse *notam, tesseram.* [1]) Tessera autem non potest in alterius cognitionem nos ducere, nisi prius ipsa per se cognoscatur.

---

[1]) ***Symbolum***, Tessera, in re militari signum est militare quo et milites dignoscuntur ab hostibus et per contubernia, quid dux praecipiat, significatur: Gallis ***Mot du guet***, Germanis ***Losung, Parole***. Ab hujus significationis similitudine ***Symbolum Apostolicum*** appellatum fuisse existimant aliqui, ut videlicet veluti tessera ad internoscendos veros Christi milites esse posset.

Digitized by Google

Verum innumeris uti possemus exemplis, ut videas, quoties symbolum habes, toties utrumque te habere: et propriam scilicet rei substantiam et superadjunctam illi alterius significationem. Explica ergo nobis, quid mulieres illae duae erant Sara et Agar? Ex Apostolo erant symbolum duorum testamentorum; sed numquid propterea non erant illae verae in propria substantia mulieres? Explica nobis, quid petra illa erat, ex qua biberunt, in deserto Israelitae? Ex eodem Apostolo symbolum et ipsa erat Christi; sed numquid propterea non vera petra erat? Audi Augustinum iisdem hisce exemplis symbolum explicantem *de Genes.* ad *lit. lib. VIII, c. 4. Sara et Agar quamvis duo testamenta significarent, erant tamen etiam mulieres duae, et quum Christus per ligni passionem fluento spirituali nos irriget, erat tamen petra, quae aquam sitienti populo percussa manavit, de qua diceretur: petra autem erat Christus. Aliud, quam erant, illa omnia significaverunt, sed tamen tum IPSA CORPORALITER fuerunt, et quando a narrante demonstrata sunt, non erant illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat FIGURATA PRAECESSIO.* Finem

---

Alii vero hoc Symbolum ab ea verbi συμβάλλω potestate nomen traxisse putant, qua significat *confero*, quod sc. singuli Apostoli aliquid contulerint ad Symbolum conficiendum, quoque, ut *S. Augustinus* interpretatur (Sermon. de tempore 115) collata in unum totius catholicae legis fides Symboli brevitate colligatur. Miram *Symboli* appellationem et magis miram ejus formationem habes ex notatione quam plures conficiunt ex glossa in *Rubric. tit. de Summa Trinitate* (coll. gl. in C. *Canones* 1. Dist. 15. verb. *Apostolos*), ubi legitur: „Symbolum dicitur a *syn*, quod est *con*, *simul*, et *bolos*, quod est *morsellus*, quia quilibet Apostolorum de suo morsello aliquid, seu partem suam apposuit.“

Digitized by Google

non haberet oratio nostra, si omnia hujusmodi symbola hic accensere vellemus. Sed innuimus et Manna in deserto, et panem multiplicatum a Christo Domino, et Serpentem in deserto, et Virgam Aaron, et Jonam in ventre Ceti, quae omnia symbola erant, sed in seipsis vere erant, et *aliud quam erant significabant.*

Tu ergo vere lusisti, quum novum symboli compositi genus dixisti; lusus vero tuus in verbo fuit, quum confunderes symbolum, quod *in re est,* et symbolum, quod *in voce est.* Porro quando in nuda voce consistit symbolum, non tam symbolum, quam figurata locutio et Metaphora dici debet, in qua non rei ipsius substantia, a qua desumitur metaphora, sed simplex quaedam convenientia attenditur. Quum vero *symbolum reale* est, res ipsa considerari debet, quamvis non per seipsam tantum, sed cum apposita significatione. . . . . Quum dicitur *caritatem recoli sub Symbolo Cordis,* reale symbolum procul dubio dicitur, adeoque res ipsa Cordis significatur; cum hoc tamen, quod in ipso Corde intelligi debeat aliquid aliud, quam ipsum in se sit. Et quamvis illud verum sit, quod ais: *simul ac Cordi Jesu forma symboli adjicitur, abstrahitur statim idea a Corde carnis, et ad Cor spirituale contrahitur;* istud tamen non probat, excludi ipsam substantiam Cordis carnei; sed tantum ipsam non attendi, ut rationem formalem cultus. Quemadmodum, si in Sara et Agar considero duo Testamenta, abstraho quidem duorum Testamentorum ideam, sed non excludo substantiam ipsam illarum mulierum, esto ipsas non ut tales considerem, sed ut erant Testamentorum figurativae. . . . Tandem notandum, quod a Commonitore inepte dicatur *Cor carnis sub symbolo latere;* non enim Cor carnis sub symbolo latere dicitur, sed ipsum Cor carnis symbolum esse, sub quo latet repraesentatio caritatis Christi. Quare rectius

Digitized by Google

dicitur, sub Corde latere symbolum, quam sub symbolo latere Cor. Ita vero sumptum influit maxime in objectum cultus; nam quum ipsum per se sanctissimum sit, ut caetera Christi membra hypostatice Verbo unita peculiarem hanc habet in hoc Festo rationem, quod in eo *ad modum Mysterii* (Guyetiano loquendi more, de quo in I. p. c. 7. satis dictum) symbolum [1]) veneremur caritatis Christi."

Quoniam vero maxime in eas imagines invehitur Blasius, quae nudum Cor physicum repraesentant atque ita, ut ipse ait, contra rei veritatem partem a toto sectam atque divulsam exhibendo Christi corpus in partes dividunt, [2]) operae pretium putamus pauca ex iis referre, quibus objectam divulsi Christi criminationem Tetamus repellit c. 6 ejusdem lib. II.

---

[1]) Quum nullus absque ulla causa sit cultus, quam causam *formam* seu *motivum cultus* appellant Theologi, atque ita peculiari huic publico SS. Cordis cultui seu festivitati oporteat peculiarem attribui formam, hanc docent esse rationem Symboli, quae in eodem Corde consideratur. Unde aliqui cum Tetamo (Append. I, c. 6.) dicunt, *Cor cum formalitate Symboli* esse objectum hujus cultus.

[2]) Legi de jactata hac fictae separationis criminatione potest Card. *Gerdil:* Animadversiones in Notas Felleri, quarum ipse summam brevi oratione ita proponit: „Quam enim volunt isti separationem intelligi? A divinitate? An a corporis integritate?" At profecto separatio a divinitate aut praecisio nulla intelligi potest eo in actu, quo Cor Jesu adoratur et quidem praecise adoratur, prout est divinitati unitum. Pugnat quippe exclusam intelligi personam Christi ab eo cultu, qui praesice ob ipsam personam ei unitam Cordi tribuitur.

Neque metuenda magis objecta separatio ab integritate corporis, quae illustri etiam exemplo refellitur specialis cultus, qui ex diuturna jam probataque iustitutione quinque plagis redemptoris defertur. Quid enim aliud est vulnus lateris (v. g.) quam ipsum

Digitized by Google

„Sed fortasse ipsa Cordis exhibitio in Cultus objectum usurpata separationem illam prae se ferre videbitur? At istud quo jure videbitur? Si ideo, quia *nudum Cor* in aliquibus imaginibus exprimitur, objiciam et ego imagines alias, aeque in cultus objectum exhibitas, ubi Cor ipsum toti Christo Domino unitum videre erit: ut propterea certissimo argumento deprehendas, colentium animum non erga Cor ferri, ut a corpore avulsum, sed ut unitum toti illi sanctissimae humanitati, consequenter et divinitati.

Nam picturae non secus ac voces ab hominum placito et institutione significationem suam sortiuntur. Ex quo fit, quod etsi pictura, in Dei Patris imaginem, hominem senem repraesentet, nemo tamen inde conjiciet, ab colentibus illam vere sumi Deum Patrem et credi tamquam hominem senem. Et vero in dijudicanda imaginum veritate hanc semper habuit Ecclesia nostra omni quidem signo communem, sed imaginibus peculiarem trutinam, ut non aliam illis significationem appingeret, quam quae fuerit fidelium intentione attributa. Ita cum olim quascumque Salvatoris Domini imagines impeterent iconoclastae eo argumento, quod eae humanitatem et non Verbi personam repraesentarent, ex quo sejunctae invicem apparerent,

---

latus vulneratum? Quod si probatur cultus, quo speciatim latus spectatur et recolitur, quin objiciatur separatio a reliquo corpore, cui cohaeret, cur non et probandus similis cultus, quo speciatim spectatur et colitur Cor in latere inclusum? Par in utroque ratio nempe cum ob hypostaticam unionem sive lateris, sive Cordis totus ipse Christus adoretur eo cultu, qui et lateri et Cordi tribuitur, nullus in eo separationi locus relinquitur neque a divinitate neque ab ipsamet humanitate (Exposit. compendiar. animadvers. in Felleri Notam subjectam Proposit. 63 Bullae „Auctorem Fidei“: Oper. Card. Gerdil. editionis Florentiae an. 1849, tom. 6, pag. 268.)

Digitized by Google

atque ita in divinis quaternitas induci videretur, concilii Nicaeni II. Patres sanctissimi ad unam fidelium intentionem provocabant, a quorum recte institutis mentibus humanitatis Jesu a divinitate sejungendae suspicio quam longissime aberat: *Porro* (ajebant) *purum hominem illos conjicere Salvatorem Christum, et separare illum a divinitate, sicque quaternitatem inducere per picturam, quis putas non derideat, et risum latum super eorum insipientia non diffundat, imo vero blasphemiam lugeat?* Vides ut eos, qui hujusmodi divisiones in pictura fundatas objiciunt, ridendos, insipientes, lugendos, blasphemos etiam putarint Patres illi sapientissimi. Sed audiamus illorum errorem confutantes: *Catholica Ecclesia etsi pingit Cristum in humana forma, sed non separat hanc ex unita divinitate, deificatam potius credit, et unam cum Deo hanc confitetur secundum Magnum Gregorium et veritatem: Non sicut ipsi indocte et inerudite barbarizantes dixerunt, sine Deo ex hoc carnem Domini confici. Sicut enim quis hominem depingens sine anima non facit hominem, sed ille cum anima permanet et imago ejus dicitur, eo quod similis ei appareat: ita et nos imaginem Domini facientes deificatam carnem Domini confitemur et nihil imaginem aliud scimus, quam imaginem indicantem principalis imitationem. Hinc et nomen ejus sortita est et secundum id tantum ei communicat, et ideo venerabilis est et sancta. Ergo laborantes in vanum colligunt manibus sterilitatem et recipiunt a veritate anathema, quo non carebunt dicentes ejusmodi.* Act. VI.

Eadem plane, ne mutato quidem verbulo, respondemus iis, qui ex repraesentatione praecisa Cordis Jesu ejus a toto separationem objectare praesumerent. Cultores Jesu, qui orthodoxae Ecclesiae filii sunt, etsi pingant Cor Jesu in forma veri Cordis, non illud separant neque a divini-

tate neque a reliquo corpore. Unitum autem potius credunt Cor toti corpori et deificatum ipsa Verbi deitate, non sicut Commonitor Anticardiacus dixit indocte et inerudite barbarizando, ex tali pictura Cor confici sine reliquo corpore.

Scio ad ineluctabilem hanc paritatem elidendam ex iis, quae alicubi (ep. 21.) docet, cavillari Commonitorem posse ajendo, aliud esse de divinitate, quam pictura repraesentare non potest, unita corpori Salvatoris, aliud esse de corpore ipso, quod potest totum unitum Cordi repraesentari. Sed haec inutilis est et a re prorsus aliena disparitas; hic enim non quaerimus, utrum divinitas et corpus repraesentabilia sint pictura, nec ne; sed tantum, utrum pictura non repraesentans illa, falsa sit. Jam si falsitas desumenda est ex ipsa intrinseca conformitate imaginis cum suo prototypo, utrobique dicenda esset falsa pictura; si vero falsitas non desumenda est ex ipsa imagine, sed ab intellectu in ipsam reflectente, tunc utrobique recta et vera erit imago, cum circa utramque rectus sit intellectus intuentium. Praeterea si pictura humanitatis idcirco non separat humanitatem a divinitate, quia intellectus orthodoxa fide imbutus scit, illam non esse separandam, esto cum humanitate non sit repraesentata, cum irrepraesentabilis sit, etiam quando videt Cor Jesu praecisum, illud a corpore non separabit, quia scit sana fide, non esse separandum, quamvis non sit cum toto corpore repraesentatum.

Sed evidentioribus et prope rudissimis aliis exemplis agamus. En tibi, proferam sacrum Seraphici Ordinis stemma. Quid in illo vides? Gemina decussata brachia crucem sustinentia. Cujusnam vero membra illa sunt? Alterum Domini Jesu, sancti Francisci alterum. Sinas porro ut inclamem, quid tantum scelus? Numquid Christus

divisus est? Et quidem corpus Christi tale est, ut depingi totum possit; ergo qui brachium solum depinxit, ipse divisit. Timeo enimvero, ne isthaec blateranti os contundat frater ille Juniperus, qui tam pium ordinis sui stemma Commonitoris nostri ratiociniis impetitum vindicandum suscepit, et in caput meum tabulam aliquam stemmate illo insignitam abjiciens, quae vere in me unita sunt, dividat, veraque divisione poenas luam falsissimae et insulsissimae divisionis objectae. Ut rem prosequamur, cum quisque novit indivisum corpus Jesu et s. Francisci, novitque etiam finem stemmatis, denotandi videlicet arctam s. Francisci cum Christo conjunctionem, idcirco brachia illa esto seorsim a corporibus depicta sufficienti indicio sunt, ut adhaesionis recordemur, quam s. Franciscus integro corpore et spiritu cum item integro Christo Domino servavit, illius crucem et mortificationem in suo corpore circumferendo. Neque absimilis est pingendi Cordis Jesu seorsim a toto corpore ratio; quin scilicet, illo viso, commonentur sufficienter fideles mysterii illius caritatis divinae, quod in Corde ipso toti humanitati et divinitati unito venerantur.

Sed etiamsi istud adversario nostro largiremur, Cordis picturam seorsim factam, separationis suae a toto corpore ideam ingerere; non inde vero similior fieret hujusce separationis opinio, ut propterea in criminationem adduci queat. Quid enim si hanc separationis ideam sano statim intellectu corrigimus? Quot sunt in Ecclesiae usu sanctae imagines, quarum falsas ideas, certissime sensibus ingestas, fidelium intellectus sana fide dirigit et ad veras reducit? Angelorum atque ipsius Dei Patris imagines, ut jam pingi solent, quis neget, corporearum substantiarum ideam sensibus ingerere? Perge porro, inclama, istarum imaginum cultum abrogandum esse, quod enim tales figurae Angelorum corporeorum et Dei etiam corporei ingerant;

speciem tam notum est, quam quod notissimum. Zelo isto succensus, *obito* (dicam tibi cum Gregorio scribente ad Leonem Isauricum ep. I.) *scholas eorum, qui elementis imbuuntur et dic: ego sum eversor et persecutor imaginum; et confestim tabellas suas in caput projicient, quodque a sapientibus minime doceri potuisti, ab insipientibus edocebere.* Ipsae quippe te ridebunt aniculae ajentes: christianis Dei et Angelorum incorpoream naturam tam etiam notam esse, quam quod notissimum; notissimumque etiam esse finem, cur tales picturae efficiantur: scilicet ut, quae de Deo et Angelis sana fide credimus, illarum ope recordemur.

Fortasse inquies, fideles rite Scripturis sacris instructos esse, ne ex talium picturarum visione in errorem abducantur. Similemque responsionem adhibebimus nos: cum inter christifideles nemo sit, qui putet, Christum aliquando fuisse evisceratum aut in membra concisum; neminem etiam fore, qui visa Cordis imagine ad illius separationem a corpore significandam traducere velit. Cur quaeso, ajemus et nos cum Bellarmino, eadem Scriptura impedire non poterit errorem picturae? Et idiotae, qui vident picturas et non possunt legere Scripturas, possunt ac debent a praelatis et concionatoribus instrui, ut concilium Tridentinum monet sess. 25. Bellarm. de imag. ss. l. 2, c. 8. Quamquam de Dei quidem et Angelorum natura non importunum fortasse putaverimus, ut idiotae orthodoxi instruantur, at quod Christi corpus nunquam fuerit discissum quodque ejus Cor non ad scissionem significandam repræsentetur, nemo erit tam ignarus, qui ignoret. Quod si ajente s. Joanne Damasceno: orat. 2. de imag. *Ubi de imaginibus agitur, veritas quaerenda est, scopusque eorum, qui eas faciunt*, cum jam certo certius constet, scopum colentium imagines Ss. Cordis non esse, ut ado-

Digitized by Google

retur Cor separatum a corpore, sed ut in ipso Corde tamquam corpori et divinitati Jesu unito recordemur mysterii divini amoris, absistat Commonitor ridiculas illas separationis ideas sensibus impressas objicere. Talia lanionum sunt atque scurrarum, non philosophorum theologorumque propria." Et haec quidem de veritate imaginum SS. Cordis Jesu.

B. De immodestiae criminatione contra imagines SS. Cordis allata.

Blasii orationem de immodestia imaginum SS. Cordis multis redarguit et convincit Tetamus l. c., e quibus haec tantum eruimus: „Postulamus, inquit post alia c. 45, ut qui de immodestia jam agis, tamquam homo apud homines de ea loquaris; proinde in animum tibi inducas, de ea re tibi sermonem esse, cujus veritas non tam a ratione, quam a sensu ipso, quibuslibet hominibus natura indito, repetenda sit. Id ubi fixum habeas, te compellamus, ut hominem proferas, imo etiam inter quaslibet pudicas virgines pudicissimam, cui unquam ex visa illa Salvatoris imagine Cor suum exhibentis, ullus ut levissimus verecundiae sensus injectus sit. Hanc si deprehenderis, nosipsos habebis vehementissime de ea proscribenda conclamantes. Cum vero ex communi sensu pietatis potius et amoris divini motum quemdam excitari constet, magis quam tibi Joanni Chrysostomo adhaerebimus apud Damascenum orat. 3. ajenti: *Ego picturae quoque et effigie delector, modo pietatem praeseferat.* Quamobrem cum tali imagine illa eadem pia et delectabilis Cordis Christi meditatio promoveatur, ut meditatione delectandum, ita et pictura censebimus."

Quod idem argumentum longius prosequendo c. 46 Blasium ita redarguit:

Digitized by Google

„*Quando aliquem tracturi sunt nequam sermonem subversorem Catholicae Ecclesiae, assumunt aliqua, quae omnes profitentur, ut per sensum bonum, qui in his esse cernitur, nec de reliquis incredibiles judicentur; pauca quaedam bene pronuntiantes et quodam modo paleis margaritas immiscentes atque ad proprium vomitum repedantes.* Hunc notabant in antiquis illis sacrarum imaginum inimicis fraudulentum morem Nicaeni Patres; hunc in novo isto imaginum SS. Cordis impugnatore videre mihi videor. Quid nisi vera sint, quae hic vitanda in efformandis imaginibus immodestia docet? Sed quum illa ad SS. Cordis imagines transferre contendit, procul dubio *paucis bene pronuntiatis ad proprium vomitum repedare convincitur.* Nam ut de isto immodestiae periculo in praesenti causa judicemus, res eo tandem deducitur, ut, an quidquam in illis aut pateat aut lateat impudicum, videatur. Haec autem rursus quaestio ex eo pendet, ut *Cordis* seu *aspectus* seu *vox* ipsa quidquam praeseferat natura sua immodestum? Istud autem quis affirmare audeat, quum a D. Thoma *Opuscul. de dilect. Dei c. 19.* tam enixe Cordis tum naturam tum vocem ad praeceptum diligendi Dei congrue susceptam commendatamque audiat? Praeterea praeceptum est Apostoli, ut *nihil immundum nominetur in nobis; Cor* ergo *immundum quid* esse censebitur, cujus applicationem ipsi Deo tam saepe in scripturis divinis legimus factam; et quidem animadvertente ipso Blasio [1]) *ducta similitudine ex intestino musculo humani cordis, ab ipso scilicet hominis corde ejusque officiis.*

Sed istam ipsam cordis in significando immodestiam, quo animo adversum nos urgere poterit adversarius; qui

[1]) In nota ad c. 41.

supra (c. 45.) in id magis se proclivem dedit, ut imago permittatur Cordis symbolici, ea ratione, *quod amor tam sacer, quam profanus non hominum modo, sed et scripturarum usu designari solet sub schemate cordis?* Haec ergo periculo vacat Cordis imago, sub qua, ut symbolica est, aequivoca latere potest amoris profani significatio; nostra vero quae, quum ad verum Jesu Cor referatur, non alium nisi divinum ejus amorem commemorare poterit, immodestiae periculum praeseferre censebitur? . . . . Sed aliquid de margaritis dicendum, quas paleis vomituque confundis. . . . . Ad tollendam SS. Cordis imaginum opinionem illud promoves Doctoris Gentium I. Cor. 2. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Si haec Pauli verba probant tollendas imagines Cordis Jesu; quid non in eodem Doctore Gentium, una excepta imagine Crucifixi, suam haeresim fundatam glorienter Iconoclastae? . . . . Margaritas vomitu misces, quum Tridentini sanctionem ad hunc locum detorques. Monet enimvero Tridentinum *omnis lascivia vitetur. . . . . Nihil profanum, . . . nihil inhonestum appareat. . . . Ex imaginis inspectione pietas excitetur, nulla vero turpis cogitationis detur occasio.* Sed quid lascivum? Quid profanum? Quid inhonestum in SS. Cordis imagine? Quis turpem inde patiatur occasionem? Quoniam quis non inde pietatem, sicuti a meditatione ipsa, excitari sibi sentiat?"

§. IV.
Imagines SS. Cordis a S. R. C. non improbatae.

Sacra Rituum Congregatio *intelligens hoc festo symbolice renovari memoriam illius divini Amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus*

Digitized by Google

obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis Corde, precibus Postulatorum annuendum censuit. Non igitur qualiscunque divini Amoris Symbolum nobis hic exhibetur, [1]) sed talis amoris, quo Unigenitus Dei Filius Homo fieri dignatus est, easque sibi proprias virtutes facere ad hominum institutionem, quae hominum sunt propriae: obedientiam et humilitatem ad mortem usque. Hunc amorem in Corde Jesu latentem, sed tam miris ac magnificis argumentis se prodentem, depicta imagine, repraesentari posse, veneranda est traditio in Ecclesia recepta, adhibitis maxime amoris et doloris symbolis spinarum, crucis, vulneris atque erumpentium undique flammarum, ut fideles scilicet, juxta ss. canonum praescripta, *per picturae historiam quid sit adorandum addiscant, et ignorantes videant, quid sequi debeant.* [2]) Signa haec, veluti *animus Symboli,* [3]) palam faciunt, rationem formalem cultus publici [4]) ac festi SS. Cordis Jesu praecipue ex eo petendam esse, quod adorandum Cor Dei-Hominis symbolum sit caritatis Christi.

Quum tamen adhuc essent qui timerent, ne imagines illae, in quibus nudum Cor praedictis insignibus instructum exhibetur, objectam a Blasio separationem Cordis a corpore

---

[1]) Verissime dici, per Decretum S. R. C. Symbolum indifferenter in Corde Jesu Sacratissimo adstrui tum creatae tum increatae caritatis, a Tetamo probatum vide contra Christotimum Ameristam Append. I, part. I, c. 1.

[2]) C. *Perlatum* Dist. 4.

[3]) In quolibet Symbolo dato duo distingui solent, *animus* et *corpus*. Per *animum Symboli* sententiam uno, altero vel certe paucis comprehensam verbis intelligunt; nomine *corporis* Symbolum ipsum designant.

[4]) Conferais quae diximus supra p. 76. Praemonit. I.

Digitized by Google

praeseferrent, Sacra Rituum Congregatio ex proposito dubio nacta occasionem satis clare significavit, seclusis peculiaribus rerum adjunctis ejusmodi imagines pingi ac venerationi Fidelium exponi posse. Congregationis Rescriptum hoc est:

Libellus ab Oratore oblatus.

Utrum liceat exponere in Ecclesiis imaginem Cordis septi corona spinea cum cruce superposita ad designandum Cor D. N. J. C., absque eo, quod persona D. N. alio modo repraesentetur; vel etiam eodem modo effigies duorum cordium juxtapositorum ad exprimenda Corda D. N. J. C. et B. M. V.?

Disputatio Secretarii.

Resp. Ad varios tollendos abusus, qui circa sacras imagines in Ecclesiis aliisque locis collocandas D. N. J. C., Bmae. Virginis Mariae, Angelorum et aliorum Sanctorum, sive sculptas, sive depictas, sive quomodolibet efformatas, praecipue quoad earum habitum et formam, multa saluberrime a Sacrosancta Synodo Tridentina statuuntur. Ex iis non modo prohibentur imagines aliquid profani vel, quod deterius esset, inhonesti oculis fidelium exhibentes, sed et illae, quae quidquam in catholica et apostolica Ecclesia ab antiquis temporibus inusitatum, inordinatum insolitumque praeseferrent. Hinc statuit Sancta Synodus, nemini unquam licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta *ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.*

Sacrae Synodi vestigiis inhærens Summus Pontifex Urbanus VIII. Lit. Apostol. „*Sacrosancta*“ datis in forma Brevis sub die 15. Martii 1642 ad eosdem abusus, qui ex prae-

Digitized by Google

dicti Decreti inobservantia proveniebant, eliminandos incumbit, iterumque, iisdem fere verbis, confirmat ac praecipit, ut imagines, quae oculis fidelium subjiciuntur, nec inordinatae nec insolitae appareant, mandans, inter alios, quibuscunque locorum Ordinariis, ut praedicta inviolabiliter et exacte observent.

Jam vero an quid novum, an quid inusitatum et in Ecclesia catholica et apostolica ab antiquis temporibus insolitum praeseferant imagines, de quibus in dubio, et an cultui et venerationi exponi possint, dignoscendum est ab Episcopo, tamquam in hoc a Sede Apostolica specialiter deputato; ac proinde eas imagines exponi non posse in Ecclesiis sine Ordinarii licentia ex dictis patere arbitror; hinc respondendum puto: „*Ad Episcopum, servata forma decretorum Concilii Tridentini et Urbani VIII.*"

Rescriptum S. Congregationis Rituum.

In ordinariis Comitiis diei 12. Septembris 1857 Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis ritibus praepositi rescripserunt:

ad 5. *Ad Episcopum, servata forma decretorum Concilii Tridentini et Urbani VIII.* [1])

---

[1]) Analect. J. P. an. 1858, pag. 355.

CAPUT III.

MATERIAE PETITORIAE.

„*Nec prius Sedes Apostolica moveri solet, quam Reges, Principes et aliae Personae honestae et authenticae instanter supplicaverint Summo Pontifici,*“ (Benedict. PP. XIV. lib. II. de Canoniz. c. 36, n. 7.) „*Causae autem hujusmodi Concessionis* — Missae et Officii — *desumuntur a pio populorum affectu una cum instantiis Regum aut Principum, et petitionibus Episcoporum, pro quorum dioecesibus fit Concessio Officii et Missae.*“ (Idem Bened. l. c. lib. IV. c. 6, n. 2.) „*Supplicandum Sanctissimo Domino continuatis vicibus, ac pluries instanter; . . . . non statim conceditur, sed expectatur, quod diu pulsetur, et perdurent supplicantium instantiae, praesertim spontaneae.*“ (L. c. lib. II. c. 36, n. 8.) Hunc perpetuum usum servantes Episcopi Poloni supplicationes et petitiones pro concessione Officii et Missae SS. Cordis factas diligenter collegerunt atque in *Positione Concessionis* typis imprimendas curarunt an. 1675. Ex ea catalogum libellorum supplicum dedisse ac nonnullas e principalioribus petitionibus integras exhibuisse satis sit.

Digitized by Google

Catalogus Episcoporum, Capitulorum aliarumque authenticarum [1] *Personarum, quae in praesenti Sedi Apostolicae supplicant pro concessione dicti Officii et Missae SS. Cordis Jesu in eorum respective literis aut supplicibus libellis, in quibus amplissime testantur de universali propagatione ejusdem cultus ac venerationis.*

A. Ex Polonia.

1. Rmus. Archiep. Leopolien. Rit. Lat. die 13. Febr. 1764.
2. „ Ep. Vilnen. d. 6. Sept. 1762.
3. „ Ep. Plocen. d. 17. Oct. 1763.
4. „ Ep. Varmien. d. 19. Oct. 1763.
5. „ Ep. Chelmen. d. 20. Jan. 1764.
6. „ Ep. Camenecen. „ „ „
7. „ Ep. Culmen. „ „ „
8. „ Ep. Kioven. et Cerniechovien. d. 20. Jan. 1764.

B. Ex Catholicis Hispaniarum Regnis.

9. Emus. et Rmus. D. Card. de Solis Archiep. Hispalen. d. 16. Maj. 1764.
10. Rmus. Archiep. Granaten. d. 15. Oct. 1763.
11. „ Archiep. Valentin. d. 25. Oct. 1763.
11. „ Archiep. Tarracon. d. 12. Jan. 1764.

---

[1] Nomine ***Personarum authenticarum*** comprehenduntur ex laicis regnorum, provinciarum et civitatum Proreges, Praesides et Gubernatores necnon consilia civitatum; ex clericis vero sive ecclesiasticis Cardinales S. R. E., Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Capitula cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum, Academiae Ecclesiasticae, Dignitates, coetus Regularium eorumque Superiores generales. (V. ***Benedict. PP. XIV.:*** lib. II. de Canoniz. SS. c. 36, n. 7.)

Digitized by Google

13. Rmus. Ep. Guadicen. d. 1. Oct. 1763.
14. „ Ep. Giennen. d. 11. Oct. „
15. „ Ep. Pacen. d. 15. Oct. „
16. „ Ep. Oscen. d. 21. Oct. „
17. „ Ep. Gadicen. d. 28. Nov. „
18. „ Ep. Caurien. d. 1. Dec. „
19. „ Ep. Barcinonen. d. 28. Dec. 1763.
20. „ Ep. et Capit. s. Mariae Albarracinen. in Arragonia d. 13. Jan. 1764.
21. „ Ep. Turolen. d. 21. Jan. 1764.
22. „ Ep. Illerden. in Catalaunia nova d. 21. Febr. 1764.
23. „ Ep. Urgellen. in „ „ 11. Febr. „
24. „ Ep. Placentin. d. 27. Mart. 1764.
25. „ Ep. Corduben. d. 30. April. „
26. „ Ep. Conchen. d. 13. Sept. „
27. „ Ep. Malacitan. d. 18. Sept. „
28. „ Ep. Dertusan. vulgo Tortosa d. 18. Sept. 1764.
29. Capitulum Eccles. Toletanae Hispaniarum Primatis d. 28. Mart. 1764.
30. Capitulum Eccles. Metropolit. Granaten. d. 18. Oct. 1763.
31. Decanus et Capit. Eccl. Cathedral. Accitanae (Guadix) in Regno Granatensi d. 18. Oct. 1763.
32. Capit. Eccles. Cathedral. Carthaginen. d. 28. Oct. 1763.
33. Capit. et Decan. Eccl. Cathedral. Giennen. d. 1. Nov. „
34. Capit. Eccl. Placentin. d. 4. Dec. 1763.
35. Capit. Eccl. Cathedral. Gadicen. d. 13. Dec. 1763.
36. Decan. et Cap. Eccl. Cathedral. Pacen. d. 20. Dec. 1763.
37. Capit. Eccl. Cathedral. Turolen. d. 17. Jan. 1764.
38. Praesidens et Capit. Eccl. Cath. Caurien. d. 20. Jan. 1764.
39. Capit. Eccles. Cath. Corduben. d. 12. April. 1764.
40. Decan. et Capit. Eccles. Cath. Conchen. d. 4. Jun. 1764.

Digitized by Google

C. Ex America.

41. Rmus. Archiep. Platensis in Peruvii Regno Indiarum Occidentalium d. 12. August. 1753.
42. „ Archiep. Limanus d. 25. Oct. „
43. „ Archiep. Urbis Sanctae Fidei novi Granatensis Regni d. 2. Sept. 1754.
44. „ Guamangen. in Peruano Regno d. 19. Nov. 1753.
45. „ Ep. Popayanen. Quitensis Regni d. 22. Nov. 1753.
46. „ Ep. Truxillen. d. 28. Jan. 1754.
47. „ Ep. Pacen. in America d. 22. April. 1754.
48. „ Ep. Fucillman. d. 7. Mart. 1754.
49. „ Ep. Bonaeren. in Regno Peruano 13. Aug. 1754.
50. Capit. Eccl. Metropolit. Platen. in Regno Peruano d. 12. Aug. 1753.
51. Capit. Eccl. Cathedral. Arequipen. d. 20. Oct. 1753.
52. Capit. Popayanen. Quitensis Regni d. 19. Nov. 1753.
53. Capit. Eccl. Cathedr. Pacen. in Regno Peruano d. 23. Nov. 1753.
54. Capit. Eccl. Cathedr. Truxillen. d. 28. Jan. 1754.
55. Capit. S. Jacobi Chilen. Ind. Occid. Sede vacante d. 27. Mart. 1754.
56. Gubernator et Vicar. General. Dioeces. Pacen. d. 28. Jan. 1754.

D. Ex Germania.

57. Rmus. Ep. Eustadien. s. Eystetten. d. 25. Nov. 1764.
58. „ Ep. Eutensis (Eutin) ducatus vulgo Holstein d. 28. April. 1764.
59. „ Ep. Wratislavien. d. 28. April. 1764.
60. „ Praepositus et Princeps Elvacensis d. 18. Febr. 1764.
61. D. Comitissa ab Arco Praeposita Regii Parthenonis Halae d. 7. Jan. 1764.

Digitized by Google

62. Abbatissa suprema Monasterii S. Mariae Anglicanarum Monachii d. 6. Febr. 1764.
63. Moniales Ordinis S. Dominici in Altstatt Churiensis Dioeces. d. 6. Feb. 1764.
64. Rmus. Archiep. Caesareae, Nuntius Lucernae.

E. Ex Italia.

65. Emus. et Rmus. Card. Veronensis Ep. Patavin. d. 30. Nov. 1764.
66. Rmus. Patriarcha Venetiarum d. 20. Dec. 1764.
67. „ Archiep. Lucanus. d. 20. Dec. 1764.
68. R. D. Joan. Bapt. Alberici Peregrinus Antecessor Epi. Novocom. d. 30. Jun. 1764.
69. Rmus. Ep. J. Bapt. Mugiasca, Ep. Novocom.
70. „ Ep. Cremonen. d. 17. Jul. 1764.
71. „ Ep. Regii Lepidi d. 28. Oct. 1764.
72. „ Ep Savonen. d. 8. Nov. 1764.
73. „ Ep. Viglevanen. d. 12. Nov. 1764.
74. „ Ep. Lunen. Sarzanen. d. 23. Dec. 1764.
75. „ Ep. Cremen. d. 26. Dec. 1764.
76. „ Ep. Adrien. d. 28. Dec. „
77. „ Ep. Torcellen. d. 29. Dec. „
78. „ Ep. Clodiae Fossae vulgo Chioggia, qui etiam testatur de Altari in dicta civitate dicata SS. Cordi Jesu.
79. Abbatissa et Moniales Mon. S. Catharinae Venetiarum.

Ex ditione Pontificia ad idem tempus (1763—1765) spectant.

80. Emus. et Rmus. Card. Oddi, Ep. Viterbien.
81. Rmus. Archiep. Firman.
82. „ Archiep. Ravennaten.
83. „ Archiep. Urbin.
84. „ Archiep. Beneventan.

Digitized by Google

85. Rmus. Ep. Interamnen.
86. „ Ep. Perusin.
87. „ Ep. Comaclen.
88. „ Ep. Civitatis Plebis.
89. „ Ep. Amerin.
90. „ Ep. Imolen.
91. „ Ep. Nepesin. et Sutrin.
92. „ Ep. Civitatis Castelli.
93. „ Ep. Aquipenden.
94. „ Ep. Montis Falisci et Corneti.
95. „ Ep Eugubin.
96. „ Ep. Vleden. et Urbaniae.
97. „ Ep. Forolivien.
98. „ Ep. Brittinnovic.
99. „ Ep. Reatin.
100. „ Ep. Signin.
101. „ Ep. Ariminen.
102. „ Ep. Pisauren.
103. „ Ep. Balneoregien.
104. „ Ep. Caesenaten.
105. „ Ep. Fanen.
106. „ Ep. Faventin.
107. „ Ep. Fulginaten.
108. „ Ep. Recineten. et Lauretan.
109. „ Ep. Terracinae sive Auxuris.
110. „ Ep. Tiburtin.
111. „ Ep. Tudertin.
112. Archiconfraternitas sub titulo SS. Cordis Jesu Romae erecta;
113. Pater Generalis Congregationis Benedictinae Olivetanae;
114. P. General. Servorum Mariae;
115. P. General. Ord. Minorum S. Francisci;
116. P. General. III. Ordinis S. Francisci;

Digitized by Google

117. P. Procurator General. Carmelitarum Excalceatorum;
118. P. General. Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis;
119. P. Praepositus General. Cleric. Reg. Minorum.
120. P. Vicarius General. Cleric. Reg. S. Pauli (Barnabitarum);
121. P. Vicarius General. Congregationis Doctrinae Christianae in Italia;
122. P. Procurator General. Congreg. Somaschae;
123. P. Procurator General. Congreg. Cleric. Reg. Matris Dei.

F. Ex utraque Sicilia.

124. Rmus. Archiep. Tarentin. d. 25. Aug. 1764.
125. „ Archiep. Nazarenus d. „ „ „
126. „ Archiep. Lancianen. d. 14. Oct. „
127. „ Cassanen. d. 29. Sept. 1764.
128. „ Ep. Ostunen. d. 9. Oct. „
129. „ Ep. Oritan. d. 15. Oct. „
130. „ Ep. Alexanen. d. 6. Nov. „
131. „ Ep. S. Severi d. 15. Dec. 1764.
132. „ Ep. S. Agathae Gothorum, qui insuper libellum super devotione SS. C. J. typis edidit et ad SS. D. N. Clement. XIII. hac occasione transmisit. *eodem tempore.*
133. „ Ep. Civitatis ducalis. *eod. tempore.*
134. „ Ep. Gallipolitan. *eod. anno.*
135. „ Ep. Monopolitan. „ „
136. „ Ep. Ortonen. et Camplen. *eod. anno.*
137. „ Archiep. Panormitan. „ „
138. „ Ep. Catanen. „ „
139. „ Ep. Syracusan. „ „
140. „ Ep. Caephaloeden. „ „

Digitized by Google

G. Ex Hetruria (anno 1764.)

141. Rmus. Archiep. Florentin.
142. „ Ep. Aretin.
143. „ Ep. Burgi S. Sepulchri.
144. „ Ep. Cortonen.
145. „ Ep. Piscien.
146. „ Ep. Burgi S. Dominici.
147. „ Ep. Crassetan.
148. „ Ep. Samminiaten.
149. „ Ep. Montis Politiani.
150. „ Ep. Pistorien: et Praten. (d. 20. Nov. 1764.)

H. Ex partibus Orientis (eod. anno 1764.)

151. Rmus. Archiep. Edessae.
152. „ Archiep. Lampronen. Tarsoni;
153. „ Ep. Arsenoen.
154. „ Ep. de Ponte.
155. „ Abbas Congregat. s. Antonii Abbatis Nationis Armenae in Libano.

Selectae quaedam Epistolae Principum ex Positione Concessionis transcriptae.

I.

Epistola Sacrae Majestatis Reginae Franciae.

A Notre Très-Saint Père le Pape.

Très-Saint Père, Nous sollicitons depuis près de trois ans l' institution de la feste solemnelle du Sacré Coeur de Jésus et Nous étions sur le point de l' obtenir lorsque le décès du Pape Clément douze est arrivé.

Digitized by Google

Comme Nous désirions toujours avec ardeur de voir mettre la dernière main à cette oeuvre pieuse, Nous faisons Nos instances à Votre Sainteté et la supplions très humblement de vouloir bien, en aplanissant toutes les difficultés qui pourroient se rencontrer, Nous accorder personnellement cette grâce qui concourt à la plus grande gloire de Dieu, et Nous donnera une entière satisfaction. Nous profitons avec plaisir de cette occasion pour féliciter Votre Béatitude sur son avénement au Pontificat, Nous lui demandons de Notre coeur la Bénédiction Paternelle et Nous l' assurons de Notre respect filial envers Elle et le Saint Siége. Sur ce Nous prions Dieu qu' il Vous conserve, Très-Saint Père, longuement et heureusement au Régime et Gouvernement de l' Eglise.

Écrit à Fontainebleau
le 3 Octobre 1740. Votre dévote Fille
La Reine de France et Navarre.[1])

II.

Epistola Sacrae Majestatis Augusti III. Regis Poloniae.

Continuando le presenti dolorosissime urgenze a dilatarsi sempre più talmente, ch' elle sono divenute un evidente flagello, che si manifesta universalmente, aggravando estremamente ogni genere di persone tanto secolari, che nella Chiesa, nel temporale e nello spirituale, prendo ricorso in queste universali somme afflizioni al Santissimo Cuor di Gesù, e commoto, come penso da un' ispirazione superna, per placare la Maestà Divina, supplico la Santità

---

[1]) Benedictus PP. XIV anno 1748 muneri misit Galliarum Reginae imagines aliquot SS. Cordis Jesu serico et auro egregie intextas. Vid. *Ferd. Tetamum:* De vero cultu et festo SS. Cordis Jesu, Append. alt. in fin.

Digitized by Google

Vostra d' approvare questo mio divoto istinto, e di dar mano autoritativa a promuover in questo mio Regno di Polonia e Gran Ducato di Lituania la medesima divozione, che senza questo è già volgarmente introdotta in varie Congregazioni; si degni perciò la Santità Vostra confermare questo divoto mio istinto coll' ordinare generalmente l' Officio e la Messa del Santissimo Cuore di Gesù, per la feria sesta dopo l' ottava del Corpus Domini per tutto questo mio Regno di Polonia e Gran Ducato di Lituania; confido con somma fiducia, che la Misericordia di Dio possa piegarsi da così santo fervore a levar il giusto castigo, che in queste miserabili congiunture sovrasta sopra il genere umano. Mi comprometto questa grazia da Vostra Beatitudine, e con rispettoso filiale rassegno inchinato con i miei popoli alla S. Benedizione le bacio i Santissimi Piedi.

Varsavia li 21 Agosto 1762.

Di Vostra Santità

Obedientissimo Figlio

Augusto Re di Polonia.

III.

Epistola Sacrae Majestatis Stanislai I. Regis Poloniae, Ducis Lotharingiae.

Très-Saint Père,

La dévotion au Sacré Coeur de Jésus, qui depuis long-tems s' est repandue en plusieurs Dioecézes de France m' a fait remarquer avec joye les salutaires effets qu' elle y cause, et souhaiter bien des fois de la voir dans toute l' Eglise autorisée par le Saint Siége, à qui seul il appartient de régler la pieté des Fidèles, et de leur préscrire les moyens les plus propres d' avancer l' ouvrage de leur

sanctification. Ce que je désire du moins avec un empressement, que je ne puis mieux marquer, qu' en le disant égal à mon respect inviolable pour Votre Sainteté, c'est que la Pologne, et mes états de Lorraine puissent pratiquer cette dévotion envers notre divin Rédempteur, mais manîère, que la fête de son Sacré Coeur soit célébrée tous les ans et dans toutes les Eglises tant en Pologne, qu' en Lorraine, le vendredi d'après l'octave de la fête-Dieu, et qu' il y ait pour ce même jour une Messe et un Office propre, qui le rendant plus solemnel excitent d'avantage les chrétiens à le sanctifier par tous les témoignages possibles d' amour et de reconnaissance. J'ai toujours pensé, Très-saint Père, qu'il ne me suffisait pas de veiller à mon salut avec autant d' attention que de persévérance. Chargé de veiller à celui des peuples que la Providence a confiés à mes soins, je dois après l' édification des bons exemples leur inspirer la pieté, et les y exciter par les pratiques les plus saintes. En-est-il une plus propre à leur donner un tendre amour pour Jésus-Christ, que de proposer à leur adoration ce même Coeur, qui les a tant aimés?

J' éspère que Votre Sainteté ne refusera point à mes veux une grâce, qu'elle doit estimer elle même si utile à l' Eglise et que les Evêques de Pologne et tous mes sujets prosternés à ses pieds lui demandent avec moi. Je prie Dieu cependant, Très-saint Père, qu' il conserve longues années Votre Sainteté au régime de son Eglise, et lui demandant avec respect la Bénédiction Apostolique

Je suis

de Votre Sainteté

Le très-obéissant Fils

Écrit à Lunéville le 6 Février 1763.

Stanislas Roy.

Digitized by Google

IV.

Epistola Serenissimi Principis Clementis Francisci, Ducis Bavariae.

Beatissime Pater!

Tantus est ardor piarum mentium in colendo Sanctissimo Corde Jesu, ut amplius desideretur nihil, quam ut Sanctitas Vestra cultum hunc ad universam Ecclesiam extendere dignetur. Tam justis desideriis ad propagandam amabilissimi adorandique Cordis devotionem tendentibus et ego in eundem finem humillimas preces adjungo, simulque Sanctitati Vestrae toto cordis affectu felicissimum longaevumque Regimen precor ac una mihi Apostolicam Paternamque Benedictionem efflagito filiali reverentia.

Monachii 15. Febr. 1764.

Sanctitatis Vestrae
humillimus Servus et devotus Filius
Clemens Franciscus, Dux Bavariae.

Digitized by Google

CAPUT IV.
MATERIAE GRATIOSAE
seu
PRIVILEGIA QUOAD MISSAM, OFFICIUM DIEMQUE FESTUM SS. CORDIS JESU.

---

§. I.
Privilegia quoad Officium et Missam Congregationi SS. Cordis Jesu adscriptis concessa.

Felicis Recordationis Pius Papa VII. per Emum. suum in Urbe Vicarium Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Cardinalem de Somalia, benigne decrevit die 30. Januarii 1802 *potestatem quibuscumque tam de Clero Saeculari, quam Regulari, qui ad horas canonicas tenentur, Congregationi SS. Cordis Jesu S. Mariae ad Pineam dictae in Capella* (nunc S. Mariae de Pace) *adscribendis, dummodo si Choro inserviant aliter se gerere non debeant, recitandi quotannis in die tantum Festo ejusdem Sac. Cordis Jesu recentius Officium cum Missa in honorem ipsius Sacri Cordis jam die 21. Januarii 1778 pro Regnis Portugalliae et Algarbiorum approbat. ritu tamen dup. maj.*

§. II.
Privilegium de peculiari Festo concesso Sodalitatibus noviter aggregatis Congregationi SS. Cordis Jesu.

Idem Summus Pontifex per eamdem Sac. Rit. Congregationem die 15. Aprilis anni 1815 *indulsit, ut Sodalitates noviter aggregatae* Congregationi Cordis Jesu primum

Digitized by Google

erectae in Ecclesia S. Mariae ad Pineam nuncupatae in Capella, deinde ad Sanctam Mariam de Pace rite translatae, *accepto aggregationis Diplomate, pro una tantum vice possint peculiare Festum peragere de Sac. Corde Jesu in die ad libitum cum Missis tam lectis quam solemni, dummodo tamen non sit Dominica primae, vel secundae Classis, aut Octava privilegiata, aut Festum, vel Vigilia privilegiata.*

§. III.
Privilegium quoad Translationem diei Festi in honorem SS. Cordis Jesu celebrandi.

Coetus Presbyterorum Saecularium S. Pauli Apostoli in Urbe Summo Pontifici Pio Papae VII. humiliter significarunt, in multis templis justis de causis non eodem, quem Ecclesia constituit, die Festum SS. Cordis Jesu celebrari consuevisse, quapropter ab Eo suppliciter petiverunt, ut veniam daret, qua Missae SS. Cordis Jesu propriae eo die celebrari possent, quo Festum ageretur simulque concederet Indulgentiam Plenariam omnibus Christifidelibus, qui confessi, et sacra Communioni refecti, pias precationes in Templo, ubi Festum celebratur ad mentem Summi Pontificis D. O. M. fuderint, quibus postulationibus Sanctitas Sua ita satisfecit: *Ex Audientia SSmi. Die 7. Julii 1815. SSmus. benigne annuit pro gratia in omnibus et in perpetuum: de licentia tamen Ordinariorum respective locorum quoad translationem diei Festi contrariis non obstantibus. P. F. Cardin. Galeffi.*

Digitized by Google

CAPUT V.

MATERIAE ASCETICAE

seu

VARIA PIETATIS EXERCITIA AD CULTUM SS. CORDIS PERTINENTIA.

(Sistentur infra in parte ascetica operis.)

CAPUT VI.

MATERIAE LITERARIAE.

(Indicem auctorum, qui cultum festumque SS. Cordis Jesu illustrarunt, ad *ἐσχατοκόλλιον* libri rejicimus.)



Digitized by Google

PARS II.

DE FESTO
PURISSIMI CORDIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Digitized by Google

Laetabunda
Canant pie
Cuncta corda
Cor Mariae:
Cor amandum
Omni corde,
Cor laudandum
Omni mente.

(**Eudes:** Sequent. Missae SS. Cordis B. M. V.)

Digitized by Google

PRAEMONITUM.

Ut nostrae disputationis perspicuitas ac fides appareat, eandem viam in expendendis rationibus festi purissimi Cordis Mariae inibimus, quam in declarando festo Sacratissimi Cordis Jesu tenuimus. Primo quidem auctoribus haud incertis *historice* prosequemur quae ad festum purissimi Cordis Mariae spectant; deinde ex actis authenticis exquiremus, quodnam proprium sit cultus ac festi *objectum*, atque ad ultimum nominatim dicemus, quorumnam *auctoritate* ac *testimonio* potissimum usi apud Sedem Apostolicam sint causae Postulatores, idque ipsum brevitatis ergo ita praestabimus, ut quae ex tribus hisce capitibus ad unum tempus pertinent, simul simus exhibituri.

CAPUT I.

ACTA SUB CLEMENTE PP. IX. AN. MDCLXIX.

Saeculo XVII. fere mediante apud Sacram Rituum Congregationem agi coeptum est *de festo purissimi Cordis Mariae*, adnitente imprimis viro piissimo *Joanne Eudes*, congregationis Sacerdotum, a quo et illi nomen trahunt, zelosissimo fundatore. Natus anno 1601 Pater Eudes Congregationi Patrum Oratorii sese adjunxit an. 1623, ac tertio post anno sacris initiatus totum sese Apostolicis laboribus dicavit. Quum autem ad missiones cum amplo

Digitized by Google

animarum proventu obeundas nil magis quam Seminaria, in quibus juvenes Sacerdotes in dignos Ecclesiae pastores ac operarios efformarentur, conducere agnosceret, relicto Oratorii instituto in Cadomensi Urbe (Caen) octo presbyteros, evangelico spiritu animatos sibi aggregavit obtentisque Regiis literis prima Congregationis suae fundamenta jecit die 26. Martii an. 1643. Fuit Joannes Eudes et suis et externis non doctrinae dumtaxat, sed virtutis etiam gratia apprime carus et in pretio habitus: vere pauperum pater, calamitosorum perfugium et commune dubitantibus oraculum. Pie admodum consenuit atque in Cadomensi domo obiit die 19. Augusti anno salutis 1680, aetatis 79. Plura scripsit, e quibus prae caeteris commemoratione dignus est liber de cultu et officio Cordis Mariae, cui titulus: „*Le coeur admirable de la très-sacrée Mère de Dieu, ou la Dévotion au très-saint coeur de la bienheureuse Vierge Marie.*" Praeclarum est opus et spissum in 12 libros divisum, in quo quidquid a sanctis Patribus et Ecclesiae Doctoribus in laudem Virginis scriptum est, eruditione incomparabili collectum ac certa methodo luculenter expositum invenitur. [1]) Ad nostram materiam praecipue spectant lib. I, qui *de objecto devotionis Cordis B. V. M.* agit, necnon ll. VII et VIII, quibus auctoritates huic devotioni faventes exhibentur.

Cum Patre Eudes et alii complures erant, in Gallia praesertim, qui purissimum Cor Mariae colebant veneratione praecipua quique sanctissimum hunc cultum et privatim et publice innumeris hominibus persuadebant eo plane successu, ut ipso Joanne Eudes adhuc vivo et Sodalitates sub titulo *Cordis Mariae* instituerentur et festum ejus solemni pompa celebraretur, cujus rei testes locupletes

[1]) Typis Cadomensibus uno volumine prodiit an. 1681.

in Actis habemus. Ex iis in praesenti laudasse sufficiat Episcopum Constantiensem [1]) in Normannia, qui confraternitatem vi Bullae Clementis PP. X. [2]) erectam auctoritate sua confirmasse legitur edito hoc decreto:

„*Carolus Franciscus de Lomenie de Brienne, Episcopus Constantiensis.* Quum acceperimus, Presbyteros Seminarii nostri impetrasse a felicis recordationis Clemente X. Summo Pontifice Bullam Apostolicam pro instituenda pia societate personarum utriusque sexus in templo dicti Seminarii sub invocatione *Sacri Cordis Jesu et Mariae,* in cujus cultum sodales fidem suam obligabunt ad bona opera, quae ad gloriam Dei et salutem animarum spectare possunt: lecta et inspecta Bulla hujusmodi, quam reperimus auctoritate firma comprobatam et indulgentiis et benedictionibus plenam, sodalitatem Nos ipsi instituimus sub invocatione *Sacri Cordis Jesu et Mariae.* Statuta illius approbavimus, et voluimus, ut Seminarii Presbyteris liceret in memoratam sodalitatem cooptare quoscunque dignos existimabunt. Et quibus diebus celebrari solet festum *Sacri Cordis Jesu et Mariae* hoc festum cum Octava agere. Voluimus autem in sodalium numerum ipsi ante omnes ac primo loco aggregari: omnesque et singulos hortati sumus, ut pari beneficio gauderent, et Sacro illi Cordi eum cultum redderent, quem ejus dignitas et excellentia postulant. — Datum Constantiis castris, in palatio Nostro Episcopali, die 25. Januarii 1688.“

Carolus Franciscus, Eppus. Constantiensis.

Ardentis Gallorum studii in SS. Cor Deiparae testes accedunt quamplurimi Galliarum Archiepiscopi et Episcopi, qui opus Joannis Eudes summopere laudarunt ac festum

[1]) Coutances.

[2]) † 22. Jul. 1676.

SS. Cordis Mariae in suis Dioecesibus solemniter celebrari jusserunt; et ex quibus ipse auctor testimonia quindecim doctissimorum Praesulum in forma extensa producit lib. VIII, c. 2. Ut insignis haec inclyti cleri Gallicani pietatis documenta veluti in illustri posita monumento intueatur devotus SS. Cordis Mariae cultor, unius Episcopi Suessionensis testimonium proferimus, quod extat l. c. n. 4.

„Simon, Dei gratia Episcopus Suessionensis, universis notum facimus, quod vidimus ac diligenter atque attente perlegimus, necnon corde magno et animo volenti approbavimus librum, cui titulus est: *La dévotion au très-saint Coeur de la bienheureuse Vierge Marie*. . . . Non solum enim nihil in ipso comperimus, quod sanae fidei aut bonis moribus adversetur, sed omnia sancta et ex sacris scripturis ac sanctorum Patrum scriptis collecta maximeque ad devotionem sanctissimi Cordis beatissimae Dei genitricis Virginis Mariae conducentia, cujus festum ut in coelis assidua celebritate colunt angeli, sic in terris numquam satis magna veneratione celebrare possunt Christiani: tum per innumera, quae per ipsam Virginem a Deo accepimus et continuo accipimus beneficia; tum praecipue propter eminentissimam et quodammodo infinitam hujus sacratissimae Dei Matris dignitatem, qua fit, ut quidquid in ea reperitur, aeternas laudes hominum et angelorum et perpetuas triumphantis ac militantis Ecclesiae solemnitates rite mereatur; maxime vero *amantissimum Cor* ipsius, omnis virtutis ac sanctitatis ejus principium. . . . Quapropter hujus libri approbationi libentissime subscripsimus, hortamurque omnes quos spectat cura nostra pastoralis, ut hanc valde laudabilem atque utilem erga sanctissimum Cor Virginis Matris devotionem totis visceribus amplectantur, quatenus ipsa mediante secundum Cor filii ejus efficiantur,

Digitized by Google

et nomina sua in coelis scripta esse gaudeant. — Datum Farae in Tardano anno salutis 1648, die vero Julii 26."

Simon Episcopus Suessionensis.

Verum non in Galliis solum, sed et in aliis partibus erant, qui fideles ad cultum purissimi Cordis Deiparae formarent assidue, ut adeo quum venerabilis clerus Gallicanus pro obtinenda approbatione Missae atque Officii Cordis Mariae Summum Pontificem supplex adiret anno 1669, ejus precibus undique accederetur.

Quae a Postulatoribus causae allata apud Sacram Rituum Congregationem sunt, ea in unum coacervata et pluribus amplificata legimus tum in memorato opere Joannis Eudes *de devotione ergo SS. Cor Beatissimae Virginis Mariae,* tum in libro Patris Pinamonti, cui titulus: *Il sacro Cuore di Maria Vergine,* h. e., *Sacrum Cor Mariæ Virginis,* quaeque singula forte inter se non movent, universa tamen connexa ac conjuncta movere debent. Ex utroque opere brevi in conspectu ponamus, quae de objecto ac rationibus cultus sacrosancti Cordis Mariae docent.

Argumenta Gallorum a P. Eudes apud S. R. C. adhibita.

Objectum cultus Cordis Beatissimae Virginis declaraturus lib. I. Pater Eudes fusiori commentario varias *Cordis* acceptiones proponit c. 2, atque ex iis tres docet esse sumendas ad describendum adaequatum objectum devotionis erga B. Deigenitricis Cor. Inprimis enim hujus devotionis objectum haberi debet ipsum *Cor materiale ac physicum* Beatissimae Virginis, quod membrum est praecipuum in corpore ejus sanctissimo, in medio pectore situm, cuspide ad sinistrum latus aliquantum inclinata, omnem sanguinem ex venis se dilatando excipiens et per

Digitized by Google

arterias in omnes partes corporis contrahendo se dimittens: merito proinde habitum *vitae sedes atque origo*, tantae dignitatis praerogativa sc., ut reliquis membris vitam impartiat et vigorem. Hujus Cordis excellentias multis explicat cap. 3. [1]) maxime sectionibus 4, 5 et 6. [2])

Deinde *cordis* vocabulum hic sumitur metaphorice pro *corde spirituali* seu pro *anima* ipsa; et quoniam emphasim quandam peculiarem vox illa in omnium sermone sibi vindicat, cor B. V. M. sic sumptum ipsa est praestantior animae pars [3]) cum tribus ejus facultatibus intellectus, voluntatis ac memoriae. Quemadmodum vero in corde physico ac corporali facultas vitalis residere dicitur, unde et *fons* appellatur *et principium vitae*, ita et cor spirituali sensu acceptum ceu *fontem* reputant, *originem, subjectum, sedem* ingenii, amoris, fortitudinis, doloris et voluptatis caeterorumque affectuum, quae omnia in SS. Cor Mariae cadunt, quum de ejus cultu agitur. [4])

Quum igitur, Magistro Joanne Eudes, in Corde B. M. V. piarum ejus affectionum sedem demonstramus, in oculos incurrit, minime a nobis spectari dijudicationem quaestionis philosophicae de physica sede affectuum animi, sed horum communem ad cor attributionem, qualis inveterato jamdudum pervulgatoque usu percrebuit, et qua loquendi

---

[1]) Le coeur corporel de la très-sainte Mère de Dieu (Lemma cap. 3.)

[2]) Le coeur corporel de la bienheureuse Vierge étant la plus noble partie de son corps mérite un honneur très-particulier.

[3]) Le coeur spirituel est la partie la plus noble de son ame, avec toutes les facultés de la partie supérieure (mémoire, entendement et volonté libre.) Ita lib. I, c. 2.; cum his conferri debent, quae habet c. 4. „Le coeur spirituel de la bienheureuse Vierge.“

[4]) Tous ces coeurs se trouvent dans la mère d'amour. L. c.

Digitized by Google

ratione ipsi Christo Domino uti placuit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde.* [1])

Tertio tandem *cordis* nomen accipitur pro ipso *amore ac deliciis* Beatissimae Virginis, h. e., pro ipso ejus Filio Christo Jesu, de quo in Cant. ait 5, 2.: *Ego dormio, et Cor meum vigilat.* [2])

Tria haec Corda simul sumpta atque intime inter se nexa junctaque objectum adaequatum cultus admirabilis Cordis Beatissimae Virginis constituunt. [3]) Haec Joannes Eudes de objecto cultus Cordis Mariae.

Auctoritates quod spectat, quibus usi apud Sacram Rituum Congregationem sunt Postulatores Galli, operae esset scriptionisque longioris omnia hic persequi, quae ea de re idem Pater Eudes habet libris VII et VIII operis laudati. Ex iis Josephus Gallifet plura in suum Memoriale, mox afferendum, assumpsit, quibus cognitis facile erit de caeteris judicare. Synopsi Patris Gallifeti addendas tantum credimus auctoritates Julii PP. II. et Cardinalis de Vendôme, Clementis PP. IX. de latere Legati, quibus primo loco nituntur causae Patroni lib. VIII. c. I.

---

[1]) Cf. Card. Gerdil. Edit. Florentin. an. 1849, tom. 6, pag. 267.

[2]) Mon fils Jésus, qui est mon coeur et que j' aime comme mon coeur, est toujours veillant sur moi et pour moi. L. c.

[3]) Ces trois coeurs de la mère de Dieu ne sont qu' un seul coeur par la plus sainte et la plus étroite union qui fut et qui ne sera jamais après l' union hypostatique. . . . Voilà ce qu'on entend par le coeur admirable de la très-sacrée Vierge. (L. c. cap. 2.)

Ces trois coeurs ne sont qu' un en la mère d' amour, comme notre corps et notre esprit ne sont qu' un; parceque son coeur spirituel est l' ame et l' esprit de son coeur corporel, et que son coeur divin (Jésus) est le coeur, l' ame et l' esprit de son coeur corporel et spirituel. C' est ce coeur admirable, qui est l' objet de nos respects et de nos louanges. (L. c. cap. 5. sect. 1.)

Digitized by Google

Julius PP. II., cultor eximius SS. Cordis Beatissimæ Deigenitricis, pio justoque bello tyrannos persequi moliens, Lauretum venit an. 1508 et ipso natali B. Virginis die in natali ejus Cella sacrum fecit coelestique Patronae vota nuncupavit. Quum Mirandulae obsidio ducum incuria traheretur, ipsemet Pontifex bono exemplo pergit in castra, duces militesque sua praesentia excitaturus. Ibi dum belli consilia cum Cardinalibus agitat sub tentorio, manifestum periculum divina utique evasit ope. Quippe globus ferreus instar humani capitis repente ab hostibus aeneo tormento praegrandi excussus, dejecto praetorio, nihil omnino Pontificem ipsum, aut quemquam eorum, qui Pontifici in consilio aderant, laesit. Id enim vero Pontifex patrocinio B. Mariae debere se professus est. Ergo Mirandulae expugnatione aliisque victoriis clarus Lauretum pergit ad vota reddenda. Gratiis Deo Deiparaeque actis globum illum in sacrosancto sacello suspendi jubet, monumentum posteris, quanta pestis esset a suo capite Beatae Virginis intercessione depulsa, ac celeberrimum illud testamentum edidit, in quo occurrit oratio: *O gloriosissima regina misericordiae, saluto virgineum Cor tuum, quod purissimum fuit ab omni contagione peccati etc.*, quam orationem dabimus infra in *parte ascetica.*

Testimonium Ludovici Cardinalis de Vendôme autem in medium protulerunt causae Postulatores, quod probatio, quae ex instrumento ab ipso confecto educebatur, post auctoritatem Pontificum principem sibi locum vindicaret; totum negotium quippe per sententiam Cardinalis de Latere Legati plane finitum, officium proinde ac festum SS. Cordis Mariae auctoritate Apostolica legitime approbatum haberi debere, [1]) allato hoc Decreto Legati innotescere putabant.

[1]) Remarquez, inquit Eudes 1° que son Eminence a autorisé la fête avec son octave, et que 2° les actes de la légation de Mgr.

Digitized by Google

„Exponitur humiliter E. V. pro parte devoti illius oratoris Joannis Eudes presbyteri, superioris Seminariorum provinciae Normanniae, quod alias ipse orator librum continentem Divinum Officium inscriptum de sancto Corde Beatae Mariae Virginis composuit et in lucem protulit, de consensu et approbatione plurimorum Archiepiscoporum et Episcoporum. Cum autem, Eminentissime et Reverendissime Domine, dictus orator ad majorem hujusmodi auctoritatem eumdem per E. V. approbari desideret, supplicat humiliter E. V. dictus orator, quatenus sibi specialem gratiam faciens dictum librum continentem praedictum Officium Divinum approbationesque Doctorum, Archiepiscoporum et Episcoporum eidem appositas, et omnia in eis contenta approbare et confirmare aliasque in praemissis providere dignemini de gratia speciali clausulis opportunis."

Decretum Cardinalis a Latere.

„Ludovicus S. R. E. Diaconus Cardinalis sub titulo Sanctae Mariae in porticu de Vendôme nuncupatus, Sanctae Sedis Apostolicae et Sanctissimi Domini Nostri Papae Clementis Noni de latere legatus. [1]) Nos, viso libro,

---

le cardinal de Vendôme ont été confirmés à Rome par le saint siége Apostolique. Et ainsi voilà la dévotion et la fête du divin coeur de la mère de Dieu autorisées et confirmées non seulement par un légat a latere, mais encore par deux souverains Pontifs Clément IX. et Clément X., auxquels on peut ajouter Jule II., pour ce qui regarde cette sainte dévotion: et c'est en vertu de cette approbation que cette fête se célèbre dans l'ordre de S. François, comme il paraît à la fin des offices propres des Frères Mineurs de la grande province de France. (L. c. c. 1.)

[1]) Ludovicus de Vendôme, Cardinalis, ex regia Borboniorum familia, natus an. 1612, in Gallias missus erat Legatus a Latere, ut

Digitized by Google

cujus titulus est *Officium Cordis sanctissimi Beatissimae Virginis Mariae*, ab Archiepiscopis, Episcopis et Doctoribus approbato Apostolica auctoritate, qua fungimur in hac parte, laudamus, approbamus et confirmamus hanc laudabilem et utilem erga sanctissimum Cor et gloriosissimum Nomen Virginis Mariae devotionem. — Datum Parisiis die 2. Junii 1668."

Cardinalis de Vendôme, Legatus.

Debonfils, auditor et secretarius legationis.

(L. S.)

Ejusdem rei demonstratio a P. Pinamonti confecta.

Quod Joannes Eudes longa, ut diximus, oratione multisque rationibus docuerat, id P. Pinamonti breviori via et ratione progrediendo in unum, quem indicavimus, librum coarctavit. Et quoniam posterioris aetatis scriptores identidem ad insignem hunc causae Patronum provocant, paucis declarandum hic est, quo genere cursuque vivendi implicatus auctor fuerit. Igitur *Joannes Petrus Pinamonti*, natione Italus, patria Pistoriensis, adolescens annorum 15 Societati Jesu se addixit an. 1647. Vir Dei caritate et animarum zelo fervens, operarius insignis, majorem vitae partem concionibus habendis traduxit Italiam cum Patre Segneri circumeundo: carus imprimis omnium ordinum hominibus ob singulares virtutes et morum praestantiam.

Clementis IX. Pontificis nomine e sacro fonte susciperet Galliarum Delphinum Ludovicum XV. Decessit Parisiis die 6. Augusti a. 1669 in viridi adhuc ac constanti aetate, quando, ut ait Ciacon., de ejus virtutibus ac dotibus animi singularibus magnam Respublica Christiana spem conceperat. (Vit. et Gest. Rom. Pont. et S. R. E. Card.)

Digitized by Google

Honoratissimis laboribus confectam vitam clausit Ortae, quod est oppidum Dioecesis Novariensis, die 25. Junii an. 1703. Beatissimae Virginis studiosissimus ejusque honoris amplificandi cupidissimus Pater Pinamonti operae plurimum studiique consumpsit in colligendis et in locos communes dirigendis Sanctorum Patrum aliorumque Doctorum sententiis, quibus omnes opportune inflammare ad amorem Cordis sanctae Deigenitricis satageret, edito, quem diximus, libro de *S. Corde Mariae Virginis,* septem haec capita complectente:

I. *Cor Mariae speculum sine macula;*
II. *Cor Mariae dignum Matre Dei;*
III. *Cor Mariae abyssus gratiae;*
IV. *Cor Mariae expressum a Corde Christi;*
V. *Cor Mariae sphaera ignis sancti amoris;*
VI. *Cor Mariae dolorum diluvio submersum;*
VII. *Cor Mariae locus deliciarum pro Corde Dei.*

Egregium est opus, in quo quidquid de gloria S. Cordis Mariae dici potest, docte, polite, enucleateque proponitur. Ex libri procemio unam alteramve animadversionem de natura atque excellentia hujus devotionis exhibuisse operae pretium fuerit.

Magnificentissimi tituli, inquit Pinamonti, quos Beatissimae Virgini tributos legimus, nulla prorsus ratione in praejudicium earum laudum cedunt, quae Christo debentur.

Maxima Solis gloria est, instar inexhaustae minerae thesaurum tantae lucis possidere, ut sine ullo suo damno talem splendorem cum Luna communicare possit, ut illam quasi alterum efficiat solem minorem. Sic et Christi maxima gloria est, tantam ex eo scaturire gratiam, quam cum abundantia longe majori ac cogitationibus nostris assequi valeamus in Matrem suam ita possit conferre, ut sibi quasi sociam vivumque suarum divinarum virtutum

Digitized by Google

ectypon formaverit, quantum inde pura creatura capere potest. *Quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinet,* [1]) atque *omnis honor impensus Matri redundat in Filium.* [2]) Hinc prudentissima illa mulier, quae Christum Jesum excellenti encomio extollere voluit, meliori id modo exequi non valuit, quam alta voce Matrem celebrando: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* [3]) Ergo gloria quae Dei Matri tribuitur tantum abest, ut gloriam Filii obscuret, ut illam potius confirmet atque extollat.

Praeambula hac animadversione facta ad naturam devotionis erga purissimum Cor Mariae explicandam transit lectorem ante omnia monendo, nomen *Cordis* duplici ratione sumi, proprie sc. ac translatitie. Vocabulo Cordis, inquit, *translatitie* accepto saepius in sacris literis voluntas designatur, aliquando etiam totus internus animae status. Sic et in cultu purissimi Cordis Mariae *Cor* modo pro voluntate, modo pro interno Sanctissimae Virginis statu sumitur. Sed quoniam in exercitio devotionis, etiam quum maxime spiritualis est, re aliqua materiali ac sensibili indigemus, ut magis magisque excitemur, ea de causa hoc vocabulum *Cor* in sensu physico etiam seu *proprio* usurpatur, h. e., pro illa parte, quae, ut in nobis, ita et in Virgine Matre omnium totius corporis partium est praestantissima: dignissima proinde nostro amore nostrisque obsequiis, quum coelestis caritatis ardoribus in Deum nosque miseras creaturas tota ebulliat. In cultu purissimi Cordis Mariae igitur praeter sacratissimum ejus amorem caeteras excellentias etiam ceu devotionis objectum sen-

---

[1]) S. Bernard. Hom. super Missus est.
[2]) S. Hieronym. Epist. ad Eustoch.
[3]) Luc. XI, 27.

Digitized by Google

sibile verum ipsius Cor veneramur idque jure merito. Quod enim aliud inter sensibilia objecta inter creaturas amore nostro dignius proponi potest Divinae Matris Corde, quod Christus Jesus ipse amoris sui metam delegit atque a Sancta Brigida coli cum reverentia voluit salutarique? Devotionem erga divinissimum Cor suum Christus Dominus ad haec ultima tempora eo fine reservasse legitur, ut Christianorum tepor ad novum fervorem accenderetur. Haud dissimili ratione cultum purissimi Cordis Matris suae ad nostram usque aetatem reservasse videtur, ut novo hoc medio teporem nostrum inflammaret innumerasque nobis gratias elargiretur. Atque haec omnia auctor septem, in quae, ut diximus, divisus est liber, capitibus copiose, graviter eruditeque scribendo pertexit.

DECRETUM S. R. C.

Sed quamvis clare apteque proposita fuisset petitio approbationis cum idoneis, quibus eadem nitebatur, argumentis, Sacra Rituum Congregatio tamen preces repudiavit, sive quod crederet, novitates ex legis praescripto non esse introducendas absque necessitate (C. *Quis nesciat 11 D. 11)*, sive quod adversariis Jansenianis adeo jam exasperatis facta hac concessione novam querelarum injuriarumque materiam dare nollet. [1]) Ritibus tuendis præpositi Patres ergo rati, eam, quae *in rebus novis constituendis evidenter adesse debet, utilitatem (l. 2. ff. de Constit. princip. I, 4.)* inspectis *loci temporisque adjunctis (C. Erit autem 2 Dist. 4.)* non haberi, petentibus Officii approbationem denegarunt proposito hoc Decreto:

[1]) Nomen Patris Eudes in acerrimum Jansenianorum odium venisse, legimus apud Berault-Bercastel Hist. de L' Eglise L. 70. (tom. 22, p. 455.)

Digitized by Google

GALLIARUM.

Supplicatum fuit in S. Rituum Congregatione pro approbatione Officii cum Missa SSmi. Cordis B. M. Virginis impressi Galliarum anno 1650 etc. Et S. eadem Rituum Congregatio respondit: *Non esse approbandum.* Die 8. Junii 1669. [1])

CAPUT II.

ACTA SUB BENEDICTO PP. XIII. AN. MDCCXXVI.

Quod precibus pro obtinendo Officio Sacri Cordis Mariae oblatis defuisset eventus an. 1669, id celeritatem propagationis cultus tamen non retardavit, quum ex una parte Summi Pontifices nunquam intermitterent, confraternitates sub titulo S. Cordis Mariae erectas indulgentiarum thesauris locupletare, ex altera vero fideles purissimo huic Cordi devoti nusquam gentium ejus devotione promovenda defatigarentur. Piam sodalitatem sub invocatione *Cordis B. M. V.* in Ecclesia Monasterii Monialium Nostrae Dominae (vulgo *Notre-Dame*) nuncupatarum, in civitate Pictaviensi, indulgentiis ornatam die 24. Decembris an. 1693 vidimus supra commemoratam p. 14. [2]) Plures alias in medium profert P. Gallifet in eo, quem indicavimus, *Catalogo Indulgentiarum* in Appendice Operis *de Cultu Sacrosancti Cordis Dei ac Domini Nostri Jesu*

[1]) Anal. Juris Pont. an. 1865, p. 1157.

[2]) Catal. Indulgent. n. 1.

Digitized by Google

Christi. Sed preces pro approbatione Officii cum Missa seu festi S. Cordis Mariae apud Sacram Rituum Congregationem iteratas non legimus usque ad tempora Benedicti PP. XIII., quum P. Gallifet delegato sibi officio Postulatoris pro festo SS. Cordis Jesu vacabat. Is autem causas Cordis Jesu et Mariae ita inter se nexas et jugatas credidit, ut eodem judicio utramque noscendam finiendamque putaret, qua de re late ac diligenter disputat in scriptura, quam Summo Pontifici obtulit an. 1726, ut, quemadmodum ipse ait, *opusculo suo consiliorum divinorum executioni viam sterneret.* Sententiam non decerpemus; ipsi Postulatori causae in medium adventanti praebeatur auris.

MEMORIALE PATRIS GALLIFET.

Constituto semel in Ecclesia, afflante Spiritu Sancto, cultu ac festo Cordis Jesu, consequens erat, ut ejusdem Spiritus instinctu constitueretur adhuc cultus et festum Cordis Mariae. Haec porro consequentia quam justa sit ac divinis consiliis consentanea, apparebit ex sequenti animadversione; qua capitis hujus initium facere operae pretium erit. Nulla certe Mariae gloriosior, nulla servis illius jucundior ac gratior accidere potest. Scilicet, Christus Jesus immenso Matris amore ductus, eam sibi in rebus omnibus conjunctissimam ac simillimam esse voluit; et, quantum licuit effecit, perpetua rerum suarum cum illa communicatione. Bona quippe omnia sibi propria, modo quodam mirabili, cum matre, omni tempore, omni loco, omni rerum statu ita divisit ac partitus est; ut id omne, quod ipse natura sua ac proprio jure possidet; illud idem Mater ipsa, filii gratia ac communicatione possideat; quantum naturae creatae fragilitas patitur. Praerogativas dico, qualitates, nomina, titulos, privilegia, vir-

Digitized by Google

tutes, perfectiones, divitias, gloriam, potentiam, imperium, ac denique, quod hic peculiariter intendimus, honores omnes ab Ecclesia delatos. Rem hanc, hominum sane et Angelorum attentione et admiratione dignissimam, atque ad finem a nobis intentum, ut videbitur, accomodatam, paulo attentius perpendamus. Oculos itaque mentis, si placet, in Mariam convertamus: hancque ipsius cum filio indissolubilem conjunctionem, primo, ante saecula condita inspiciamus. Nimirum in decretis divinae Providentiae: cujus primum et praecipuum opus, Jesus ipse utique fuit, simul sum Virgine matre. Haec ab aeterno ante omnem creaturam simul cum filio praecognita, præelecta, praedestinata. Haec cum filio causa finalis saltem secundaria productionis rerum omnium: nam omnia propter Filium et propter Matrem simul condita esse, indicant cuncta illa Sapientiae loca, quae cum a Patribus, tum ab Ecclesia Mariae constanter adaptantur. [1]) *Prodivi primogenita ante omnem creaturam.* [2]) *Dominus possedit me in initio viarum suarum . . . ab aeterno ordinata sum . . . nondum erant Abyssi, et ego jam concepta eram . . . quando praeparabat coelos, aderam.* (nimirum, ut causa finalis.) *Cum eo eram cuncta componens.* etc.

Mirum sane accidere debet, quod ista divinae Sapientiae oracula, Verbum aeternum proprie respicientia, Mariæ ab ipsa veritatis magistra Ecclesia palam ac publice accomodentur: praesertim cum ejusmodi publica accomodatio, non sine peculiari Spiritus sancti Ecclesiam assidue dirigentis inspiratione facta fuisse credenda sit. Quid vero Spiritus sanctus, quid Ecclesia significare voluere, dum eisdem praecise coloribus et lineamentis Matrem adum-

---

[1]) Eccl. 24.
[2]) Prov. 8.

Digitized by Google

brarunt, quibus Filius a divina sapientia in Scripturis effingitur: nisi hanc, quam dicimus, admirabilem Filii cum Matre conjunctionem ac similitudinem in omnibus tum creationis operibus, tum redemptionis mysteriis: communem quodammodo utrique tribuentes potestatem ac dominationem super omnes creaturas; communemque influxum gratiarum ad salutem et perfectionem conducentium?

Jam si eamdem sanctissimam Virginem post rerum productionem considerare pergas, conjunctionem illam seu similitudinem cum Filio, ab ipso statim mundi exordio, ac deinceps in toto veteri testamento expressam perpetuo reperies: in promissionibus Patriarchis a Deo factis: in oraculis Prophetarum: in figuris ac symbolis antiquae legis. In his enim pene omnibus Mariam invenies cum Filio promissam, praenuntiatam, figuratam.

Verum haec conjunctio nusquam admirabilior apparuit, quam in lege nova: in ipsa videlicet rerum praedictarum ac promissarum executione. Hic velim consideres Verbi incarnati mysteria omnia. Incarnationis, Nativitatis, Infantiae etc. in omnibus ac singulis Matrem ita cum Filio junctam reperies, ut nihil esse conjunctius possit. In Incarnatione, Verbum divinum se in Matris visceribus menses novem ita condidit, ut rem unam et eamdem, juxta humanum loquendi morem, cum illa quodammodo constituere visus sit. Infantiam totam inter brachia Matris transegit, virgineo sinu perpetuo fotus, affixusque sacris uberibus. Vitam privatam cum Matre triginta ipsos annos consumsit, eodem tecto, eadem mensa, iisdem bonis, eadem fortuna utens: imo Matris imperio, filiorum more, subditus et obediens. Ecquae major aut magis intima conjunctio esse, aut etiam fingi possit? Similem plane reperire est in aliis omnibus Christi, seu praedicantis, seu patientis, seu resurgentis mysteriis. Etenim labores omnes suos,

Digitized by Google

dolores, opprobria, gaudia, ita filius matri communicavit, ut omnia sibi cum illa esse communia, semper et ubique voluerit et ostenderit.

Sed ad majora transeamus: hanc Mariae cum Filio assimilationem contemplemur in virtutibus, perfectionibus, praerogativis, nominibus, titulis, qualitatibus, privilegiis, potestate, imperio, gloria, ac demum in honoribus ab Ecclesia utrique delatis. Et *primo* quidem in virtutibus. Jesum itaque ex una parte considera, hominum omnium humillimum, mitissimum, patientissimum, obedientissimum, castissimum, innocentissimum, caritate ac misericordia plenissimum, denique sanctissimum: ex alia Mariam conspice Filio in eisdem virtutibus ita similem, ut ipsa quoque homines omnes humilitate, mansuetudine, patientia, obedientia, castitate, innocentia, caritate, misericordia, sanctitate, infinito quodam intervallo vincat ac superet.

Secundo. In titulis ac qualitatibus. Vide quam exacte respondeant Matris qualitates ac tituli qualitatibus ac titulis Filii. Jesus Rex noster: Maria Regina nostra. Jesus Dominus noster: Maria Domina nostra. Jesus advocatus et mediator noster: Maria advocata et mediatrix nostra. Jesus Pater noster: Maria Mater nostra. Jesus spes nostra, vita nostra, refugium nostrum, auxilium et solatium nostrum: Maria spes nostra, vita nostra, dulcedo nostra, refugium, solatium, et auxilium nostrum. etc.

Tertio. In praerogativis ac privilegiis. Jesus natura impeccabilis: Maria impeccabilis gratia. Jesus omni peccato tum originali tum actuali jure proprio immunis: Maria immunitate eadem singulari privilegio gaudens. Jesus auctor gratiae: Maria Mater gratiae. Jesus Misericordiae Pater: Maria Misericordiae Mater. Jesus virgo: Maria virgo. Jesus in sepulchro incorruptus: Maria eadem post mortem praerogativa donata. Jesus a mortuis tertia die

Digitized by Google

resurgens: Maria eodem dierum spatio ipsa quoque a mortuis rediviva. Jesus in coelum corpore et anima ascendens: Maria eodem modo in coelos assumpta. Jesus ad dexteram Patris sedens: Maria ad dexteram Filii collocata. Jesu omnis potestas a Patre data: Mariae omnis quoque a Filio potentia concessa. Pater gloriam omnem suam et imperium cum Filio divisit: Filius hanc ipsam gloriam et imperium Matri secum voluit esse communia.

Quarto. Denique in honoribus ab Ecclesia Jesu ac Mariae delatis: quod ad rem hujusce capitis propriam proxime pertinet. Scilicet nullum est obsequii aut officii genus ab Ecclesia ad honorem Filii institutum, cui simile ad Matrem venerandam inductum non reperiatur. Orbem terrarum mentis oculis perlustra, et cum debita admiratione animique voluptate recognosce, nullam esse mundi partem, ubi Jesu nomen cognitum ac praedicatum sit, quin ibidem Mariae nomen simul cum Filii nomine annuntiatum fuerit. Nullam esse gentem, quae Jesum Dei Filium agnoverit, quin Mariam indivisim Dei Matrem confessa ac venerata sit. Templum nullum Jesu consecratum fuisse, in quo monumentum aliquod ad Mariae gloriam constitutum non inveniatur. Neminem in Ecclesia extitisse, qui amore Jesu singulariter arserit, quin ardore simili erga Mariam incensus fuerit: quod omnium Sanctorum exempla declarant. Ut omnino dicere liceat, Jesum neque coli, neque amari voluisse sine perpetuo Matris consortio. Cerne, ut Mariae nomen in ore fidelium a nomine Jesu inseparabile sit. Ut Matris praeconia cum Filii laudibus quotidie in divinis officiis misceantur et confundantur. Ut mysteria omnia vitae Christi, ab Incarnatione incipiendo usque ad Ascensionem, totidem solemnitatibus ab Ecclesia celebrentur: et quomodo idem honor cunctis mysteriis vitae sanctissimae Matris, a Conceptione ad Assumptio-

Digitized by Google

nem, similiter deferatur. Nullam demum in Ecclesia exoriri novam festivitatem, nullum officium aut exercitium ad honorem et cultum Filii quin similis continuo festivitas, officium, aut exercitium ad honorem et cultum Matris excitetur et inducatur: exemplo sint festivitates *Nominis Jesu: Nominis Mariae; Gaudiorum Jesu: Gaudiorum Mariae; Excellentiarum Jesu: Excellentiarum Mariae; Dolorum et Passionis Jesu: Dolorum et Passionis Mariæ.* Quod in aliis similibus celebritatibus et exercitiis constanter et absque variatione in Ecclesia factitatum, attentus quisque lector reperiet. Ergo, ut tandem id, quod intendimus, quodque initio hujusce capitis asseruimus, concludamus: semel instituto cultu ac festo Cordis Jesu, consequens erat juxta consuetam Spiritus sancti in Ecclesia gubernanda providentiam, ut similis cultus seu festum ad honorem Cordis Mariae institueretur.

Et vero ita factum esse gaudemus: jam enim suavissimus ille Cordis Mariae cultus tota Europa una cum cultu Cordis Jesu propagatus est. Imo ita rem Jesus disposuit, ut primum templorum omnium, in suimet Cordis honorem excitatum (quod fuit Constantiis castris in Normannia in seminario Episcopali) illud idem in honorem Cordis Mariae simul dedicatum sit: atque uno eodemque momento utrique sanctissimo Cordi simul et indivisim honos adhiberi coeperit. Namque ibidem, in amborum honorem, festum solemni pompa per octiduum celebratum est: constitutaque confraternitas sacris Cordibus assidue colendis destinata, quam Clemens X. Sum. Pont. Brevi indulgentiarum decoravit an. 1674 die 4. Octob. Pontif. 5. Clemens IX. eumdem favorem jam impertierat anno 1668. 28. Aprilis Abbatiae regiae s. Caesarii in civitate Arelatensi, in qua singulis annis Cordis Mariae festum solemni ritu celebratur. Ex eo vero tempore sanctissimus ac sua-

Digitized by Google

vissimus cultus in aliis plurimis civitatibus, Provinciis ac Regnis dilatatus est; in Gallia, Belgio, Germania, Polonia, Bohemia, Lithuania. In Ecclesiis tum saecularibus, tum regularibus virorum ac mulierum: ut patet ex indice Brevium Indulgentiarum, variis confraternitatibus sub illo sacro nomine constitutis, a summis Pontificibus concessorum. Demum hoc loco omittendum non est, Ordinem S. Benedicti in Gallia officium divinum ad honorem Cordis Mariae proprium ac peculiare concinnasse, sub ritu 2. class. 8. Februarii recitandum: quemadmodum de Corde Jesu supra retulimus. Quod, ex additamento Breviarii hujus Ordinis proprii, Parisiis apud Petrum Debats via Jacobea edito, certissime constat.

Jam, si rationibus agendum sit, ad persuadendum, quanta sit hujusce cultus erga Cor Mariae soliditas, aequitas, suavitas, utilitas, sanctitas, non aliis certe utemur argumentis, quam illis ipsis, quae superius attulimus, ubi *de Corde Jesu* disseruimus. Etenim ubi a Corde Jesu discesseris, quid demum reperies aut sanctius, aut dulcius, aut nobilius, aut sublimius, quam Cor Mariae? Quod cum simillimum sit Cordi Jesu, quidquid de hujus excellentia dictum est c. I, l. 2. Cordi Mariae accomodatum, ejus quoque excellentiam commendabit. Sive hanc excellentiam metiri velis ex dignitate personae; sive ex perfectione animae, cui Cor conjunctum est: sive ex gratiis infusis: sive ex virtutibus, quarum sedes est atque origo: sive ex functione, ad quam factum destinatumque est, nimirum ut amore Jesu ineffabili indesinenter ac in aeternum arderet: sive demum ex gloria, quam suis affectionibus Deo creat: evidens est, nihil existere inter puras creaturas, seu in Coelo, seu in terra, hoc virgineo Corde perfectius, pretiosius, sanctius, excellentius, Deo et Jesu Christo gratius. His adde nihil esse nostri amantius, aut

Digitized by Google

in nos beneficentius. Agitur enim de Corde Matris nostrae, Dominae nostrae, Reginae nostrae, Advocatae nostrae, Auxilii nostri, Refugii nostri, Consolationis nostrae. Agitur de Corde amore nostri gladio doloris transfixo, cunctosque Cordis Jesu dolores pro nostra salute susceptos affatim participante. Haec si quis attente consideraverit, ac luce divina perfusus perpenderit, sentiet profecto fatebiturque, nihil esse veneratione et amore nostro dignius sanctissimo Corde Mariae. O si venter, qui Jesum portavit, beatus est: Si beata ubera, quae lactaverunt, ac proinde veneratione dignissima: Quid amabo, dicendum de Corde, quod amavit?

Cogita nunc, si Pater aeternus in Cultu Cordis Filii sui, ut supra vidimus, tantopere sibi complacet, dubitari non posse, quin ei gratissimus etiam accidat cultus Cordis Mariae: ob mutuam utriusque sanctissimi Cordis conformitatem. De Jesu vero, quis dubitet, venerationem Cordi sanctissimae ac dilectissimae Matris adhibitam ipsi debere esse gratissimam: cum in eo sacrosancto Corde amore sui ineffabiliter incenso, super omnia creata suavissime conquiescat?

Neque desunt ad haec confirmanda exempla Sanctorum; imo etiam divinae revelationis. In operibus *B. Mechtildis,* [1]) de cujus eximia sanctitate supra diximus, haec habentur lib. I, c. 54: „Post haec datum est ei salutare Cor Virginis gloriosae, in his septem articulis, in quibus nobis utilissimum fuit prae omnibus cordibus, post Christum: et I. In desiderio, quod prae omnibus Patriarchis et Prophetis maxime habuit ad Christi humanitatem. II. In amore, quia per amorem ardentissimum et humillimum Mater Dei est effecta. III. In dulcissima pietate, qua tam affectuose parvulum Jesum enutrivit. IV. In studiosa conservatione verborum Christi. V. In

[1]) Edit. Ven. 1558.

Digitized by Google

exemplo patientiae passionis Christi. VI. In sedula oratione et desiderio pro Ecclesia. VII. Quod quotidie proficit in coelo apud sanctissimam Trinitatem nostra desideria promovere."

In revelationibus *S. Gertrudis* haec de Corde Mariae leguntur lib. IV, c. 3. Videbatur blandus ille ac floridus puellulus (Jesus), aeterni Patris Filius unicus, Cor Matris Virginis cum summa voluptate sugere. Quo dabatur intelligi, quod sicut Christi humanitas virgineo lacte nutriebatur, ita ejus divinitas suavissime in hoc innocentissimo et amantissimo Corde conquiescebat, eoque frui delectabatur.

Eodem lib. IV, c. 12. haec referuntur. Tempore Matutini, dum cantaretur *Ave Maria,* visum est illi (Gertrudi) tres quasi rivulos prorumpere, unum ex Patre aeterno, alterum ex Filio, tertium ex Spiritu Sancto, qui Cor Virginis Matris penetrarunt: ex quo deinde egredientes, cum vehementi impetu, unde primo processerant, revertebantur. Quo influxu sanctissimae Trinitatis in beatam Virginem significabatur, eam post Patrem esse potentissimam, post Filium sapientissimam, post Spiritum sanctum benignissimam.

Vidimus supra, venerabilem illam Matrem Mariam de Incarnatione, Dei donis ac virtutibus eximiis ornatissimam, solitam, Cor Mariae a Corde Jesu in suo cultu nunquam disjungere; sed utrumque simul, instinctu divino, venerari, utens apud Jesum Corde Mariae, eadem ratione, qua Corde Jesu apud Patrem aeternum uti consueverat. Fuit mos B. Hermanni, Ordinis S. Dominici, singulis diebus Cor Mariae salutare, ejusque in honorem salutat. Angelicam recitare. Denique Virgo illa Parodiensis, de qua toties mentio facta est, Cordis Jesu studiosissima, simili prorsus affectu Cor Mariae complectebatur. Hinc haud dubie P. Claud. la Colombière suum erga Cor Mariae

Digitized by Google

studium hausit: ut patet ex oratione, quam ad sacrosancta Corda Jesu et Mariae in exercitiorum suorum diario conscripsit.

Nos itaque his exemplis atque rationibus adducti, cultum sacrosancti Cordis Mariae a cultu divinissimi Cordis Jesu ne separemus; Cor utrumque sanctissimum aeque ac suavissimum intimis praecordiis complectamur, veneremur, diligamus: utrique nos totos tradamus et consecremus. Adeamus ad Patrem aeternum per Cor Jesu: ad Jesum vero ipsum per Cor Mariae. Per Cor Jesu reddamus Deo Patri, quae infinitae illius majestati, justitiae, misericordiae debemus. Per Cor Mariae reddamus Filio, quae infinitae illius dignitati, clementiae, beneficentiae, benevolentiae et amori immenso debemus. Omnia a Patre aeterno impetrabimus per Cor Jesu: a Jesu ipso per Cor Mariae cuncta pariter consequemur.

Exitus atque eventus negotii sub Benedicto PP. XIII.

Vetus est legis praescriptio, causam in judicio propositam per omnes ejus partes una pronuntiatione expediri a judice debere, ita ut sententia non tantum super praecipuo negotio ferenda sit, sed etiam super iis, quae negotio accedunt cum eoque sunt connexa et conjuncta. Hinc mirum videri non debet, ambas causas SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae, a Postulatore tanquam connexas et aptas inter se uno libello propositas, iisdem difficultatibus fuisse implicitas eodemque Decreto negante rejectas, qua de re uberius disputatum est supra pag. 41. Qui vero in Patris Gallifet locum successerunt causae Postulatores, rei suae accomodatius censentes, causas utut ex natura sua cohaerentes non conjuncte proponere, quae-

Digitized by Google

stionem immaculati Cordis B. V. a negotio principe Sacrosancti Cordis Jesu sejunxerunt sejunctamque propriis rationibus tractarunt.

CAPUT III.

ACTA SUB UTROQUE PIO VI. ET VII.

Licet Postulatores causae apud Sacram Rituum Congregationem conjuncte non proposuissent causam festi SS. Cordis Jesu cum devotione immaculati Cordis Mariae an. 1765, ex approbatione Officii et Missae de SS. Corde Jesu tamen cultui Cordis B. V. mirifica accessit commendatio. Quandocunque scilicet ad colendum Jesum Salvatorem novae institutae fuere lapsu temporis festivitates, mox analogas, proprio quodam Divini Spiritus instinctu, introductas fuisse videmus ad Dei Matrem simili modo colendam; quoniam, ut ad Patrem per Jesum, ita ad Jesum per Mariam accedendum esse, axiomatis instar semper habitum est; quum Jesus mediatoris quidem, sed simul et judicis personam gerat, Maria non nisi Matris et Jesu et nostrae. *Opus est mediatore ad mediatorem Christum, nec alter nobis utilior, quam Maria.* [1]) Itaque Pontificium Decretum multi omnino secuti sunt libelli de cultu utriusque Sacri Cordis uberius et explicatius tractantes variasque exercitationes et precationes iisdem Cor-

---

[1]) S. Bernard.

Digitized by Google

dibus colendis idoneas complectentes. Quod vero magni animorum motus ingentesque clamores contra sanctissimum hoc pietatis exercitium ab adversariis excitati fuissent, (adeo ut multi pacis studio ab eo promovendo cessandum duxerint), id Divina Providentia celeri ejus propagationi impedimento esse non permisit; ex eo tempore enim libelli adhuc longe plures, quam antea ea de re conscripti et ubique disseminati: imagines cultus osoribus adeo exosae et sculpi coeptae sexcentisque in locis palam venerationi expositae: Altaria SS. Cordibus Jesu et Mariae passim dicata, praesertim in Gallia: numismata imaginibus SS. CC. insignita, etiam Romae, innumera distributa: [1]) Confraternitates sub titulo Sacrorum Cordium Jesu et Mariae erectae quam plurimae et indulgentiis a S. Sede Apostolica donatae, non modo in Gallia et Italia, Belgio, universa Germania, Polonia, Bohemia, Lithuania, Sabaudia, Hispania, sed etiam apud Syros, Sinas, Canadam insulasque Americae: ipsum festum Cordis Mariae denique a pluribus Dioecesibus, tum ab integris quoque Ordinibus religiosis magna cum solemnitate celebratum: ita ut hoc in negotio nemo non digitum Dei admiraretur, ac Sedes Apostolica tandem exorari se pateretur ab iis qui festi celebrandi facultatem instantius petiissent. In his primus erat clerus Urbis Ponormi cum aliquibus communitatibus religiosis, qui Pio PP. VI. libellum supplicem pro obtinenda concessione festi SS. Cordis B. V. M. obtulit, quum is Florentiae in custodia haberetur an. 1799. Quum igitur *animo repeteret Pontifex, in quae difficillima*, ut ipse ait, [2]) *incidisset tempora, inter ipsas tribulationes,*

---

[1]) Cf. *Ferd. Tetam.:* In Blasianam Notam ad descriptas notas Fontanini Velitatio, in Append. alt.

[2]) Bullar. Magn. Continuat. tom. 10, p. 191.

Digitized by Google

quae invenerunt Ipsum nimis, et quibus nisi gratia Jesu Christi adjuvisset Eum, certo obrutus fuisset, orandum et supplicandum Cordi purissimo censuit, ut Mater clementissima, sub immaculati Cordis sui nomine invocata, impetraret Ipsi Vicario Christi constantiam in tribulatione, utque Ecclesiam defenderet, protegeret, servaret, atque omnibus in maxima illa calamitate opem ferret. Eam ob causam re diligenter examinata precibus toties instantissime porrectis indulgendum duxit edito hoc Rescripto d. 22. Martii ejusdem anni:

„*Sanctissimus preces remittit arbitrio Ordinarii, eique ad id facultates omnes necessarias et opportunas impertit.*"

Archiepiscopus vero, executor sententiae Pontificiae constitutus, mandati fines excedens non solum oratoribus, sed universae Dioecesi festum SS. Cordis Mariae praescripsit agendum Dominica post festum SS. Cordis Jesu, approbatis etiam Missa propria atque Officio proprio de SS. Corde B. V., quare postea non injustam vituperationem Consultoris Sacrae Rituum Congregationis subiit, [1]) quum concessione festi nullatenus contineatur usus Officii proprii cum Missa. Et huc quidem deducta res erat quum Magnus Pontifex exhaustis carceris aerumnis paulo post ad immortalem vitam transiret die 29. Augusti eodem anno 1799.

Laetiora adhuc incrementa cepit causa festi piissimi Cordis Mariae sub Pio PP. VII., qui, magno affectu ut erat in Magnam Matrem Virginem, omnino modos omnes quaerebat, quibus gloriae tantae Reginae impensius studeret. Postulator causae constitutus fuit P. *Salvator Bongi*, natione Italus, patria Lucensis, Praepositus gene-

---

[2]) Anal. Juris Pontif. an. 1857 p. 1669.

Digitized by Google

ralis Congregationis Matris Dei, idemque Beatissimae Virginis cultor eximius, cujus honori promovendo omnem industriam adhibuit. Pluribus gravissimis muneribus accurate perfunctus Romae diem suum sancte obivit anno 1838 die 3. Februarii.

Disputationem habitam apud S. Rituum Congregationem ipse Postulator causae narrando potius quam iisdem quibus dictum disputatumque est verbis exponit literis datis mense Septembris an. 1805. Scilicet *se huic negotio praepositum mandata, quantum in se situm fuisset, diligenter esse persecutum tandemque a Sancta Sede consequutum, quod Viri Principes, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi ac plures Congregationes ecclesiasticae tam sæculares quam regulares suis supplicationibus pro concessione festi in honorem Sanctissimi Cordis Mariae cum Officio et Missa postulassent; Summum Pontificem enim propensa benignitate rogantibus annuisse Decreto Sacrorum Rituum Congregationis edito die 31. Augusti ejusdem anni 1805, ut petentibus facultas concederetur festum celebrandi cum Officio et Missa* **ut ad Nives et Lectionibus Secundi Nocturni ut in quinta Die infra Octavam Nativitatis B. M. V.** „Dei Filius"; *si qui ergo vellent oblata facultate uti, eos magna fiducia ad Sanctam Sedem pro obtinendo indulto recurrere posse, quum vi Decreti editi se concessurum promisisset Pontifex, quod rogando petiissent.* [1])

Salvator Bongi eodem die, quo lata haec sententia est, expediendum Decretum pro suis curavit, quod ex actis authenticis S. R. C. erutum hic sistimus.

---

[1]) Extant hae Salvatoris Bongi literae in linguam gallicam translatae in Anal. Juris Pontif. an. 1857, pp. 1665—1666.

Digitized by Google

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM MATRIS DEI.

Sacra Rituum Congregatio ad humillimas preces Sacerdotis Salvatoris Bongi, Rectoris Generalis Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, referente Emo. et Rmo. Dno. Cardinale Saluzzo, benigne indulsit, ut in universa praedicta Congregatione Matris Dei quotannis in Dominica III. post Pentecosten agi possit Festum Sacri Cordis Beatae Mariae Virginis cum Officio et Missa ritu duplici majori, ut in die Dedicationis S. Mariae ad Nives, exceptis lectionibus II. Nocturni, quae erunt ut in quinta die infra Octavam Nativitatis ipsius Beatae Mariae Virginis, scilicet: **Dei Filius etc.** Die 31. Augusti 1805.

Exemplum Congregationis Matris Dei caeteri Ordines religiosi secuti communem omnium Matrem uno studio et amplectendo et colendo preces pro obtinendo indulto offerre properabant. In iis Carmelitae primi leguntur festum impetrasse obtento hoc Decreto ineunte anno 1807:

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

SSmus. D. N. Pius VII. P. M. ad humillimas preces P. Fr. Petri Alexandri a S. Margarita, Commissarii Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, me infrascripto Secretario referente, benigne indulsit, ut quotannis in universo dicto Ordine in Dominica III. post Pentecosten agi possit festum in honorem S. Cordis B. M. V. cum facultate Religiosis omnibus utriusque sexus praedicti Ordinis recitandi in eodem festo ritu dupl. maj. Officium cum Missa, ut in die Dedicationis S. M. ad Nives, cum lectionibus tamen secundi Nocturni ut in quinta die infra Octavam Nati-

Digitized by Google

vitatis ipsius B. M. V. scilicet: **Dei Filius etc.** Die 14. Januarii 1807. J. M. Card. de Somaglia, S. R. C. Praefectus. — J. de Carpineo R. C. Secret.

Sub die 2. Septembris ejusdem anni 1807 data videmus plura alia Rescripta iisdem ferme verbis concepta, ex quibus peculiari mentione digna sunt, quae Ordines *Minorum S. Francisci Capuccinorum* et *Eremit. S. Augustini* obtinuerunt, quod postulatum Festum non jam Dominica III. post Pentecosten, sed vero *Dominica immediate sequente Octavam Assumptionis B. M. V.* (iisdem tamen clausulis adjectis quoad ritum, Officium et Missam) celebrari permittatur.

Volentes scientesque omittimus caetera Decreta: nam quis finis? et paritatem fugimus atque ex ea taedium. Notabimus tantum, Pium PP. VII. Brevi d. d. 20. Dec. an. 1808, relato in Bullar. Roman. Continuat. [1]) Confraternitatem sub titulo *Sacri Cordis Mariae* in Ecclesia collegiata et parochiali Sancti Eustachii Urbis constitutam privilegiis Archiconfraternitatis decorasse eique facultatem concessisse *alias quascunque confraternitates, ejusdem instituti extra Urbem ubique locorum erectas* — servatis servandis — *sibi aggregandi, illisque omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes sibi ipsi concessas communicandi. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.*

---

[1]) Tom. 13, p. 305.

Digitized by Google

CAPUT IV.
ACTA SUB PIO PP. IX.

Sancitum legibus est, ne res odiosae ad consequentiam trahantur vel amplientur, sed vero restringantur *(cc. 15. et 28. Reg. jur. in 6.)* Huic principio innixus Consultor S. R. C. contra Archiepiscopum Panormitanum ad veritatem accomodate monuit, *concessione Festi nullatenus contineri facultatem Officio et Missa propriis utendi.* Quod ut ostendatur perbreviter, recolenda ex jure duo haec dogmata sunt, quae jam subdimus: [1])

I. *Quae a jure communi exorbitant odiosis accensentur (c. Is. qui IX. de filiis presbyt. in 6.)* proindeque *privilegia ac rescripta,* per quae legi universali aliqua ex parte valor detrahitur.

II. *Jure communi omnes Orbis dioeceses omnesque religiosi ordines tenentur in Missis celebrandis uti caeremoniis ac precibus Missalis Romani, iis solis exceptis, quos ipsamet Bulla excipit.* Ergo rescripta Pontificia, quae ad concessionem aliorum festorum aliarumve Missa-

---

[1]) Quum prima editio commentarii ***de rationibus festi SS. Cordis Jesu*** in existimantium arbitrium venit, ex judicibus erant, qui dolendum esse dicerent in ***Wiener Allgemeinen Literaturzeitung*** (4. Novemb. 1867), quod Quaestiones nostras de jure liturgico in ***Archiv für kathol. Kirchenrecht*** vulgatas atque in commentario citatas non satis cognitas habeant exteri. Eam ob causam pauca haec dogmata ex Archivo exscribimus, quo Consultoris votum apud S. R. C. prolatum atque inde ipsius Congregationis judicium apertius explicatum planius intelligatur.

Digitized by Google

rum, quam quae Missali Romano continentur, spectant, inter leges odiosas numerantur, in eorumque interpretatione regulis restrictivis maxime est deferendum, quam minimum autem fieri potest, extensivis. Unde rectissime judicatum a Consultore est, concessione festi Cordis Mariæ minime comprehendi concessionem Officii proprii cum Missa.

Caeterum quum Sancta Sedes postea certior fiebat de usu Missarum propriarum, jussi sunt Nuntii Apostolici Ordinarios locorum monere, omnia Officia propria cum Missis propriis Sacri Cordis Mariae illegitima esse ac revocata standumque facultati a Pio PP. VII. anno 1805 concessæ *recitandi in dicto festo Officium cum Missa ut in die Dedicationis S. Mariae ad Nives cum lectionibus tamen secundi Nocturni ut in quinta die infra Octavam Nativitatis ipsius B. M. V. scilicet:* **Dei Filius etc.**[1]) Atque eodem hoc, in quem sub Pio PP. VII. adducta erat, statu causa Officii proprii cum Missa per ipsos quinquaginta annos manebat, hoc uno tamen excepto, quod Gregorius PP. XVI. *Archiconfraternitati Sanctissimi et Immaculati Cordis Mariae pro Conversione peccatorum* in parochiali templo ejusdem Beatissimae Virginis *a Victoriis* nuncupato, Urbis Parisiensis, erectae auctoritate apostolica concessit annis 1838 et 1844, ut festum praecipuum et solemne Sanctissimi et Immaculati Cordis Beatae Mariæ Virginis necnon Archisodalitatis ageretur in Ecclesiis, in quibus eadem Archiconfraternitas canonice erecta esset (cum facultate lucrandi indulgentiam plenariam a sodalibus rite confessis sacramque synaxim sumentibus) Dominica, quae ultima est post Epiphaniam atque immediate praecedit Septuagesimam; iis annis vero, quibus una tantum

---

[1]) **Annal. Juris Pontif. an. 1857, pag. 1669.**

Digitized by Google

Epiphaniam ac Septuagesimam interesset Dominica, ipsa die Dominica Sexagesimae: translata etiam eum in diem indulgentiam plenariam lucrandi facultate. [1])

Silentio tamen praetereundum non est, ad promovendum cultum immaculati Mariae Cordis plurimum contulisse, quae hisce temporibus Deus non obscura dedit suae voluntatis indicia, tam multis editis prodigiis per institutam Parisiis Sodalitatem sub invocatione purissimi Cordis Mariae *pro conversione peccatorum*, quae brevi tempore fructus salutis per universum orbem tam amplos tamque mirandos protulit, ut nihil simile in Annalibus Ecclesiae per omnia retro saecula reperiatur.

Confecti tandem negotii celebrataeque dulcissimi Cordis Deiparae laudis gloria reservata erat Pio PP. IX., quem Deus Optimus Maximus diu incolumem vegetumque semper tueatur! Sanctissimus Dominus Noster quum ab ineunte aetate cultui Virginis Matris deditus impense fuisset, ejus augmentum toto gloriosissimi sui Pontificatus tempore quoquo poterat modo procurabat, sive ad Deiparae solemnitates peculiari religione colendas hortaretur fideles, sive Beatissimae Virginis festa ad altiorem ritum elevaret, sive nova pietatis exercitia erga Ipsam institueret ad eam perpetuo laudandam, visendam, precibus prosequendam. Unum memoramus animi in Magnam Matrem sui monumentum posteritati datum dogma de immaculato Virginis conceptu, quo certe magnificentius erga Dei Matrem nullum existit in universa historia Ecclesiae Christi.

Quum oratores igitur SS. D. N. Pium PP. IX. literis supplicibus precati fuissent an. 1855, ut tandem concedere

[1]) Brevia Apostolica huc spectantia exhibet Dufriche-Desgenettes in Manuali instruct. et precum ad usum Archiconfraternitatis pluries edito typis Parisiensibus.

Digitized by Google

dignaretur, quod fideles Deiparae devoti tamdiu ardentissime optaverant, Summus Pontifex precibus satisfacturus negotium ad Patres legitimis ritibus tuendis praepositos remitti eorumque sententiam de more exquiri jussit. Quid actum in Sacra Rituum Congregatione sit, ex duobus quae ea de re prostant votis Consultorum comperimus. [1]) Potiores sententiae scripturis propositae hae sunt.

Prior e Consultoribus initio monet, legitimam rationique congruam esse venerationem Sanctorum, quum ex doctrina catholica cultus ipsis delatus in unius omnipotentis Dei honorem resolvatur ac terminetur. Licet enim cultus seu adoratio proprie non conveniat nisi uni Deo, quemadmodum uni Deo proprie competit notio *entis*, et ipse est principium omnium bonorum ac perfectionum; creaturis tamen Dei intuitu ac respectu defertur, quatenus nempe ad Deum referuntur ac de ipsius bonis participant, cui soli proprie excellentia absoluta competit, cujus cultus testificatio est. Idcirco autem eo solemnior atque excellentior cultus est tribuendus Sanctis, quo magis ii prae aliis sanctitate supereminent. — Ad cultum Beatissimae Virgini debitum exinde transeundo animadvertit, Ecclesiam jure merito generatim statuisse, ut Deipara speciali ratione *hyperduliae* honore prae omnibus coleretur, quum ipsa caeteras puras creaturas ob arctissimam suam cum Deo conjunctionem meritis ac dignitate longe antecellat; de *sanctissimo et immaculato Corde Mariae* vero speciatim monet, ejus cultum post iteratas ac graves ea de re habitas disputationes a Sede Apostolica probatum esse, quod *hoc titulo Cordis immensa ejus caritas erga Deum et effusus amor hominum designetur*. Quum igitur, ita infert, festa aliorum

[1]) Referuntur gallice versa in Annal. Juris Pontificii an. 1857, pp. 1667 seqq.

Digitized by Google

Sanctorum agantur *cum Officio et Missa propriis* ob eminentem qua excellunt sanctitatem, a fortiori celebrandum solemni ritu est *festum SS. Amoris almae Deigenitricis,* maxime postquam Sedes Apostolica jam inde a temporibus Benedicti PP. XIV. concessit *festum Maternitatis B. M. V.* cum Officio et Missa propriis, quae Maternitas in caritate fundatur. Accedit et alia consideratio ex s. Bernardo deprompta. Nobis, inquit S. Doctor, opus est mediatore apud mediatorem, Christum videlicet; neque ullus aptior magisque efficax quam Maria; quo fit, ut securum habeamus accessum ad Deum Patrem, cui Filius latus et vulnera, Mater Filio pectus et ubera pro nobis exhibet et ostendit. Festum amabilissimi et amantissimi Cordis Matris Nostrae id efficiet, ut spem certissimam in ea repositam habentes ejus apud Deum patrocinia experiamur. Ipsa est Regina adstans a dextris Dei in vestitu deaurato et circumamicta varietate; nihil omnino est, quod ab eo impetrare non valeat; ipsa est tam praesens catholicae Ecclesiae tutela et spes fidissima omnium nostrum. Ipsi accomodantur verba scripturae: *In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis.* Eccli. 24, 25.

Recolendum tandem et hoc est, Festa a Sancta Matre Ecclesia institui celebrarique tum ut beneficiorum, quae percepimus, gratam memoriam refricet, tum ut ad imitandum eos, quos veneramur, accendat (imitari enim non piget, quod celebrare delectat): quae omnia quam vere in Sanctam Deigenitricem cadant, singularibus testimoniis in medium prolatis ostendere non intendit Consultor, quod et aliunde nota sint, et iis recensendis vix plures libri sufficere possent. Quibus ita expositis Eminentissimorum Patrum coetui auctor est, ut rejectis omnibus, quae absque legitima facultate passim in usu sunt Officiis propriis SS.

Digitized by Google

Cordis Mariae, unum pro universa Ecclesia approbent approbatumque certo cuidam diei perpetuo affigant, quo ex uniformitate ritus in festi celebratione etiam hac in parte unitas Ecclesiae catholicae splendeat.

Quoad ipsum Officium probandum idem Consultor putat, casu quo admittendum videretur Oratio, in qua dicitur: *Cor immaculatum Beatae Mariae Virginis divino Cordi filii tui Jesu simillimum esse voluisti,* vocabulo *simillimum* correctionem adhiberi debere, quod, quum perfectam similitudinem exprimere posset, apud censores critica subtilitate Officium judicantes reprehensione non careret: sublato nimirum discrimine inter cultum latriae, qui SS. Cordi Jesu debetur, et cultum hyperduliae, quo Sacrum Cor Mariae prosequimur. Sic ille.

Alter Sacrae Congregationis consultor breviori commentario paucis admodum verbis multa complectens ex excellentia, meritis, benefactis, amore, potentia Beatissimae Deigenitricis opportunitatem concessionis Officii ostendit, maxime quod *ætate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus jactetur* [1]) ac proinde nunc, si unquam ante, validissimum Beatae Mariae Virginis patricinium sit implorandum. Difficultati vero, quod Sacra Rituum Congregatio alias recusasset petentibus Officium proprium morem gerere, occurrit dicendo, Congregationem nunquam non uti jure suo eandemque posse, attentis temporum locorumque adjunctis, modo preces admittere, quas prius repudiasset, praesertim quum ipsa tales preces nonnisi post repetitas supplicationes audire consueverit, [2])

---

[1]) Verba sunt Sacrae Rit. Congregationis in simili causa prolata die 31. Maji an. 1820. (Correspondance de Rome 14. August. 1850, N. 37, p. 48.)

[2]) V. supra pag. 285.

Digitized by Google

cujus rei perspicuo documento esse possent, quae acta disputataque fuissent in Causa festi SS. Cordis Jesu, quum Sacra Rituum Congregatio oratoribus idem rogantibus semel iterumque negasset sub Innocentio XII. et Benedicto XIII., quod tamen postea sub Clemente XIII. permisisset.

In extrema tandem parte Memorialis notat, quae sibi in Officiis propositis correctione digna videbantur, atque initio quidem censet, epitheton *purissimum* (cum nomine Cordis conjunctum) substitui pro *immaculato* debere, quod Sanctissimum Cor B. Virginis considerandum sit tamquam sedes omnium purissimarum affectionum et tamquam symbolum purissimi et ardentissimi amoris, quodque perfectissima puritas revera hujus sanctissimi Cordis maxime propria esse videatur. Deinde pro *Invitatorio* ad Matutin. verba salutationis Angelicae proponit: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum,* quod ea, quum plenitudinem gratiae in Corde Deiparae Virginis diffusae atque ipsum auctorem gratiae, Spiritum Sanctum, indicent, hujus Officii propria sint.

Tertio Epistolae praefigendum esse ait titulum consuetum: *Lectio libri Sapientiae*, licet ex Canticis Canticorum desumpta sit; ac quarto denique judicat, tres orationes emendari atque ad mirabilem illam simplicitatem reduci debere, quae Missalis Romani et omnis antiquitatis propria esse noscatur.

Quibus omnibus animadversionibus accurato examine perpensis rationibusque diligenter subductis Sacra Rituum Congregatio tandem in comitiis die 21. Julii an. 1855 celebratis *Officium et Missam purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis* sub ritu Dupl. Maj. approbavit, approbatumque typis Reverendae Camerae Apostolicae vulgandum curavit.

Digitized by Google

Ordines Religiosi, qui inde ab initio, uti Jesu Cordis Sanctissimi, ita et cultum purissimi Cordis Mariae promovere nunquam destiterant, etiam hac occasione glorioso studio Officium tantum approbatum impetrandi tam inter se quam cum clero saeculari certarunt. Quo vero et Monachi adhibere illud possent, Rmus. P. Procurator Generalis Congregationis Camaldulensium O. S. B. Officium Ritui Monastico accomodatum rite approbandum curavit, qua de re hoc extat documentum in Archivo S. R. C.

Bmo. Padre,

L' Abbate Procuratore Generale de' Monaci Camaldolesi ossequiosamente espone, che dalla sua Congregazione si recita nella terza Domenica dopo la Pentecoste l' Officio del purissimo Cuore di Maria Vergine come nel giorno della Neve. Essendo ora stato dalla Santità Vostra approvato l' Officio et Messa propria di detta Festa, l' Ore. si fà a supplicare per l' estensione del nuovo Officio e Messa a tutta la sua Communità. Siccome però il detto Officio è secondo il rito romano, per ridurlo a rito monastico occorrono diverse antifone e responsorj, come nel annesso esemplare, così supplica ancora per l' approvazione di quanto in esso si contiene. Che etc.

Decretum S. R. C.

Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Camaldulensium.

Quum Rmus. P. Abbas Raynerius Viola, Procurator Generalis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Camaldulensium desiderio flagret, ut ab alumnis utriusque sexus in Ecclesiis Congregationis suae in Festo Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis persolvatur Officium proprium et

Digitized by Google

celebretur Missa pariter propria approbat. a sacra Rituum Congregatione anno mox elapso 1855, duodecimo Kalendas Augusti, additis vero eidem Officio nonnullis, quae juxta Ritum Monasticum omnino requiruntur, uti omnia adnotantur in Exemplari huic Decreto praevio, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. supplicia vota porrexit, ut Officium idem cum Missa Congregationi Camaldulensium extendere dignaretur, eidemque concedere additiones supra adnotatas. Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, pro gratia clementer in omnibus annuit juxta preces; dummodo Festum Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici majori juxta Ritum Monasticum agatur Dominica vel tertia post Pentecosten, vel Dominica immediata post Octavam Assumptionis ejusdem Virginis semel fixe designanda, cum facultate Festum Purissimi Cordis Deiparae amandandi ad primam diem sequentem liberam, quoties assignata Dominica juxta Decreta impedita occurrit; servatisque Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 21. Februarii 1856.

C. Episcopus Albanen. Card. Patrizi, S. R. C. Præf.
H. Capalti, S. R. C. Secretarius.

Caeteris Congregationibus sub regula Sancti Benedicti militantibus eadem hac forma Officium Cordis Mariae Sedes Apostolica concessit, prout claris argumentis lucet ex nuperrimis Decretis, quae Officiis propriis illarum Congregationum praefixa leguntur, ex quibus in extremo commentario nostro hoc ponimus ex Proprio *Pradiniensi*. [1]

---

[1] Supplément au Bréviaire Monastique Romain, ou *Offices propres approuvés pour les Bénédictines du Saint Coeur de Marie, Dioecèse de Lyon*. Editionis Mechliniensis anni 1866 pp. 106 seqq.

Digitized by Google

Decretum S. R. C.

Emus. et Rmus. D. Card. Ludov. Jac. Maurit. de Bonald, Archiepiscopus Lugdunensis, exponens huic Sanctæ Sedi Apostolicae, Sanctimoniales O. S. B. degentes in Asceterio vulgo *Pradines* intra fines Dioecesis Lugdunensis vehementer cupere *Festum Purissimi Cordis* Beatae Mariae Virginis quotannis solemniter agere Dominica post Octavam Assumptionis Beatae ipsius Virginis sub ritu duplici primae Classis cum Octava: a Sanctissimo D. N. Pio Papa IX. humillime postulavit, ut ad Sanctimoniales extendere dignaretur Officium proprium cum Missa Purissimi Cordis Deiparae an. 1855 duodecimo Kalendas Augusti a Sacra Rit. Congregatione approbatum, ac deinceps ad Ritum Monasticum redactum et concessum Congregationi Camaldulensium O. S. B. Sanctitas Sua ejusmodi preces clementer excipiens, referente subscripto ejusdem S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit, ut Sanctimoniales enuntiati Asceterii Dominica post Octavam Assumptionis sub ritu duplici primae Classis et Octava persolvere valeant officium proprium Purissimi Cordis Beatæ Mariae Virginis juxta proprium Monasticum Ritum ad instar concessionis factae enuntiatae Congregationi Camaldulensium, Officioque respondentem Missam celebrare queant Sacerdotes penes ipsas sacrum facturi: sub lege tamen, ut in die octava hujus festi Purissimi Cordis Virginis pro secundo Nocturno assumantur lectiones propriae, quae in superiori exemplari leguntur, dummodo rubricae serventur. In contrarium non obstantibus quibuscunque.

Die 17. Septembris 1857.

C. Episc. Albanen. Card. Patrizi, S. R. C. Praef.

H. Capalti, S. R. C. Secretarius.

Digitized by Google

CAPUT V.

LECTIONES SECUNDI NOCTURNI OFFICII PURISSIMI CORDIS MARIAE AUTHENTICE EXPOSITAE.

Quoniam rationes festorum in Lectionibus secundi Nocturni breviter attingi solent, ad Commentarii hujus nostri absolutionem authenticam earum interpretationem addere non abs re visum est, quo clarius appareat, Ecclesiae mentem in hoc festo instituendo in eo fuisse, ut *amor purissimus Deiparae*, seu *divinus ille amor, quo*, ut verbis utamur S. Bernardini, *fornaceum Cor Virginis ardens erat*, solemniter celebraretur.

Ut *interpretatio* generatim accepta distincta est mentis obscurioris scriptoris vel legislatoris repraesentatio, ita *authenticum* universim dicitur, quod certum habet auctorem ac proinde auctoritatem. Pressius vero sumptum *authenticum* apud JCtos est quod auctoritatem indubitatam et legitimam habet, qualia sunt instrumenta solemniter confecta subscriptaque et signata, prout multis docet gl. in C. *Si scripturam 1. X. de fide instrument.* (II, 22.); item *interpretatio authentica* legis est, quae vel ab ipso legislatore [1]) vel ab eo, penes quem est summa leges ferendi potestas, profecta est. [2]) Simili prorsus ratione textum aliquem propositum ipse ejus auctor αὐθεντικῶς interpretari dicitur, quia optimus quilibet verborum suorum

---

[1]) Scilicet, quasi ab *authentico* seu *originali* derivata.

[2]) Ita *authenticum* ab αὐθέντα, principe, dicitur, quod ab auctoritate valentibus dimamarit.

Digitized by Google

interpres, nec absonum est, obscurius a me dicta antea distinctius nunc proponere, qua de re legi merentur tum verba Justiniani *l. fin.* seu *12. §. 1. Cod. de legibus et constitutionibus* (I, 14.), tum rectae interpretationis regula alias a nobis ex Innocentio PP. III. prolata: *ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* [1]) Hoc sensu igitur ex ipso, ex quo assumptae sunt, s. Bernardino Senensi authenticam interpretationem Lectionum secundi Nocturni ultimo hoc capite proponimus, talem ejus mentis exhibendo declarationem, cui refragari nemo potest.

Lectiones II. Nocturni. [2])

Sermo Sancti Bernardini Senensis. [3])

Ex Serm. IX. de Visitatione.

Lectio IV.

Quis [4]) mortalium, nisi divino fretus oraculo, de vera Dei et hominis Genitrice quidquam modicum sive grande praesumat pollutis labiis nominare: quam Pater ante saecula Deus perpetuam praedestinavit in Virginem dignissimam: Filius elegit in Matrem: Spiritus Sanctus omnis gratiae domicilium praeparavit? Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis, sanctissimo

---

1) V. supra pp. 7 et 76.

2) Quoniam Lectiones II. Nocturni in breviorem hanc formam redactae ex authentico seu originali lumen et verum sensum accipiunt, idcirco integrum textum ex sermone S. Bernardini erutum iisdem subjicimus, quemadmodum etiam in nonnulla Breviaria olim erat assumptus.

3) S. Bernardin. † 20. Maji an. Ch. 1444, aetatis 64. Cfr. Breviar. Rom. ad d. 20. Maji.

4) Ut igitur clarior sensus evadat, authenticum ex ipso fonte exhibemus:

Digitized by Google

ore prolatos efferam: quibus non sufficit lingua omnium hominum, et etiam angelorum? Dominus enim ait: bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros homines melior homo potest excogitari, quam illa, quae meruit effici Mater Dei, quae in Corde et in utero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse divinus amor, quo Cor Virginis ardens erat? Tu autem.

℟. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiae et gloria: * Opes superbae et justitia.

℣. Ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam. Opes.

Lectio V.

De hoc igitur Corde quasi fornace divini ardoris Virgo Beata protulit verba bona, id est, verba ardentissimae caritatis. Sicut enim a vase optimo vino pleno non potest exire nisi optimum vinum: aut sicut a fornace summi ardoris non egreditur nisi incendium fervens: sic de Corde Matris Christi exire non potuit verbum, nisi summi summeque divini amoris atque ardoris. Septem verba

---

„*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Dignare me laudare te Virgo sacrata; nec modicam despicias tui famuli servitutem, cujus non modicam in tuis laudibus devotionem attendis. Dignare, coelestis Regina, mihi per sublimium sensuum tuorum misericordiam quasi vasta per aequora sine remige naviganti coelestis aurae favore succurrere, ut qui altissimos sensus verborum tuorum saltem balbutiendo declarare desidero, gratia tua confisus, tuo adjutorio valeam explicare. Aspiret et ille divinus habitator hospitii tui, ut qui in laudem suae matris studium pietatis attendit, pius adjutor adesse non dedignetur e coelis. Quis enim mortalium, nisi divino tutus vel fretus oraculo, de vera Dei et hominis genitrice quidquam modicum, sive

Digitized by Google

tantum mirae sententiae et virtutis a Christi benedictissima Matre leguntur dicta. Cum Angelo bis tantum locuta est. Cum Elisabeth bis etiam. Cum Filio etiam bis. Cum ministris in nuptiis semel. Haec septem verba, secundum septem amoris actus, sub miro gradu et ordine prolata, quasi sunt septem flammae Cordis ejus. Tu autem.

℟. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis. * In me omnis spes vitae et virtutis.

℣. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me omnis spes.

Lectio VI.

Quae verba considerans mens devota cum ipso Propheta ait: Quam dulcia faucibus meis, id est, omnibus affectionibus eloquia tua! Porro dulcedo haec, quam in verbis Beatae Virginis devota mens sentit, est ardor piae devotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. Distinguamus igitur per ordinem has septem flammas amoris verborum Virginis benedictae. Prima est flamma

---

grande praesumat interconcisis, immo pollutis labiis nominare, quam Pater ante saecula Deus perpetuam praedestinavit in Virginem dignissimam, Filius elegit in matrem, Spiritus Sanctus omnis gratiae domicilium praeparavit? Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis sanctissimo ore prolatos efferam? quibus non sufficit lingua omnium hominum et etiam Angelorum? Dominus enim ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Quod verbum potest etiam esse thema. Quis autem inter puros homines melior homo potest excogitari, quam illa, quae meruit effici Mater Dei, quae novem mensibus in Corde et in utero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse divinus amor, quo fornaceum Cor Virginis ardens erat? De hoc igitur Corde, quasi

Digitized by Google

amoris separantis. Secunda *amoris transformantis.* Tertia *amoris communicantis.* Quarta *amoris jubilantis.* Quinta *amoris saporantis.* Sexta *amoris compatientis.* Septima *amoris consummantis.* Tu autem.

℟. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei. * Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit laedet animam suam: Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui me.

Gloria Patri. Qui me.

---

de fornace divini ardoris, Virgo beata protulit verba bona, id est verba ardentissimae caritatis. Sicut enim a vase summo et optimo vino pleno non potest exire, nisi optimum vinum: aut sicut et a fornace summi ardoris non egreditur, nisi incendium fervens: sic quippe a Christi matre exire non potuit verbum, nisi summi summeque divini amoris atque ardoris. Sapientis quoque Dominae atque matronae est, pauca verba, solida tamen atque sententiosa habere. Proinde septem vicibus, quasi septem verba tantum mirae sententiae et virtutis a Christi benedictissima matre leguntur dicta, ut mystice ostendatur, ipsam fuisse plenam gratia septiformi. Cum Angelo bis tantummodo locuta est, Luc. I. c. ***Quomodo fiet istud, etc. ecce ancilla Domini, etc.*** Cum Elisabeth, bis etiam, Luc. I. scilicet illam salutando. Secundo laudando, cum ait: ***Magnificat anima mea Dominum, etc.*** Cum filio etiam bis. Semel in templo, Luc. 3. ***Fili, quid fecisti nobis sic?*** Secundo in nuptiis Joan. 2. ***Vinum non habent.*** Cum ministris semel, Joan. 2. ***Quodcunque dixerit vobis, facite.*** Et in his omnibus semper valde parum locuta est. Excepto, quod in laude Dei et gratiarum actione se amplius dilatavit, scilicet cum ait: ***Magnificat anima mea Dominum; et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.*** Ubi non cum homine, sed cum Deo locuta fuit. Haec septem verba secundum septem amoris processus et actus sub miro gradu et ordine sunt prolata: quasi sint septem flammae fornacei Cordis ejus. Quae

Digitized by Google

Interpretatio septem flammarum divini amoris in purissimo Corde Deiparae Virginis ex s. Bernardino Senensi. [1])

Sermo VI. [2])

Quam dulcia sunt faucibus meis eloquia tua Domine! In mente Beatissimae Virginis Mariae tanta erat dulcedo caritatis et amoris Dei, quod nil poterat loqui, nisi de amore Dei: et ejiciebat de sanctissimo cellario Cordis sui intensissimam flammam amoris divini eloquii ad instar ardentis fornacis, quae tantam flammam ejicit, quatenus in ea praevalet ardor ignis. Et nota, quod non reperitur in sacratissimo Evangelio, Beatissimam Virginem

---

Verba considerans atque ruminans mens devota cum ipso Propheta inquit. *Quam dulcia faucibus meis*, id est, omnibus affectionibus *eloquia tua* Porro dulcedo haec, quam in verbis beatae Virginis devota mens sentit, est ardor piae devotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. Dicat igitur, mens devota: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Distinguamus igitur per ordinem has septem flammas amoris verborum Virginis benedictae. Prima est flamma amoris separantis, secunda amoris transformantis, tertia amoris communicantis, quarta amoris jubilantis, quinta amoris saporantis, sexta amoris compatientis, septima amoris consummantis." (Op. tom. 4, pag. 110.)

1) In eodem purissimo amore Beatissimae Virginis ex professo celebrando prolixius versatur S. Bernardinus sermone IX. de Visitat., ex quo contractae sunt Lectiones Officii. Verum ardens S. Auctoris in Deigenitricem affectus longiorem fecit orationem *l. c.*, quam ut ei in brevi hoc Commentario locum dare possimus. Quamobrem lectorem benevolum, si quando, comite patientia, opusculum hoc nostrum hucusque percurrere sustinuerit, cum Consultore S. R. C. ad ipsum fontem remittimus (op. tom. 4, pp. 110 seqq.), in notis huic sermoni subjectis unum alterumve locum indicando tantum.

2) Edition. Lugdunen. an. 1650 tom. 3, pp. 367 seqq.

Digitized by Google

Mariam fuisse locutam, nisi septies: Intellige tamen, quod illa septem eloquia sua non fuerunt sine maximo mysterio, in quo dulcissimo eloquio rumina bene, quod Deus, communicatus cum ipsa Virgine gloriosa quae omni sapore gustabat ipsum, vult nobis detegere et demonstrare, quam dulcia sunt eloquia sua, et quam suavissimus sit gustus ejus. Unde nota, quod ad bene gustandum tria requiruntur.

Primo quod cibus sit bonus, et sapidus: secundo, quod appetitus sit bonus, et fervens: tertio quod comedens illum sit famelicus, et bene dispositus ad sumendum illum cibum. Ita occurret tibi, si gratia divini amoris est, scilicet, quod mens tua sit illuminata gratia Dei, quia primo requiritur gratia Dei: secundo appetitus, id est, bona operatio; tertio, quod mens tua sit disposita velle amare Deum. Et sic gratia Dei est, quam dulcia sunt: est appetitus, sive fames in faucibus meis, et gustus est eloquia tua. Et dixi non reperiri, beatam matrem Dei in Evangelio non fuisse locutam nisi septies. In quibus septem sermonibus septem amores, et ardores caritatis Dei notantur, quos beata Virgo Maria habebat in se.

Prima flamma est *separans*, secunda est *transformans*, tertia flamma est *communicans*, quarta flamma est *jubilans*, quinta flamma est *saporans*, sexta flamma est *compatiens*, septima flamma est *consummans*.

Quae septem flammae amoris divini consistunt a principio amare Deum usque ad finem, seu consummationem. Et omnes istas flammas amoris intensissimi Dei beatissima Virgo mater Dei habebat in se per varios gradus. Et quaelibet dictarum flammarum amoris intensissimi Dei, habet unam singularissimam vim incendendi, vigorandi, et inflammandi animam.

Prima Flamma Amoris Dei
dicitur separans.

Prima flamma amoris Dei dicitur *separans,* quae habet vim separandi, et fugandi omnia displicentia Deo, et declinandi a malo, et inducendi ad opera bona, et quanto erit major flamma amoris Dei, tanto magis separabit mentem a malo. [1]) Unde beata Virgo Maria plena ardore istius flammae separantis, dum fuisset nuntiata ab Angelo, et firmasset, se servaturam semper suam virginitatem integram, et intemeratam, quam voverat illibatam Deo. Primum verbum, quod legitur dixisse tota pavida, et abhorrendo, qualis foret illa salutatio, fuit dicens: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* sciebat enim bene Christum nasciturum, sed ignorabat infinitos modos, per quos omnipotens poterat in lucem prodire, seu nasci: sed quantum respectu sui propter ingentem amorem separantem a se omnem sordem vitiorum, dicere volebat, quod si ipsa deberet generare Filium Dei corrumpendo statum suae sanctissimae virginitatis, quam voverat Deo, nolebat fieri illo modo mater Dei, sed volebat potius conservari illibata

---

[1]) Natura quippe veri amoris est, a contrario sui amati se elongare. Et quanto major et formosior est, tanto recessus iste est major, et e converso. Rogo, diligenter attende, quantus iste recessus apparuit in primo Virginis verbo, quo, Angelo sibi promittenti conceptum et partum filii Dei, quasi stupefacta respondit: ***Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*** . . . Considera igitur diligenter, quantum recedit ab omni contrario sui dilecti, scilicet Dei, quando non solum odit offensam ejus, sed etiam omnem actum corruptum et vitiosum, quantumcunque fieret sine illius offensione: sicut utique fieri potest actus matrimonialis, et maxime, si ordinatus sit ad prolem divinam. (Op. tom. 4. sermon. IX. p. 111.)

Digitized by Google

a corruptione corporis et animae, et hoc respectu sui: sed respectu Dei fuit voluntas sua. Ita quod in flamma istius amoris Dei separante est separare a se omne vitium. Sed cum beata Virgo sciret omnia: unde est, quod Deus non revelaverit, se futuram matrem Dei? Respondeo: hoc ideo fuit, ut praepararet se ad humilitatem profundissimam, et fieret exemplum nobis caritatis, et amoris Dei separantis a nobis omnem malitiam et malam operationem.

Secunda Flamma Amoris Dei,

quæ dicitur transformans.

Secunda flamma divini amoris dicitur *transformans,* quia transformat amantem cum amato. Nam amor capit formam rei amatae, sicut tu amas caduca, superbiam, luxuriam, et vana capiunt formam illius rei amatae, et transformant te cum illa re, quam amas, ita quod tu efficieris superbus, luxuriosus, vanus, et caro, et illud quod tu amas. Ita si tu amas Deum, tu efficieris transformatus cum Deo tuo amato, et efficieris bonus, sanctus et virtuosus. Et ut transformeris in Deo, requiruntur quatuor. Primum est mens praeparata per obedientiam, secundum est humilitas profunda, tertium est voluntas consentiens, quartum est fides in anima. [1])

---

[1]) Amoris transformantis actus est, summe unire amantem cum ipso amato et e converso. . . . Attende, quantum ista flamma refulsit in secundo Virginis verbo, quo in Filii Dei conceptum assentiens Angelo ait: ***Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.*** Quia enim amorosa mentis unio ad ipsum Deum ex parte mentis debet tota esse humilis et subjecta, ac prompta et famulatoria, sive in omnibus obsequiosa, idcirco Virgo primo ut talem se exhibet Deo et conceptui Filii Dei dicens: ***Ecce ancilla Domini.*** Quia etiam debet esse timorata simul et fidu-

Digitized by Google

Quae omnia profundissima fuerunt in sacrata Virgine gloriosa matre Domini. Primum fuit mens per obedientiam praeparata, cum dixit: *Ecce*. Nam sicut Eva per inobedientiam fuit separata a Deo: ita Maria Virgo per obedientiam fuit unita cum Deo.

Secundum fuit in ea humilitas profunda, cum dicit: *ancilla Domini*, et non mater Dei, sed ancilla: non Domina mundi, non Regina coelorum, sed ancilla.

Tertium fuit voluntas consentiens, et caritas, cum dixit: *fiat mihi*.

Quartum fuit fides, cum dixit: *secundum verbum tuum:* quia caritas beatae Mariae Virginis praeparata amore proprio univit, et ejus fides colligavit, et nodavit ligamen cum Deo, quod ante erat dissolutum. Quae quatuor concurrentia in Virgine Maria consentiendo et volendo transformaverunt eam in Deum totaliter, ut illis salutiferis verbis, quae protulit: *ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum:* in illo instanti efficeretur mater Dei, et fuit transformata in Deum propter ejus profundissimam humilitatem. Et ideo beatissima mater Dei plena Spiritu sancto, et transformata tota in Deum jubilando dixit decem jubilationes.

---

cialis, suaviter et deprecatorie desiderata: et hoc non ultra, nec citra mensuram sibi a Deo praefixam: idcirco adjecit: ***Fiat mihi secundum verbum tuum:*** quasi dicat: hoc non auderem petere a meipsa, sed nec volo, nec audeo de Dei promissione diffidere; nec supra vel infra suum verbum per te pronuntiatum hoc quaerere et desiderare. Proinde juxta verbum tuum fiat mihi a Deo conceptio Filii ejus eo modo, quo per te illam mihi annuntiavit. Quasi enim in hoc verbo clarius exprimatur obedientia longa, cum ait: ***Ecce;*** humilitas profunda, cum subdit: ***ancilla Domini;*** caritas lata, cum addit: ***fiat mihi;*** fides alta, cum tandem concludit: ***secundum verbum tuum.*** Ut aperte

Primus jubilus fuit, quia videns, quod venerat tempus, in quo humanum genus restauraretur propter incarnationem Verbi secundum prophetias, et in quo animae erant glorificandae in Deo; magnificavit Deum sic jubilando: *Magnificat anima mea Dominum: quia respexit humilitatem ancillae suae;* propter quam dignatus est, ut efficiar mater ejus. Et volvens faciem suam versus gentes, annuntiat, tempus venisse desideratum, quo humanum genus restaurabatur et glorificabatur in coelis, dixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et nota hic, quod Bernardus refert, quod gloriosa Virgo vidit omnes salvandos per eam, et portas vitae aeternae clausas reserari per eam.

Et ideo dixit faciens secundum jubilum: *et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quia ipsa habebat

---

clarescat, solam beatam Virginem esse talem, ut digna sit comprehendere super omnes tam Sanctos, quam Angelos, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum incarnationis Filii Dei. Contemplare igitur mens devota, in quo tunc actu et assensu divini amoris et mirae transformationis erat mens illa, in qua tantus ausus fuerit, quod constanter et pleno assensu auderet optare et quarere se fieri matrem Dei altissimi, et ipsum vere fieri filium ejus. Porro ipse terminus et consensus desiderii hujus altitudinem docet. Terminus enim fuit summa impletio desiderii hujus, sicut in puellam aliquam praecurrente consensu Regis et puellae per solemnem et fide dignum nuntium destinato atque denuntiato, cum consensus puellae in idipsum subsequitur, et per ejus verbum Regi vel ejus nuntio plene exprimitur, confestim fit et ratificatur inter eos indissolubile vinculum conjugale: sic et multo altius et immobilius praecurrente hoc consensu Dei per ejus Angelum Virgini denuntiato, mox ad plenum consensum Virginis subsequuta est illa ineffabilis et summe inseparabilis unio Christi ad matrem, et matris ad Filium Dei Christi. (Sermon. IX. l. c.)

tantam laetitiam in corde, quod non poterat ipsam abscondere, quin revelaret aliis ad instar desiderantis habere filium, cui natus fuisset unus pulcher filius masculus, vel qui acquisivisset unum regnum ex inspirato, quia jubilaret in eo, in quo exultaret. Ita beata Virgo *exultavit in Deo salutari suo,* quasi dicat, singularis salvator meus, quia aliqui Doctores speculantes dicunt, quod Deus assumpsit carnem potius ad salvandam Virginem singularem, quam omnes alias creaturas.

Tertius jubilus: *quia respexit humilitatem ancillae suae etc.* Unde nota jocosam et devotam considerationem. Nam postquam Deus creavit Evam valde pulchram, quia fuit pulchrior caeteris mulieribus: quia summus magister magistrorum plasmavit eam: ipse summus opifex in suo viridario deliciarum ivit ad auram postmeridianam, et delectabatur in pulchritudine creaturae suae. Et ecce diabolus post pusillum in forma serpentis cum facie muliebri ascendens arborem incoepit adulari Evae purae et innocenti, volens inducere eam multis suasionibus ad comedendum de pomo vetito; et audiens Deus, quod Eva respondit, *nequaquam, ne forte moriamur:* dixit Deus intra se, quid faciet ista? Et iterum diabolus suadet illi, quod habebit scientiam boni et mali; et videns Deus, quod Eva titubabat, quia posuit se in forte, dicens: *ne forte moriamur etc.* dixit iterum intra se, exspecta modicum, ista fatua contraveniet mandatis meis, quia ipsa est in libero arbitrio; et diabolus magis suadens dixit ei: o Deus est misericors: nec credas, quod Deus velit te mori pro ista minima re, quid nocebit illi hoc? sicut faciunt aliqui peccatores, quibus diabolus suadet, qui peccando dicunt, o Deus est ita misericors, quod miserebitur mei; sed Deus habet unam crumenam habentem multas partes, et secundum opera hominum ipsos locat in partibus diversis suae

Digitized by Google

justitiae ordinatae, et sic neminem perdit: quia in una ponit ducatos, in alia aureos, in alia solidos, et in alia denarios: quia in domo patris mei mansiones multae sunt; et habet unum aliud marsupium, in quo ponit monetas falsas, fractas et extraneas. Et tandem suasionibus diversis diaboli Eva innocens comedit de illo pomo vetito, et facta fuit nocens, et videns se nocentem, etiam suasit suo socio Adae, in tantum, quod postposito praecepto Dei, etiam comedit de illo pomo vetito, propter quod Deus omnipotens indignatus avertit faciem suam ab humano genere, et stetit per quinque millia annorum, quod nunquam aliquis hominum potuit eum videre. Et quando Deus fecit beatissimam Virginem ejus matrem, ipsam fecit suo modo, et fecit omni perfectione virtutum perfectam et contrariam Evae. Nam Maria interpretatur Domina, vel stella maris; et fundavit eam in tanta humilitate, et profunditate virtutum, ut ipsa salutifera virgine matre Domini mediante, Deus ipse converterit suam clementem faciem, quam averterat propter peccatum Adae et Evae humano generi: et *tunc vidimus gloriam quasi unigeniti, etc.* Et hoc est, quod dicit jubilando Virgo beata: *quia respexit humilitatem ancillae suae etc.* Convertendo se, versus Virginem: quasi dicat: venit tempus acceptabile, quo salvabuntur creaturae rationales et mortales, et quo salvabuntur animae glorificatae et glorificandae in Deo. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quia per Evam generatio humana fuit dolore refecta et perdita, et per me fiet gaudio abundans, et recuperata. Ideo *beatam me dicent omnes generationes* redemptae.

Quartus jubilus: *quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus;* quasi dicat, sic me dicent beatam omnes generationes. Ego non feci illud, nec a me provenit, sed processit a Deo, *quia mihi fecit magna.*

Digitized by Google

Et vere *magna*, quia fecit matrem et virginem intactam, et intemeratam; et vere *magna:* quia me matrem Dei. Et quid majus potuisset mihi facere? sed nonne potuisset Deus facere ipsam aequalem sibi? certe non; quia hoc est impossibile, Deum posse sibi aequalem habere, qui potens est facere, et sanctum nomen ejus.

Sequitur quintus jubilus: *et misericordia ejus a progenie in progenies:* quasi dicat de Judæis in Graecos, etc. *timentibus se:* quasi dicat: misericordia Dei est praeparata, non tamen omnibus, sed solum volentibus in veritate timere eum. Et vere est magna et major, quam credas; sed et magna est justitia Dei, sicut nullum bonum est innumeratum: ita et nullum malum transit impunitum: sed super quibus est misericordia Dei? certe *timentibus eum.* Et ideo non qui dixerit: *Domine, Domine, intrabit regnum coelorum,* sed qui fecerit voluntatem Dei.

Sextus jubilus: *fecit potentiam in brachio suo.* Nota regulam certissimam, quod gratia Dei bonis bona facit, et malis mala. Unde si est data una gratia populo: ut puta, quia habet bonos praelatos, vel bonos praedicatores, audientes verbum Dei cum bona voluntate efficiuntur meliores: et talibus continue augebitur gratia, et mali efficiuntur pejores; unde Christus venit in carne bonis in resurrectionem, et malis in ruinam, juxta illud: ego veni in mundum, ut qui non videt, videat; unde Virgo jubilans dicit: *Fecit potentiam in brachio suo: quia Verbum caro factum est. Dispersit superbos mente cordis sui:* et venit ad illuminandam mentem meam, scilicet beatissimae Virginis.

Septimus jubilus loquens de hominibus malis. Quia Virgo Maria conformis voluntati Dei gaudet, quando diabolus portat ad inferos malos. Unde jubilando dicit: *Dispersit superbos mente cordis sui.*

Digitized by Google

Octavus jubilus de Angelis collapsis, scilicet daemonibus gaudet, *deposuit potentes de sede* divina. Et vere *potentes*, quia unus diabolus est potens trahere animas infinitas ad inferos; sed modo non possunt, quod ante incarnationem Verbi poterant: *et exaltavit humiles*, id est, Angelos conformes divinae voluntati in vita aeterna ipsos confirmando.

Nonus jubilus: *esurientes implevit bonis*, quia sicut homo famelicus appetit cibum, et saturari: ita est in fame mentali, et animae: quia anima videns se privatam gratia Dei, tanquam famelica de divina gratia, quaerit illam. Ita homines privati gratia Dei esuriebant, et exspectabant adimpleri prophetias de nativitate Christi, ut recuperarent gratiam mediante profunditate humilitatis Virginis beatae, quam perdiderant per Evam, mediante suasu superbientis, et invidentis diaboli. *Et divites dimisit inanes.* Unde nota, quod non loquitur de habente divitias, qui non multum amat divitias; sed sumitur hic dives pro illo, qui amat valde divitias, quod est valde periculosum: similiter periculosum est habere scientiam, quando inflat hominem: sed ille, qui plus diligit divitias, quam Deum: vel qui propter scientiam inflatur, non potest dici dives, vel doctor: sed potest vere dici pauper et dolens, et miserabilis, quia hujusmodi *divites dimisit inanes.*

Decimus jubilus. *Suscepit Israel puerum suum.* Israel interpretatur videns Deum: quia receperunt assumptionem corporalem, seu personalem puerum, scilicet Christum suum, scilicet promissum illi per prophetas, mediante Deo. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in saecula*, et nota, quod si omnes creaturae angelicae et humanae recolligerent suum velle insimul in una voluntate, non haberent tantam unionem cum Deo, quantum habet B. Virgo Maria sola: quia solus ejus consensus et

Digitized by Google

voluntas, efficit ipsam fieri Matrem Dei in tantum, quod Deus non posset ipsam separare a se: verbi gratia. Imperator mundi non habet uxorem, et volens uxorem ducere, audit de una virgine, quae est pulchrior, sapientior, et magis morigerata, pudica et humilior omnibus aliis, quae reperiri possunt, et non curat de fumo mundi: unde iste Imperator audiens tot virtutes et dotes istius virginis, quaerit habere eam in uxorem, et mittit legatos suos ad eam cum libertate, et pleno mandato, quod si ipsa consentit, et vult esse ejus legitima uxor, quod et ipse Imperator vult, et sic consentiente illa virgine perficitur matrimonium inter eos per verba de praesenti: quo perfecto tanta facta est unio inter eos, quod nunquam possunt separari amplius in aeternum ab invicem, quia facti *sunt duo in carne una: et quos Deus conjunxit, homo non separet.* Sic fuit in beata Virgine: quia per utriusque consensum, Dei et ipsius, facti sunt duo in carne una, et ipse Dei Filius assumpsit humanam carnem a carne ipsius Virginis gloriosae.

Tertia Flamma Amoris Divini,
quæ dicitur communicans.

Tertia flamma est *communicans:* quia anima philocapta in Deo conatur communicare illum amorem omnibus aliis per opera caritatis, et aliarum virtutum, sicut ignis communicat flammam, et calorem suum omnibus circumstantibus, et sicut sol communicat radios suos, et splendorem suae lucis per universum orbem: sic in amante Deum, qui communicat suum amorem etiam non amanti ipsum. Et sic fecit benedicta Virgo Maria, quae cum fuit obumbrata virtute altissimi post annuntiationem angelicam, plena amore divino, *subito consurgens abiit in mon-*

Digitized by Google

tana, etc. Et primo communicavit flammam ardentis sui divini amoris Joanni Baptistae, tamquam jam sanctificato in utero matris, et magis capaci participationibus illius divini amoris, quia debebat esse praeco fidei Christi. *Ego sum vox clamantis in deserto, parare viam Domini:* et interpretatur gratia. Secundo communicavit illum suum ardorem amoris divini cum Elisabeth, salutando eam. Sed qualiter salutavit eam, evangelium non dicit. Sed credendum est, quod ipsa dixerit: Christus sit tecum. *Et subito repleta est Elisabeth Spiritu Sancto.* Ecce amor communicans, quia amor communicatus Joanni communicatur Elisabeth matri, et communicatur postea Zachariae, et sic de communicatione in communicationem, de uno in alium. Et amplexantes se, Elisabeth sensit puerum suum Joannem genuflectere in utero suo uteri Virginis Mariae gloriosae.

Quarta Flamma Amoris Divini

dicitur jubilans.

Quarta flamma est amor *jubilans,* quia divino amore jubilatur: [1]) unde Virgo dixit: *non nobis Domine, non non nobis; sed nomini tuo da gloriam:* unde in cantico decem jubilationes facit in Psalterio decem chordarum. Sed ut intelligas fundamentaliter, nota duo fundamenta divini cultus generalia: unum est altissime de Deo sentire, aliud est experientiam de Deo habere. Et unum

---

[1]) Amoris jubilantis natura est, semper de dilecto psallere et cantare. Dum enim beata Virgo a beata Elisabeth de fide magnificaretur, et benedictus fructus ventris sui glorificaretur, in altissima contemplatione anima ejus subvecta totum in Deum refundens ait: ***Magnificat anima mea Dominum.*** In quo cantico

Digitized by Google

haberi non potest sine alio, sine defectu et diminutione, quia timens Deum debet eum timere cum amore. Ita fuit in Virgine canente: *Magnificat anima mea Dominum:* per ly *Dominum* significat timorem: per ly *Deum* significat dulcorem amoris: quia vidit, se habere majorem gratiam, quam aliqua alia creatura, scilicet vidit se matrem Dei, et Reginam Regni Coelorum: referendo desuper omnes praedictas gratias: et quia erat super omnes creaturas ipsa sola, magis magnificat Deum, quam omnes aliae creaturae coelestes, vel terrestres.

Quinta Flamma Amoris Dei,

quæ dicitur saporans.

Quinta flamma est *saporans,* [1]) unde nota unam regulam, quod omnes sapores amóris divini possunt reduci in duos principales sapores, scilicet in dulcorem, et dolorem, amarum, dulce, et omnes alii possunt reduci ad istos duos: unde quando anima est humiliata agens poenitentiam, sentit in se amarum saporem, et dolorem compunctionis conscientiae de perpetratis malis a se, ét sentit

magnificat et glorificat, atque gratias agit summo Deo de multitudine magnorum beneficiorum suorum. Et primo de beneficiis particularibus; secundum de beneficiis generalibus; tertio de beneficiis singularibus. Et continet hoc canticum decem versus juxta propheticum dictum in Psalm. 32: ***In psalterio decem chordarum psallite illi.*** (Sermon. IX. l. c. p. 112.)

[1]) In loco parallelo serm. IX. flammam saporantem sic explicat Sanctus l. c. p. 115: „Quinta flamma est amoris saporantis. Nam hujusmodi amoris est, intime gustare et saporare et discretive discernere varios sapores amati, sive varias pròprietates ac differentias divini saporis. Duorum saporum genera profecto continet in se Christus, quae omnes alias diversorum saporum

Digitized by Google

dulcorem amoris Dei in ipso Deo: unde Apostolus: *scio abundare, et penuriam pati; abundare* de quo, scilicet gratiis Dei mihi datis et iste est sapor dulcis; *et penuriam pati:* quia quandoque Deus dat abundantiam saporis sui amoris, et gratiarum, et post ea recedit totus ille sapor ab anima, et relinquit ipsam nudam, et patitur penuriam gratiarum, quibus primo abundabat, et anima tunc amaricatur, et remanet tota tristis, et collapsa in aliquod peccatum: fornicator clamans ad Deum, quaeritat eum, et poenitentiam agendo gustat tunc illum amarum saporem: quia si Deus semper staret tecum, non ita cognosceres dulcorem amoris sui: sed deficit tibi, tunc magis desideras eum, et multo magis cognoscis eum. Sic accidit in fratre Joanne de Lavernia: qui dum esset plenus gratia Dei, et postea gratia Dei recessisset ab eo, remansit infirmus et

---

differentias in se concludunt. Primus est sapor dulcoris, secundus est sapor doloris seu amaritudinis. Et hi continentur in quinto Virginis verbo. Primus est sapor tenerrimi dulcoris, quem quantum Beata Virgo gustaverit, ostendit principium quinti verbi sui, in quo sub admirabili haustu et sub mira singularitate tenerrimi dulcoris vocavit Jesum filium suum dicens sedenti in templo inter Doctores: ***Fili, quid fecisti nobis sic?*** . . . . Filius enim a ***filos***, quod est ***amor***, denominatur; et in ore matris gustum gerit tenerrimi ac praecordialissimi dulcoris: et maxime, quando est tanta ac talis, quanta est filiatio Dei. Porro omnis amoris signum superatur in hoc verbo ***Fili***. . . . Nihil in amore brevius, nihil efficacius ad proferendum. . . . Non potuit amplius Virgo mater continere affectum, cum in verba expressivi amoris erumpit, non aliunde ipsum denominans, nisi quod ipse sit filius, ipsa mater, nullam loquendi copiam plus apponere valuit, quam filiale nomen. . . . Secundus est sapor doloris seu summae amaritudinis, quam cum amorosissimo dolore explicat pia mater, cum inquit: ***Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*** . . . mystice gustus iste afflictivus est et amarus et

Digitized by Google

tanquam homo perditus, et lapideus, et inscius sui ipsius; unde scriptum fuit per quemdam fratrem: magnum reputavi, et reputo scire abundare de Deo: sed majus reputavi, et reputo scire penuriam pati a Deo. Scire de Deo, est bene stare cum eo; et uti sapore dulcoris amoris sui: sed magis est scire habere penuriam de eo, scilicet sentire tentationes corporales, et adversitates, sicut Job, qui maledixit diem suae nativitatis, ita fuit corporalibus, et temporalibus tentationibus involutus. Et quare est magis sentire penuriam de Deo? quia tunc fides magis augetur, et plus est credere sine miraculis, quam credere propter miracula. Item spes est tunc sine spe praemii, et caritas sine dilectione, et peccator magis humiliatur, et obligatum magis se reputat Deo: verbi gratia, erunt tres: uni istorum interfecisti fratrem, alteri nunquam fecisti nec bonum, neque malum: alteri donasti medietatem bonorum, quae possides, et omnes isti tres te aequaliter diligunt in caritate: quis plus te diligit? certe ille, cui interfecisti fratrem, quia amor verus est ille, qui provenit sine spe praemii, et cum caritate vera et non ficta, et sine amore lucrativo. Nam sunt aliqui hominum, qui nunquam irent ad ecclesiam, nec dicerent unum Pater noster, nisi sperarent habere praemium a Deo.

---

exercitativus ac mentis promotivus in altivolo discessu amati ex perditione dilecti, quo anima tota ab ipso dependens quiescere non potest, semper zelotypa, ne ex aliqua culpa discedat. . . . Hos duos amoris gustus expertus est vas electionis Paulus, quod ostendit, cum ad Phil. 4. ait: *scio abundare*, scilicet spiritualibus consolationibus; *et penuriam pati*, scilicet in absentia earundem, et perpessione adversitatum." . . . Ex his manifesto apparet, incongrue omnino in plerisque omnibus editionibus novi Officii purissimi Cordis B. M. V. legi in Lect. VI: *quinta* (flamma) *amoris soporantis; saporantis* quippe substituendum esse, authenticum S. Bernardini docet.

Digitized by Google

Sexta Flamma Amoris Divini,
quæ dicitur compatiens.

Sexta flamma est amor Dei *compatiens:* [1]) nam gloriosa Virgo compatiens humano generi propter ejus caliginem ignorantiae, nihil aliud voluit dicere, quando ipsa dixit: *vinum non habent,* nisi quod mundus adhuc te non cognoscit: unde clarifica te, ut te cognoscat, et cognoscendo te credat, et credendo salvetur; et fuit sextum verbum, quod reperitur dixisse in sacra scriptura. Nam ad salutem humani generis oportet, quod tu cognoscaris: et primum miraculum, quod fecit Dominus noster Jesus Christus clarificando se, fuit factum mediantibus precibus, et orationibus V. Mariae, et denotandum, quod fuit beata Virgo fons gratiae: unde Deus fuit dator, Christus mediator, Virgo vero fuit intercessor.

Septima Flamma Amoris Divini,
quæ dicitur consummans.

Septima flamma *consummans:* unde Virgo intemerata plena desiderio implendi omnem voluntatem Dei, habebat in se flammam amoris divini, consummandi omnia mandata Dei, et omnia signa voluntatis Dei, et id quod ipsa

---

[1]) Amoris compatientis natura est, pia passione sentire defectus duplicis gustus, de quo in praecedente capitulo dictum est, atque portare anxiae spiritualis Christi laetitiae et melodiae defectus, et multo amplius condolere multitudini peccatorum et defectibus, qui sunt in miserandis statibus hujus vitae. . . . . Hoc est igitur illud verbum admirandae compassionis et pietatis, quod dulcissima mater Christi et advocata nostra et in terris et in coelis pro nobis miserabilibus et infirmis tanquam pia mater pro filiis suis undique deplorandis dicit dilecto primogenito suo: ***Vinum non habent.*** (Sermon. IX. l. c. p. 116.)

Digitized by Google

in se fecit, voluit communicare omnibus; quia voluit omnes sanctos fieri, sicut ipsa; in tantum, quod voluisset lapides et omnes creaturas sanctificari, et amorem Dei habere. Et ideo Virgo sanctissima dixit, *facite quaecunque dixerit vobis,* quia ego feci id, quod dixit mihi per Angelum: et similiter vos faciendo, quaecunque dixerit vobis, habebitis amorem ejus consummantem, et alias flammas amoris divini supradictas, sicut et ego habeo; et sic digne dicetis mecum: *quam dulcia sunt faucibus meis eloquia tua,* Domine in vita aeterna, ad quam nos perducere dignetur per suam misericordiam Dominus noster Jesus Christus, Deus et homo, Filius beatissimae Virginis gloriosae, qui trinus vivit, et vivet per infinita saecula saeculorum semper benedictus. Amen.



Digitized by Google

PARS III. ASCETICA.

SECTIO I.

VARIA PIETATIS EXERCITIA AD CULTUM SS. CORDIS JESU PERTINENTIA.

Digitized by Google

Quamquam in cultu SS. Cordium Jesu ac Mariae affectum animi sequi praestet, quam formulae cuipiam scriptae scrupulosius adhærere; tamen ejusmodi formulas ad exemplum et imitationem apponere consultum semper visum est.

(**Gallifet:** de cultu SS. Cordis lib. III, c. 5.)

Digitized by Google

SECTIO I.

PIETATIS EXERCITIA ERGA SS. COR JESU.

CAPUT I.

PIETATIS EXERCITIA EX LIBRIS LITURGICIS DEPROMPTA.

---

§. I.

EX MISSALI.

Missa **Miserebitur.**

Introitus.

Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex Corde suo et abjecit filios hominum: bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum, Alleluja, Alleluja. [1]

Psalm. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem. Gloria Patri. Miserebitur.

---

[1]) „In Introitu Missae Sacratissimi Cordis Jesu duo leguntur *Alleluja*. In Missis votivis extra Adventum (Septuagesimam?) et Quadragesimam tolline debent ista *Alleluja?* S. R. C. respondit *Affirmative*. Die 16. Septembris 1865." (Analecta Juris Pontificii mense Novemb. an. 1867, p. 1132.)

Digitized by Google

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus; ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem D. N. J. Ch.

Lectio Isaiæ Prophetæ. Cap. 12.

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino quoniam magnifice fecit: anuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

Graduale. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

℣. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Alleluja, Alleluja.

℣. Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.
Cap. 19.

In illo tempore: Judaei, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus

Digitized by Google

militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus.

Offertorium. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui replet in bonis desiderium tuum. Alleluja.

Secreta.

Tuere nos, Domine, tua Tibi holocausta offerentes; ad quae, ut ferventius corda nostra praeparentur, flammis adure tuae divinae caritatis. Qui vivis et regnas.

Præfatio de Passione.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens. aeterne Deus: Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti: ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli coelorumque virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes.

Communio. Improperium exspectavit Cor meum et miseriam, et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur et non inveni. Alleluja.

Postcommunio.

Pacificis pasti deliciis et salutaribus sacramentis Te supplices exoramus, Domine Deus noster, ut, qui mitis es et humilis Corde, nos a vitiorum omnium labe purgatos propensius facias a superbis saeculi vanitatibus abhorrere. Qui vivis et regnas.

Digitized by Google

Missa Egredimini.

Introitus.

Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus et in die laetitiae Cordis ejus.

Psalm. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Gloria Patri. Egredimini.

Oratio.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui et affectibus inflammari, ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. 3.

Fratres! Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati, et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Graduale. Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.

Digitized by Google

℣. Non erit tristis neque turbulentus: non clamabit, nec audietur vox ejus foris. Alleluja, Alleluja.

℣. Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde: et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.

Post Septuages. **Grad.** Improperium exspectavit Cor meum et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Tractus. Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis.

℣. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput.

℣. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est Cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

Temp. Pasch. Alleluja, Alleluja.

℣. Domine, Deus meus, clamavi ad Te, et sanasti me: eduxisti ab inferno animam meam. Alleluja.

℣. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.
Cap. 15.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. Jam non

Digitized by Google

dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

Offertorium. Domine Deus, in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa; et populum tuum vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: Deus Israel, custodi hanc voluntatem cordis eorum.

Secreta.

Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit.

Præfatio de Nativitate.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes.

(A Septuagesima usque ad Pentecost. **Præfatio de Cruce.***)*

Communio. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: in aeternum misericordia ejus. Alleluja.

Digitized by Google

Postcommunio.

Praebeant nobis, Domine Jesu, divinum tua sancta fervorem, quo dulcissimi Cordis tui suavitate percepta discamus terrena despicere et amare coelestia. Qui vivis et regnas.

Missa Gaudeamus.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore sacratissimi Cordis Jesu, de cujus solemnitate gaudent Angeli et collaudant Filium Dei.

Psalm. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini! Gloria Patri. Gaudeamus.

Oratio.

Deus, qui sacratissimum Cor Jesu Christi Filii tui Domini Nostri Fidelibus tuis summo caritatis affectu amabile reddidisti, concede propitius, sic nos illud venerari et amare in terris, ut per ipsum et cum ipso, et te et ipsum amare, et a te et ab illo aeternum amari mereamur in coelis. Per eundem D. N. J. Ch.

Lectio Isaiæ Prophetæ. Cap. 55.

Haec est haereditas servorum Domini, et justitia eorum apud me, dicit Dominus. Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur

Digitized by Google

in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus. Ecce, gentem, quam nesciebas, vocabis, et gentes, quae te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum et Sanctum Israel, quia glorificavit te.

Graduale. Ego sum ostium, dicit Dominus; per me si quis introierit, salvabitur et pascua inveniet.

℣. Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Alleluja, Alleluja.

℣. Hoc sentite in cordibus vestris quod in Corde Jesu: omnia in humilitate et caritate fiant. Alleluja.

Post Septuages. Omissis Alleluja cum V. dicitur: Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Tempore Pasch. Omisso Graduali dicitur: Alleluja, Alleluja. ℣. Ego diligentes me diligo et omnes recti corde diligunt me, et qui me oderunt, diligunt mortem. Alleluja. ℣. Gratia cum omnibus qui diligunt Cor meum, quia diligunt Christum ex toto corde suo. Alleluja.

Seqnentia sancti Evangelii secundum Matthæum.
Cap. 11.

In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et

Digitized by Google

onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Corde Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluptatem Domini et visitem templum ejus.

Secreta.

Suscipe, Domine, holocaustum perpetuum Cordis Jesu Christi Filii tui, Domini Nostri, et sit propitiatio pro peccatis nostris, ut gratiam tuam consecuti, in eo uno vivamus, qui pro nobis mori dignatus est: qui tecum vivit et regnat.

Præfatio de Nativitate.

Communio. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum; beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.

Postcommunio.

Concede nobis, misericors Deus, ut pasti deliciis sacramenti Cordis amantissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi iis ita inebriemur, ut mortui saeculo tibi soli vivamus cum unigenito Filio, qui tecum vivit.

Missa **Venite ad me omnes.**

Introitus.

Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Digitized by Google

Psalm. Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum et refugium meum; Deus, susceptor meus. Gloria Patri. Venite.

Collecta.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles tui Cordis divitias Ecclesiae sponsae tuae, singulari dilectionis beneficio, aperire dignatus es; concede propitius, ut gratiis coelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus corda nostra ditari ac recreari mereantur; Qui vivis et regnas etc.

Fit commemoratio sacratissimi Cordis B. Mariae Virginis.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium, Cor immaculatum beatae Mariae Virginis divino Cordi Filii tui Jesu Christi caritate et misericordia simillimum esse voluisti; concede, ut, qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem beatae Virginis meritis et intercessione, secundum Cor Jesu inveniri mereamur; Per eundem.

Lectio Isaiæ Prophetæ. Cap. 53.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit?

Digitized by Google

Graduale. Pater Domini nostri Jesu Christi det vobis, secundum divitias gloriae suae, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, ut possitis comprehendere, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.

℣. Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Alleluja, Allel. ℣. Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu. Allel.

Post Septuagesimam omissis Alleluja *cum* ℣. *et Prosa dicitur:*

Tractus. Improperium exspectavit Cor meum et miseriam, et sustinui qui consolaretur, et non inveni.

℣. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. ℣ Unus militum lancea latus ejus aperuit. ℣. Surge, amica mea, et veni in foraminibus petrae, in caverna maceriae.

Sequentia. [1]

Venite cuncti, currite
Ad Cor Jesu mitissimum:
Cunctos vocat, confidite
Amoris est incendium.

En illa vobis panditur
Fornax amoris ignea;
En militis recluditur
Is gratiae fons lancea.

O Cor, amoris victima,
Amore nostri saucium,
Mortalium spes ultima,
Solamen hic moerentium.

---

[1]) Hodieque in pluribus Dioecesibus Galliae dicitur v. g. in Dioec. Bellovacensi, Noviomensi, Silvanectensi, ut patet ex earundem Ordine Divini Officii an. 1860, p. 44.

Digitized by Google

Tu Trinitatis gloria,
Unit tibi se Filius,
Sunt Patris in te gaudia,
In te quiescit Spiritus.

Tu portus orbi naufrago,
Reis asylum mentibus,
Cordi cibus famelico,
Certa quies fidelibus.

Hic tuto parant milites
Pulso pavore praelia;
Pax alma virtutis comes
Hic sede regnat propria.

Quibus nitescunt virgines
Hic casta fragrant lilia;
Et unde fulgent martyres
Blande rubescit purpura.

Hoc quibus mundus agitur
Vices reguntur pectore,
Hoc et quibus abluitur,
Manant fluenta gratiae.

O Cor! Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.

O Cor! amore saucium,
Amore corda saucia;
O jugis amor Coelitum,
Amore nos inebria. Amen.

Digitized by Google

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

In illo tempore: Judaei, quoniam Parasceve erat . . . et verum est testimonium ejus. Vide supra in Missa *Miserebitur.*

Offertorium. Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur? Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor, usque dum perficiatur.

Secreta.

Cordibus nostris, omnipotens Deus, spiritum et unctionem dilectissimi Filii tui Jesu benignus infunde; ut nos uno Spiritu et uno corde cum ipso unam eamdemque hostiam immolantes, tibi etiam nosmetipsos munus aeternum offerre mereamur; Per eundem.

Fit commemoratio sacratissimi Cordis beatae Mariae Virginis.

Majestati tuae, Domine, agnum immaculatum offerentes, quaesumus, ut corda nostra ignis ille divinus inflammet, quo accensum Cor sanctissimae Virginis Mariae agnum Filium suum tuumque unigenitum in ara crucis tibi obtulit, Jesum Christum Dominum nostrum; Qui tecum vivit et regnat.

Praefatio propria.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum Nostrum: Qui sacrum Cor suum, divini amoris fornacem, per latus transfixum lancea, mundo patere voluit, ut eandem flammam in hominum corda transfunderet; Cor mundum animas

Digitized by Google

mundans; Cor summe sanctum sanctitatem conferens; Cor benignum volens omnes salvos fieri, et in coelesti regno feliciter coronari. Et ideo divinum illud Cor omnium virtutum fontem pie veneramur; cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae Deo Patri, parem hymnum Deo Filio, hymnum parem Spiritui Sancto unanimi voce concinimus sine fine dicentes: Sanctus etc.

Communio. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.

Postcommunio.

Exaudi, quaesumus, clementissime Pater, preces familiae tuae toto corde tibi prostratae; et praesta, ut amantissimi Cordis dilecti Filii tui immensa caritas cordis nostri intima magis ac magis penetret, divinum in nobis semper augeat fervorem; Per eundem.

Commemoratio sacratissimi Cordis B. Mariæ Virginis.

Domine Jesu Christe, qui de virginalis uteri thalamo procedens, in ejusdem intemeratae Virginis Corde suaviter ac perpetuo quievisti; quaesumus, ut peractis corporis et sanguinis tui Mysteriis, jugiter in cordibus nostris habitare digneris; Qui vivis et regnas etc.

Missa **In capite libri.**

Introitus.

In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus volui et legem tuam in medio Cordis mei.

Digitized by Google

Psalm. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam in gloria mea. Gloria Patri. In medio libri.

Reliqua ut in Missa praecedenti **Venite ad me omnes,** *praeter prosam de reparandis injuriis illatis Christo in SS. Sacramento, quae refertur etiam in Missali Parisiensi anni 1739, pag. CXLIX.*

Sequentia.

Plange Sion, muta vocem;
Da lamentum, et atrocem
Dic furorem hominum.

Multum amans, multum plora:
Erit Deo laus decora
Vivus horror criminum.

Non est Deo jam litare;
Non hanc coenam manducare,
Quae dat vita vivere.

Caedi rursum destinatur,
Rursum probris saturatur,
Qui nos venit quaerere.

Quam nefande nuntiatur,
Quam indigne renovatur
Crucis improperium!

Tradit, negat, fugit discipulus:
Dux, rex, miles, sacerdos, populus
Urgent Deicidium.

Amor Dei quod expressit,
Ad salutem quod concessit,
Transit in judicium.

Digitized by Google

Sanctus hic polluitur,
Vero contradicitur,
Fert Bonus opprobrium.

Agnus idem coeli thronum,
Et altaris sacrat donum;
Quam diverso pretio?

Coelo lux est, nox in ara:
Laus in coelis, hic amara
Instat contradictio.

Coeli plaudunt qui gaudentes,
Hic acerbe condolentes
Adstant pacis nuntii.

O vos, tristes ululate,
Iram in vos formidate
Venientem, impii!

Agnis agnus, haedus haedis
Pura mundis, tetra foedis
Dat referre praemia.

Ara Christi se mactantis
Fit tribunal judicantis:
Fertur jam sententia.

Sermo durus vobis sonat,
Quem sincera fides tonat?
Exit sermo durior.

Ad hanc coenam non intrare,
In aeternum non gustare
Damnat Rex severior.

Spectat intro discumbentes
Vestes inter tot fulgentes
Ecquis nudus cernitur?

Digitized by Google

O quod pondus catenarum:
O quis horror tenebrarum,
Queis ligatus traditur!

Quot infirmi sopiuntur,
Mortis somno quot premuntur,
Rei carnis Domini!

Heu! quo caeci vos abitis?
Vitam praestat vera vitis:
Quare moriemini?

At nos ad quem juvat ire?
In quem juvat nos sitire?
A te Jesu, quem audire,
Via, vita, veritas?

Non jam stamus irridentes:
Cor superbum conterentes,
Laudi planctum commiscentes,
Mentes damus subditas.

Et nos super ceciderunt,
Quae te probra tetigerunt:
In profanos exarserunt
Corda te timentium.

Agne mitis, expiatum
Mundi tollis qui peccatum
Quo te flemus conculcatum
Tolle nefas impium.

Os occlude blasphemanti,
Sana mentem nauseanti,
Ne des sanctum usurpanti;
Ne te credas non amanti:
Fac te cuncti paveant.

Digitized by Google

Scelus adhuc dum videmus
Fletus praeter quid nos demus?
En nos tibi devovemus:
Fletus ipse, quos spondemus,
Da, qui tibi placeant. Amen.

Sequentia ex Missa „Gaudeamus".

Lauda Sion Salvatoris
Jesu Nomen, et amoris
Toto cordis jubilo.

Nomen sanctum nos amare
Decet semper, et laudare
Absque mentis nubilo,

Jesu nomen potestatis,
Atque aeternae Majestatis
Summi Patris brachium.

Coelos fecit, terrae molem
Jesu nomen, atque Solem
Et coeleste gaudium.

Angelorum ingens coetus
Protoplastesque perfectus
Fuit Jesu Nomine.

Ut aquarum magni fontes
Sunt immissi super montes
Justo rerum ordine.

In Aegypto fecit signa
Jesu Nomen: et maligna
Perdidit prodigia.

Scisso pelago, transvexit
Israelem, et demersit
Hostium insignia.

Digitized by Google

Hujus Nominis virtute
Superborum sunt destructae
Daemonum potentiae.

Simulacra idolorum
Sunt eversa: tyrannorum
Fractae violentiae.

Jesu Nomen figuratum
Vehementer exspectatum
Patrum desiderio.

Revelatum nobis quidem
Dedit spem, amorem, fidem
Maximo mysterio.

Nomen ergo hoc amandum
Toto corde et adorandum
Omni reverentia.

In adversis Nomen sanctum
Invocetur Jesu tantum:
Aderit praesentia.

Praesentia Deitatis,
Et totius bonitatis
Dulcis Jesus aderit.

Fugat morbos et livores,
Sed et animi languores
Jesus ubi venerit.

Veni ergo Jesu bone,
Et te cordi nostro pone
Nobile signaculum. Amen.

Digitized by Google

IN FESTO
B. MARGARITAE MARIAE ALACOQUE, VIRG.
DIE XVII. OCTOBRIS.

Missa de Communi Virginum, praeter orationes sequentes.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui Beatae Margaritae Virgini mirabiliter revelasti, da nobis ejus meritis et imitatione, ut te in omnibus et super omnia diligentes jugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereamur. Qui vivis.

Secreta.

Accepta tibi sint, Domine, plebis tuae munera, et concede, ut ignis ille divinus nos inflammet, quo de Corde Filii tui emisso Beata Margarita vehementer aestuavit. Per eundem.

Postcommunio.

Corporis et Sanguinis tui, Domine Jesu, sumptis mysteriis concede nobis quaesumus, Beata Margarita Virgine intercedente, ut superbis saeculi vanitatibus exutis, mansuetudinem et humilitatem Cordis tui induere mereamur. Qui vivis.

Digitized by Google

§. II.
EX BREVIARIO ROMANO.

Preces quotidianae
a pluribus Prælatis Germaniae personis ecclesiasticis praescriptae.

Post Vesperas.

Hymnus.

Quicumque certum quaeritis
Rebus levamen asperis:
Seu culpa mordet anxia,
Seu poena vos premit comes:

Jesu, qui ut agnus innocens
Sese immolandum tradidit,
Ad Cor reclusum vulnere,
Ad mite Cor accedite.

Auditis, ut suavissimis
Invitet omnes vocibus?
Venite, quos gravat labor,
Premitque pondus criminum.

Quid Corde Jesu mitius?
Jesum cruci qui affixerant,
Excusat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor impios.

O Cor! voluptas coelitum,
Cor fida spes mortalium,
En hisce tracti vocibus
Ad te venimus supplices.

Digitized by Google

Tu nostra terge vulnera
Ex te fluente sanguine:
Tu da novum cor omnibus,
Qui te gementes invocant. Amen.

Ant. [1]) Misericordia Domini a progenie in progenies timentibus eum. (Alleluja.)

℣. Ego autem in Domino gaudebo.

℟. Et exultabo in Deo Jesu meo.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari: ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

Post Laudes.

Hymnus.

Summi Parentis Filio,
Patri futuri saeculi,
Pacis beatae Principi,
Promamus ore canticum.

Qui vulneratus pectore
Amoris ictum pertulit,
Amoris urens ignibus,
Ipsum qui amantem diligunt.

Jesu doloris victima,
Quis te innocentem compulit,
Ut dura apertum lancea
Latus pateret vulneri?

---

[1]) In insigni hac Dioecesi Brixinensi omitti solent Antiphonae.

Digitized by Google

O fons amoris inclyte!
O vena aquarum limpida!
O flamma adurens crimina!
O Cordis ardens caritas!

In Corde, Jesu, jugiter
Reconde nos, ut uberi
Dono fruamur gratiae
Coelique tandem praemiis.

Semper Parenti, et Filio
Sit laus, honor, sit gloria,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Ant. Per viscera misericordiae suae visitavit nos Deus, et fecit redemptionem populi sui. (Alleluja.)

℣. Mihi autem adhaerere Deo bonum est.
℟. Ponere in Domino Deo spem meam.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi *ut supra.*

Oratio s. Bernardi ad Cor Jesu vulneratum. [1]

(e ll. II. Nocturn.)

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo. Accedamus ad te, et laetabimur et exultabimus in te,

[1] De vulnere SS. Cordis Jesu dignus est qui legatur canon Concilii Viennensis an. 1311, relat. in *Clementin.* cap. *Fidei* un. de summa Trinitate et fide catholica (I, 1.).

Digitized by Google

memores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in Corde hoc! Bonus thesaurus, bona margarita, Cor tuum, bone Jesu.... Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia et comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum in Cor Domini Jesu: ad hoc templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo et laudabo nomen Domini, dicens cum David: inveni Cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris et amici benigni Jesu, et numquid non adorabo? Orabo utique, Cor enim illius meum est, audacter dicam: nam si caput meum Christus est, quomodo, quod capitis mei est, non meum est? Hoc igitur Corde tuo et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum: admitte tantum in sacrario exauditionis tuae preces meas; imo me totum trahe in Cor tuum. O omnium speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, ut in Corde tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus; ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab omnibus perturbationibus absoluti habitare possimus. Et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi, quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur?

Digitized by Google

Preces Romanae

in templo Sanctae Mariae de Pace recitari solitae in fine publici exercitii expiationis pro injuriis SS. Cordi Jesu inflictis maxime tempore Bacchanalium.

Hymnus.

En, ut superba criminum
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt,
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit.

Ex Cordo scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur:
Hoc ostium Arcae in latere est
Genti ad salutem positum.

Ex hoc perennis gratia
Ceu septiformis fluvius;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.

Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacerent;
Sed aemulemur cordibus
Flammas amoris indices.

Hoc, Christe, nobis; hoc, Pater,
Hoc Sancte, dona, Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

Digitized by Google

℣. Cor Jesu flagrans amore nostri.
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Oremus.

Concede, quaesumus, Omnipotens Deus, ut qui in Sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos Caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu.

Deus omnium fidelium Pastor et Rector, Famulum tuum N., quem Pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo quibus praeest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiæ tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hymnus.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui!
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

℣. Panem de coelo praestitisti eis:
℟. Omne delectamentum in se habentem.

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas etc.

Commemoratio SS. Cordis Jesu.

(*E Breviario Gallicano.*)

Post Vesperas.

Hymnus.

Jesu paterni pectoris
Et Virginis Cor unicum.
Cordis tui mirabilis
Omnes canant praeconium.

O Cor amator numinis
Amore Patris igneum,
Amore flagrans Virginis,
Amore nostri saucium!

Nam sponsa corde saucia,
Te vulneratum vulnerat,
Te dissecat mors impia,
Et hasta dire perforat.

Ave dolorum victima,
Centrum Crucis, Rex Martyrum,
Fac nostra sit crux gloria,
Amor, corona, gaudium.

O Cor amore saucium
Amore corda saucia,
Vitale nectar coelitum,
Amore nos inebria.

Digitized by Google

Tu Caritatis hostia,
Mortalium salvatio,
Aperta cunctis gratia
Et omnium redemptio.

Venite gentes, currite
Ad Cor Patris mitissimum,
Omnes amat, confidite,
Amoris est incendium.

En cernitur patescere
Fornax amoris flammea,
Flammis volo me tradere,
Me devoret mors ignea.

Amor Pater clementiae,
Amor Redemptor omnium,
Amor Deus fons gratiae,
Regnes in omne saeculum. Amen.

Ant. Vere dignum est Cor Sacratissimum Jesu accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem, quoniam in eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, et in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis. (Alleluja.)

℣. Sic nos dilexit Jesus, ut daret nobis Cor suum. (Alleluja.)

℟. Gratias ei super inenarrabili dono ejus. (Allel.)

Oratio *ut ad Laudes.*

Post Laudes.

Hymnus.

Cor, digna sedes numine,
Te sacra virtus flaminis
Illapsa in alvum Virginis
Puro creavit sanguine.

Digitized by Google

Hic sacra virtutum cohors,
Custos comesque candidae
Fidelis innocentiae
In sede regnat propria.

Hoc jura, quae mundum regunt,
Volvuntur alto pectore,
Hoc fonte, quae mentes beant,
Manant fluenta gratiae.

Cor, ara coelo celsior,
Terris marique latior,
Quas ante non exceperis
Deus repellit hostias.

Ex Te quot actus prodeunt,
Tot digna Patre munera
Quot vota fundis, tot Pater
Justa rependit praemia.

O Cor, Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.

O Cor, amoris victima,
Coeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes ultima.

Tu portus orbi naufrago,
Secura pax Fidelium,
Puris asylum mentibus,
Puris recessus cordibus.

Nidus gementis turturis,
Gratum columbis pabulum,
Hortus refulgens floribus,
Sponsae quies et lectulum.

Digitized by Google

Hic casta spirant lilia,
Quibus nitescunt virgines,
Hic unde splendent martyres
Blande rubescit purpura.

Ant. Benedictum sit Cor amantissimum Jesu, fons vivus benedictionis, fornax amoris, thronus divinae voluntatis, sanctuarium divinitatis. (Allel.)

℣. Omnis spiritus laudet Cor Jesu. (Allel.)

℟. Et diligant illud omnia corda. (Allel.)

Oremus.

Deus, qui omnes thesauros sapientiae et scientiae atque omnium gratiarum tuarum plenitudinem posuisti in Corde Filii tui, ut ex ipso quasi ex fonte divino in omnes Sanctos, Angelos et homines abundanter effluerent: concede, quaesumus, sic Cordis ejusdem illustrari splendoribus, ut eodem spiritu repleti novum tibi cantemus canticum, et intus renovati tibi similes esse mereamur. Per Dominum.

CAPUT II.

VARIA PIETATIS EXERCITIA ROMANIS JUDICIBUS PROBATA.

---

§. I.

EX OPERE P. GALLIFET.

Exercitium laudis et adorationis ad Cor Jesu.

O Cor Jesu divinissimum, hominum atque Angelorum adoratione dignissimum! Tu, aeterno Verbo indissolubili nexu conjunctum. Tu, summi Dei verum Cor: ipso Deo

dignum: Dei sanctitate sanctum. Divinae bonitatis, caritatis, misericordiae vere particeps: cujus omnes affectiones et sensus infinitae Dei majestati condignas esse necesse est. O Cor ineffabile ac vere incomprehensibile, infinitis laudibus infinitisque obsequiis merito prosequendum! Tu, virtutum omnium origo. Tu, donis omnibus coelestibus cumulatissime ditatum. Tu, bonorum omnium fons inexhaustus. Tu, aeternae et increatae caritatis dignissima sedes. Tu, sola victima divinae justitiae digna: irae divinae placandae sola potens ac sufficiens. Tu, unum amore divinae bonitatis ipsius digno arsisti: in te uno demum sanctissima Trinitas super omnia sibi complacuit. Tu, ecclesiae necessitatibus mira dispensatione providens, caritate multorum refrigescente, eam hoc tanto munere ditare voluisti, ut amoris thesauros in te reconditos in eos, qui se tibi devovere vellent, effunderes. O me fortunatum! quem tua licet indignum misericordia, harum tamen divitiarum participem esse voluisti: cognitionem tuorum mirabilium infundendo, meque ad cultum tuum alliciendo. Ad te igitur supplex accedo, o Cor millies adorandum! Tu me, justissimum laudis et adorationis tributum tibi debitum deferre conantem adjuva: atque in devotorum tuorum numerum adscribi ardenter cupientem admitte. Ecce infinitam tuam dignitatem et excellentiam pronus agnosco. Te, quam possum, demississime veneror et prostratus adoro. Verum, quum plane sentiam, te vilibus affectionibus meis pro dignitate honorari neutiquam posse, ut impotentiae meae quoquo modo, et quoad licet, suppleam, laudes et honores tibi ab omnibus Angelis et sanctis in Coelo delatos offero. Majus etiam aliquid ac te dignius deferre audeo: videlicet Cor immaculatum Mariae, quod unum ad te colendum prae omnibus caeteris aptissimum est. Affectiones ergo meas omnes hujus

sanctissimi Cordis affectionibus conjungo: hocque fretus adjutorio ac societate me tibi totum offero, meaque omnia tuae gloriae penitus consecro. Tu vota clemens exaudi, ac perfice. Amen.

Exercitium amoris ad Cor Jesu.

O Cor amantissimum Jesu, adorandis Filii Dei perfectionibus amabilissimas Filii hominis perfectiones ineffabili modo conjungens! Tu, cordium omnium nobilissimum, generosissimum, latissimum, liberalissimum, magnificentissimum; simulque mitissimum, humillimum, purissimum, innocentissimum, patientissimum, misericordia exuberantissimum, denique ardentissima erga homines caritate plenissimum. Tu, Cor Redemptoris nostri, Amici nostri, Fratris nostri, Patris nostri, Sponsi animarum nostrarum. Tu, immaculatae Virginis, Matris nostrae, purissimo sanguine formatum: Tu, principium vitae humanae amantissimi Servatoris. Tu, causa et origo pretiosi illius Sanguinis, quo redempti sumus. Tu, verus nostrum omnium amator, justos simul et peccatores ineffabili caritate complectens, fons perennis misericordiae. Tu, amore nostri, grandi vulnere lancea sauciatum. Tu, refugium animarum sanctarum. Tu, grata columbae requies. Tu peccatorum nostrorum innocens victima, Dei justitiae pro nostra salute immensis doloribus immolata. Ecquae igitur res existere potest amore nostro ac gratiis te dignius? Accipe ergo, o Cor sanctissimum, suavissimum, dulcissimum, amabilissimum, accipe, quos offero, intimos cordis mei sensus, eosque te dignos effice. Tibi gratias immensas ago pro tua in me et in omnes homines dilectione, innumerisque in nos collatis beneficiis. Me tibi arctissime conjungo: te toto cordis affectu, tenerrimoque praecordiorum sensu complector, et amo. Me tibi totum devoveo, meaque omnia

tibi committo. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, tibi amor, tibi imperium cordium in aeternum. Amen.

Invocatio ad Cor Jesu.

O Cor Jesu, cordium omnium dominator legitime, imo et unice! Tu corda nostra tuae illi tam justae dominationi penitus subjice, ac jure tuo tota posside. Ingrata etiam atque rebellia clementer et potenter tibi servire compelle. Imperium illud tuum sanctissimum, aequissimum, suavissimum in ea constanter exerce. Fac, ut in rebus omnibus voluntati tuae subjecta, a te nusquam ac nullatenus discrepent. Obsecro etiam te, o Cor sanctissimum, cordium omnium exemplar perfectissimum, ut corda nostra tibi similia humilitate, mansuetudine, patientia, caritate, reddere digneris. Tu terrestres, quibus premuntur, cupiditates coelestibus tuis affectionibus reprime, expelle, restingue: nutantia confirma: egentia dita: ad res infimas prona erige: inclinata subleva: dura emolli: immunda purifica: frigida igne illo, quo ardes, inflamma: imperfecta eorum benigne perfice: demum talia redde, ut te amare, te colere, te imitari valeant, et in aeternum te possideant. Amen.

Pro injuriis Cordi Jesu inflictis voluntaria expiatio ad Cor Jesu.

O Cor Jesu, amore hominum ardentissimum, simulque ob spretum amorem tuum afflictissimum! Nihil a te olim, dum in terris ageres, praetermissum est, viribus etiam exhaustis penitus atque consumptis, quo hunc tuum immensum amorem certissimis ac stupendis signis testatum relinqueres: neque tamen tibi tunc temporis quidquam ab ingratis hominibus praeter injurias repensum est. Tu eodem in nos amore etiamnum in Eucharistia flagras: non

Digitized by Google

ignotum, ut olim, sed plane cognitum, nobisque vicinum ac proximum, nec propterea humanius in hoc mysterio a multis amori tuo respondetur. Quae tuae ergo cogitationes esse debent, qui sensus, cum hos homines, a quibus omnia reverentiae et amoris argumenta expectare jure tuo debebas; in tantum se tibi reverentes ac gratos non exhibere cernis, ut etiam injuriis contumeliisque te in hoc amoris sacramento quotidie lacessant? His ego injuriis et contumeliis vehementer commotus, tibi amantissimo et afflictissimo Cordi supplex accido, veniamque submississime precor. Ingrati animi vitium, quo memet ipsum reum agnosco, injuriasque amori tuo a memetipso inflictas detestor et abominor. Aliorum quoque hominum peccata ac sacrilegia in te commissa odi, et execror. Violatum honorem tuum hac mea submissione ac voluntaria expiatione, quoad licet, resarcire cupio. Utinam et lacrymis et sanguine omnia in te perpetrata eluere et abolere penitus possem! Utinam novo quodam et inusitato honoris ac submissionis genere, tot irreverentias, convitia, sacrilegia compensare liceret! O quam praeclare mecum agi putarem, si tam justa de causa vitam profundere possem! Veniam igitur, o Cor Jesu dulcissimum, mihi propitius indulge propositumque animo conceptum gratia tua confirma: fixum namque ratumque est, viribus omnibus eniti, ut nulla ex parte honori tibi debito in posterum desim: firmum est, irreverentias pristinas, summa reverentia: negligentiam, diligentia: oblivionem tui, frequenti memoria compensare: denique nihil omittere, quod ad amorem meum gratumque animum testificandum, abolendaque priora peccata conducere arbitrabor. Hoc statuo, hoc firmissime decerno, gratiaque tua adjutus me effecturum confido. Amen.

Digitized by Google

Exercitium oblationis sui suarumque rerum.

Pater Claud. de la Colombière hujus Exercitii auctor est, in quo nihil immutandum censuimus. Porro oblationis causas in hunc modum Vir Dei praemittit. „*Fieri debet,* „inquit, *haec oblatio ad honorem Cordis Jesu, quod vir-* „*tutum omnium sedes est, et gratiarum divinarum fons,* „*animarumque sanctarum perfugium. Virtutes autem,* „*ob quas Cor illud sacrosanctum coli debet, hae sunt* „*praecipuae. Amor in Patrem ardentissimus, cum summa* „*veneratione ac submissione conjunctus. Patientia in* „*malis tolerandis infinita. Dolor de peccatis immensus,* „*pro quibus videlicet justitiae divinae satisfacere onus* „*ultro in se susceperat. Fiducia dilectissimo Filio pro-* „*pria, pudori ac verecundiae maximi peccatoris conso-* „*ciata. Commiseratio erga homines tenerrima, et, mise-* „*riis nostris non obstantibus, caritas in nos et amor* „*ardentissimus. Denique in mediis hisce affectionibus* „*tam variis ac diversis, tamque vehementibus, ut augeri* „*nullo pacto possent, (quippe quae omnes summum per-* „*fectionis gradum attigissent), pax tamen summa et* „*tranquillitas, orta scilicet ex conformitate cum divina* „*voluntate tam omni ex parte perfecta, ut quidquid vel* „*zelo ipsius vel amori, vel alteri cuilibet ex praedictis* „*affectionibus contrarium accideret, quantumcumque* „*demum illud esset, eo ne levissime quidem perturbaretur.* „*In eodem hodie statu versatur etiamnum Cor illud* „*Sanctissimum: in primisque summo hominum amore* „*flagrat, tametsi ejus amori homines nequaquam respon-* „*deant nihilque praeter contemptum incredibilemque* „*duritiem rependant. Ardet Jesus amore nostri, neque* „*redamatur tamen, imo amor illius ne agnoscitur quidem* „*etc., hominibus nempe ea dona respuentibus, ac dedig-*

Digitized by Google

„nantibus, quibus Jesus amorem suum testari solet, et „cupit.“ His praemissis Claudius suam oblationem ad Cor Jesu ita facit:

O Cor Jesu mei dilectissimi! Cor adoratione et amore meo dignissimum! Ego tot ac tantas injurias in te commissas sarciendi eluendique desiderio inflammatus, utque ingrati animi vitium, quantum in me est, fugiam, cor meum cum omnibus suis affectionibus, ac me denique totum tibi penitus offero tradoque. Testor hoc esse purum ac sincerum desiderium meum, ut ex hac ipsa hora ac momento mei, mearumque rationum penitus obliviscar, ut sublatis omnibus impedimentis in sacrosanctum Cor tuum, quod mihi singulari misericordia reserasti, introire, ibique cum fidelibus servis tuis vivus ac moriens habitare queam: ergo amore tuo totus incensus, huic divinissimo Cordi libens offero meritum omne, omnemque satisfaciendi vim, quae inesse poterunt tum Missae Sacrificiis, tum orationibus, tum operibus poenitentiae, humilitatis, obedientiae, caeterarumque virtutum omnium, quae toto vitae meae tempore ad extremum usque spiritum facturus sum. Haec omnia non solum in laudem et honorem Cordis Jesu fieri volo, sed praeterea enixe et submisse precor, ut perfectam horum omnium donationem, quam eidem sanctissimo Cordi facio, admittere non dedignetur: ita ut de iis omnibus disponere pro arbitrio possit, ea cui voluerit attribuendo. Atque quum jam animabus in purgatorio detentis concesserim, quidquid in actionibus meis satisfactorium esse potest: cupio ut hoc ipsum animabus illis secundum Cordis Jesu beneplacitum impendatur. Porro quum ejusmodi donatio nullatenus impeditura sit, quominus Missae Sacrificia, caeterasque orationes offerre possim, prout obedientia aut caritas quandoque exigent; pro hoc eventu, quum alienis bonis, atque ad Cor Jesu

Digitized by Google

pertinentibus usurus sim, animus est, ut omnia virtutum opera, quae tunc exerceo, Cordi Jesu, tanquam bona ipsi propria, dicata et consecrata maneant. O Cor sanctissimum! viam obsecro edoce, quam inire debeam, ut mei penitus oblitus, amoris tui puritatem, cujus mihi desiderium infudisti, consequi valeam. Incendor equidem vehementi tibi placendi desiderio; at sentio, me, quod cupio, nequaquam assequi posse sine ingenti auxilio, quod tu solum praestare potes. Perfice igitur in me, o Cor sanctissimum! quidquid tibi acceptum est, tuaeque voluntati conforme: tui unius est praestare omnia, atque perficere, ut tibi uni sanctitatis meae (si adipisci eam tandem contingat) gloria debeatur: neque ego alio fine ad sanctitatem aspirare deinceps volo, nisi ut tu solum lauderis et glorificeris. Amen.

Pii affectus ad Cor Jesu.

Cor Jesu Verbo Dei substantialiter unitum.
Cor Jesu Dei majestate dignum.
Cor Jesu Dei sanctitate sanctum.
Cor Jesu Dei bonitate bonum.
Cor Jesu adoratione Deo debita adorandum.
Cor Jesu amore Deo digno amandum.
Cor Jesu ineffabile.
Cor Jesu incomprehensibile.
Cor Jesu Patris aeterni templum dignissimum.
Cor Jesu verum ac proprium Spiritus Sancti habitaculum.
Cor Jesu sanctissimae Trinitatis sanctuarium.
Cor Jesu caritatis aeternae dignissima sedes.
Cor Jesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis.
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.

Divino amore, quo ardes, inflamma cor meum.

Digitized by Google

Cor Jesu thesaurus nunquam deficiens.
Cor Jesu dives in omnes, qui invocant te.
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus.
Cor Jesu pax et reconciliatio nostra.
Cor Jesu fons aquae salientis in vitam aeternam.
Cor Jesu puteus aquarum viventium.
Cor Jesu principium et origo virtutum omnium.
Cor Jesu, in quo sibi Pater bene complacuit.
Cor Jesu, hostia vivens, sancta, Deo placens.
Cor Jesu propitiatio pro peccatis nostris.
Cor Jesu amaritudine repletum propter nos.
Cor Jesu saturatum opprobriis.
Cor Jesu attritum propter scelera nostra.
Cor Jesu usque ad mortem crucis obediens factum.
Cor Jesu lancea perforatum.
Cor Jesu fons totius consolationis.
Cor Jesu solatium peregrinantis animae.
Cor Jesu refugium nostrum in die tribulationis.
Cor Jesu salus in te sperantium.
Cor Jesu spes in te morientium.
Cor Jesu cultorum tuorum dulce praesidium.
Cor Jesu deliciae Sanctorum omnium.

Divino amore, quo ardes, inflamma cor meum.

℣. Jesu mitis et humilis Corde.
℟. Fac cor meum secundum Cor tuum.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae tuae novo beneficio aperire dignatus es: concede, ut hujus sacratissimi Cordis amori respondere, et injurias eidem afflictissimo Cordi ab ingratis hominibus illatas dignis obsequiis compensare valeamus. Per eundem Dominum.

Digitized by Google

Aspirationes sacrae ad Cor sanctissimum Jesu.

I. O Cor divinissimum, suprema Angelorum et hominum adoratione dignissimum, adoro te: laudo te: glorifico te. Fac, obtestor, ut tua illa divina et infinita excellentia animum meum te illuminante perfundat, et debita admiratione defigat.

II. O Cor amabilissimum, infinito amore dignum, amo te: toto cordis affectu complector te: deosculor te: me tibi, obsecro, arctissime et inseparabiliter conjunge.

III. O Cor sanctissimum, fons perennis sanctitatis, virtutibus tuis coelestibus terrestre cor meum immuta, consecra, sanctifica.

IV. O Cor gratiarum omnium thesaurus indeficiens, divinis tuis muneribus miserum et egentissimum cor meum subleva, dita, cumula.

V. O Rex cordium, dominator legitime imo et unice omnium cordium, subjice imperio illo tuo divinissimo ac suavissimo etiam rebelle cor meum.

VI. O Cor aeternae caritatis sedes dignissima, divino amore, quo ardes, inflamma cor meum.

VII. O Cor Jesu Patri aeterno infinite gratum, me, tuis meritis, majestati ejus acceptum constitue: mea omnia tu perfice, atque divinis aspectibus digna redde.

Corolla precatoria ad honorem sacrosancti Cordis Dei Jesu.

Continet haec corolla globulos majores quinque, minores vero triginta tres secundum numerum annorum ac vulnerum Christi. Initio Corollae oratio haec dicenda est:

Digitized by Google

Anima Christi sanctifica me.
Cor Christi accende me.
Corpus Christi salva me.
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris Christi lava me.
Passio Christi conforta me.
O bone Jesu exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me.
Et jube me venire ad te.
Ut cum Sanctis tuis laudem te.
In saecula saeculorum. Amen.

Ante quemlibet globulum majorem dicitur:

Dulcissime Jesu, fac cor meum secundum Cor tuum.

Ad globulum quemlibet majorem dicitur:

Adoramus te Christe, in horto afflictissime, in Eucharistia etiamnum ab ingratis hominibus despecte. Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu.

Ad globulos minores dicitur:

Adoro te Cor Jesu sacratissimum; divino amore, quo ardes, accende cor meum.

In fine recitetur semel **Pater** *et* **Ave** *cum oratione sequenti:*

Oratio.

Domine Jesu, qui ineffabili Cordis tui amoris miraculo te totum nobis in cibum in Altaris sacramento tradere dignatus es: concede, ut, qui injurias ac sacrilegia ab ingratis mortalibus adversum te in hoc sacro mysterio commissa toto animo detestamur ac plangimus, ipsius sacrosancti Cordis accendamur affectibus et dignis in

Digitized by Google

aeternum laudibus ejusdem divinissimi Cordis misericordiam consequamur.

---

§. II.
EX ALIIS LIBRIS ROMÆ EDITIS.

Actus consecrationis ad sacratissimum Cor Jesu.

Dulcissime Jesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles Cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es; ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me caeterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas injurias omnes a me et ab aliis quibuscunque in hoc infiniti amoris mysterio Cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo Cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens, me divini Cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam in peculiarem matrem mihi eligo, hujusque purissimo Cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens, me hujus purissimae matris cultum juxta ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Digitized by Google

Oblatio sui ante imaginem ss. Cordis Jesu facienda.

O mi Jesu amantissime! ego N. N., ut gratitudinem tibi exhibeam necnon infidelitates meas resarciam, tibi cor meum dono, et ex integro me tibi dedico et consecro, atque te auxiliante mihi propono non amplius peccare. *(Indulgent.)*

Preces jaculatoriae ad ss. Cor Jesu indulgentiis ditatae.

I. Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum.

II. Laudetur ubique SS. Cor Jesu.

III. Laudetur, adoretur, ametur cum grati animi affectu Encharisticum Cor Jesu singulis temporis momentis in omnibus Orbis tabernaculis usque ad consummationem saeculorum. Amen.

Oratio ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum recitanda.

Respice, Domine, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus, Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine; placare, Domine, attende et fac, ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum; et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen. *(Indulgent.)*

Digitized by Google

Oratio S. Alphonsi pro visitatione quotidiana SS. Sacramenti.

Domine mi Jesu Christe, qui pro tuo in homines amore nocte dieque in hoc Sacramento permanes pietate et amore totus plenus, exspectans, vocans, et excipiens omnes, qui te visitatum veniunt, credo te esse praesentem in Sacramento altaris; ex abysso nihili mei te adoro, gratiasque tibi pro omnibus a te mihi collatis beneficiis ago, praecipue quod mihi dederis temetipsum in hoc Sacramento, tuamque sanctissimam Matrem Mariam in advocatam, et quod vocaveris me ad visitandum te in hac ecclesia. Sanctissimum Cor tuum hodie saluto, illudque salutare intendo triplicem in finem. Primo in gratiarum actionem pro magno hoc dono. Secundo in compensationem omnium injuriarum, quas ab inimicis tuis accepisti in hoc Sacramento Tertio hac visitatione intendo adorare te in omnibus terrae locis, in quibus in hoc Sacramento minus es honoratus magisque derelictus. Mi Jesu, toto corde te amo. Doleo me quondam toties contristasse bonitatem tuam infinitam. Propono pro futuro non amplius te offendere mediante tua gratia; et pro praesenti, quantumvis sim miserabilis, tibi consecro me totum; dono et trado tibi totam meam voluntatem, affectus, desideria, omnia mea. Ex hoc nunc fac de me et de rebus meis quidquid tibi placet. Unum a te peto, unum desidero, sanctum tuum amorem, perseverantiam finalem, et perfectam tuae voluntatis adimpletionem. Commendo tibi animas purgatorii, illas praesertim, quae erga sanctissimum Sacramentum et Beatissimam Virginem Mariam magis devotae fuerunt. Commendo etiam tibi omnes miseros peccatores. Unio tandem, mi care Salvator, omnes affectus

meos cum affectibus amorosissimi tui Cordis, et ita unitos offero illos aeterno tuo Patri, eumque in nomine tuo oro, ut propter amorem tuum eos accipiat et exaudiat. *(Ind.)*

Oratio ad D. N. J. Ch

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. *(Indulgent.)*

Oratio ad ss. Cor Jesu pro agonizantibus.

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolorem matris tuae immaculatae, lava in sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium. *(Ind.)*

Aspirationes sacrae.

I.

Dulcissime Jesu, ne sis mihi judex sed Salvator! *(Indulgent.)*

II.

O mi Jesu, misericordia! *(Indulgent.)*

Digitized by Google

§. III.
ORATIONES QUARUM AUCTORES CUM LAUDE MEMORANTUR IN ACTIS APUD S. R. C.

Rhythmica oratio S. Bernardi ad Cor Jesu. [1]

Summi Regis Cor, aveto,
Te saluto corde laeto,
Te complecti me delectat,
Et hoc meum cor affectat,
Ut ad te loquar, animes.

Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cum te totum exhaurires,
Ut te nobis impartires,
Et nos a morte tolleres?

O mors illa quam amara,
Quam immitis, quam avara;
Quae per cellam introivit,
In qua mundi vita vivit,
Te mordens, Cor dulcissimum!

Propter mortem, quam tulisti,
Quando pro me defecisti,
Cordis mei Cor dilectum,
In te meum fer affectum,
Hoc est quod opto plurimum.

---

[1]) Rhythmica oratio ad unumquodlibet membrorum Christi patientis et a cruce pendentis constat 74 strophis, quarum singulae 5 versus complectuntur. Extat, ut dictum est p. 154, inter opera supposititia s. Bernardi: apud Migne P. L. tom. 184, pp. 1319 seqq.

Digitized by Google

O Cor dulce praedilectum,
Munda cor meum illectum,
Et in vanis induratum;
Pium fac et timoratum,
Repulso tetro frigore.

Per medullam cordis mei,
Peccatoris atque rei,
Tuus amor transferatur,
Quo Cor tuum rapiatur
Languens amoris vulnere.

Dilatare, aperire,
Tamquam rosa fragrans mire,
Cordi meo te conjunge,
Unge illud et compunge;
Qui amat te, quid patitur?

Quidnam agat nescit vere,
Nec se valet cohibere,
Nullum modum dat amori,
Multa morte vellet mori,
Amore quisquis vincitur.

Viva cordis voce clamo,
Dulce Cor; te namque amo:
Ad cor meum inclinare,
Ut se possit applicare,
Devoto tibi pectore.

Tuo vivat in amore,
Ne dormitet in torpore,
Ad te oret, ad te ploret,
Te adoret, te honoret,
Te fruens omni tempore.

Digitized by Google

Rosa Cordis, aperire,
Cujus odor fragrat mire,
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anhelare
Flamma desiderii.

Da cor Cordi sociari,
Tecum, Jesu, vulnerari;
Nam cor Cordi similatur,
Si cor meum perforatur
Sagittis improperii.

Infer tuum intra sinum
Cor, ut tibi sit vicinum,
In dolore gaudioso,
Cum deformi specioso,
Quod vix se ipsum capiat.

Hic repauset, hic moretur,
Ecce jam post te movetur:
Te ardenter vult sitire,
Jesu, noli contraire,
Ut bene de te sentiat.

Exercitium pro duodecim cordis munditiis obtinendis.

(Ex P. Jac. Alvarez. v. supra p. 183)

Praemonitum.

Conaberis intrare in Cor Domini Jesu ipsumque considerare, quale sit: ut ad ipsius similitudinem cor tuum efformes. Cor istud sanctissimum est via, per quam venimus ad aeternam mansionem, quae est Christi divinitas: et ostium, per quod ingredimur ad contemplationem divinitatis. Ut ergo possis ad contemplationem

et amorem divinitatis a cendere Cor istud Domini, omnium cordium sanctissimum atque mundissimum, intenta consideratione penetrare curabis, ut simile cor aspirando in oratione et laborando in actione habere coneris. Quum in ipsum Cor Domini oculos mentis intenderis, videbis illud **duodecim munditiis** *purissimum. Fuit enim mundum 1° a rerum temporalium amore; 2° ab intentionis obliquitate; 3° a mundana delectatione; 4° a placendi hominibus desiderio; 5° ab inutili cogitatione; 6° a superflua cura; 7° a noxia amaritudine; 8° ab inani complacentia; 9° ab affectu creatae consolationis; 10° a stimulis anxietatis; 11° ab inquietudine impatientiae; 12° ab infectione propriae voluntatis. Pro hac multiplici puritate ac munditia Cordis Dominum tuum Jesum glorificabis, et eandem ignitis aspirationibus desiderabis et petes, atque ipsius puritatis assecutionem vehementer insistes et sic cor tuum reformabis:*

Oratio.

O Salvator hominum Christe Jesu, cujus opus redemptio nostra est: cujus imitatio tota perfectio est, aperi mihi, obsecro, sanctissimum Cor tuum, januam vitae et fontem aquae vivae, ut per illud ad tui notitiam ingrediar, et aquam verae virtutis omnem sitim rerum temporalium extinguentem bibam. Tu dixisti: Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus. Ego autem dico: sanctum et mundum est Cor tuum, sed impenetrabile et quis cognoscet illud? Tu Domine, et ille ex parte, cui volueris illud revelare. Revela ergo et illumina oculos meos, ut sanctissimi Cordis tui perfectionem videam, et immortificationes cordis mei abjicere tuarum perfectionum imitatione contendam, ut quod tu non es, non vis, non amas, constanter expellam, et te solum et

quod vis et quod amas, et in eo gradu quo jubes aut consulis a me amari diligenter amplectar.

I. Glorifico te o autor sanctitatis, ob primam munditiam sacratissimi Cordis tui, qua mundum fuit ab omnium rerum temporalium amore. Nulli enim rei temporali amore adhaesisti, sed superfluis abjectis cum magna Cordis simplicitate, necessaria sanctissimae humanitati tuae parce, et anguste, et ita ut vix ad sustentationem sufficerent, usurpasti. O si jam discerem temporalia relinquere, visibilia contemnere, et rebus caducis affectu non adhaerere. O si eas quieto corde in tuum beneplacitum resignarem, et sive dederis, sive abstuleris, cum illis aut sine illis pacatus semper et tranquillus permanerem. Da mihi obsecro per sanctissimam nuditatem tuam, ut nuditatem omnium rerum visibilium amem, ut omnia superflua deseram, ut curiosa nec meo statui consona rejiciam: et necessaria sine quibus vita esse non potest, et secundum meum statum ad singularitatem vitandam, sive nimio affectu cordis, ad simplicem usum assumam. Immo et ut haec cum nausea et taedio suscipere coner, ut tuae nuditati amplius conformari et ad tuam imitationem perfectius evolare queam.

II. Glorifico te o Domine, ob secundam munditiam sanctissimi Cordis tui, qua alienissimus fuisti ab omni sinistra intentione. Non quaerebas gloriam tuam, sed in operibus tuis, ut filius unigenitus et dilectissimus gloriam Patris aucupabas. O in hac re quam longissime a tua imitatione abfui. Nam in his quae hactenus desideravi et egi, meipsum et non te, meum scilicet honorem, meam utilitatem, meam consolationem quaesivi aut poenam et confusionem evadere curavi. Vix reperi aliquid quod pure propter tuam gloriam fecerim, et in quo non saltem aliqua ratione meipsum intenderim. Da mihi obsecro per

Digitized by Google

mirabilem rectitudinem intentionis tuae in omnibus quae cogitavero, quae concupivero, quae egero intentionem puram habere. Da mihi intentionem rectam, ut ex filiali amore in cunctis tuum honorem, gloriam et beneplacitum quaeram. Et intentionem simplicem, ut omnia ad hoc referam, ut in te semper maneam, et intellectu atque affectu, fide, spe et caritate ornato in tuo sinu quiescam. Et intentionem perfectissimam, ita scilicet ut nec spiritualem consolationem quaeram, sed etiam in omni desolatione et derelictione tibi soli adhaerere concupiscam. Jam posthac hoc solum intendere et in meis laboribus comparare desidero.

III. Laudo te o supergloriosissime Domine Deus, ob tertiam munditiam nobilissimi Cordis tui, qua mundus fuisti ab omni voluptate et delectatione hujus saeculi. Nam tu qui a momento conceptionis tuae beatus eras et deliciis coelestibus sine ulla mensura fruebaris, delicias nostras, quas res sensibus perceptae ingerunt refutabas. Concede mihi, rogo, per hanc celsitudinem Cordis tui, secundum desiderium quod te donante concepi omnem sensualem delectationem respuere. Hucusque sensualiter delectatus sum in cibo, in potu, in somno, in vestibus, in amicitiis humanis, in confabulationibus, item in appetitu videndi pulchra, audiendi nova, habendi curiosa, et fruendi sensuum vanitate. In his omnibus volo, et propono me mortificare, et ab illis averti, ut mihi spiritualia sapiant (quorum sapor gustu terrenorum obtunditur) et universa quae ad vitam perfectam non conferunt omnino displiceant. Tu ipse qui dedisti voluntatem, dabis et opus, quia sine te impotens sum, ut cor meum ad abjecta propensum reprimam atque cohibeam.

IV. Laudo te, o suavissime Redemptor Jesu, ob quartam munditiam purissimi Cordis tui, qua alienus fuisti ab omni mundana amicitia, et ab omni studio placendi

Digitized by Google

hominibus, et cum sancta libertate ea operatus es, quae consona erant eximiae virtuti ac sanctitati tuae. Admodum desidero habere cor meum in hoc Cordis tui puritati conforme. Concede mihi, rogo, ut hominibus placere non quaeram. Ne, ut placeam hominibus, aliquid minus rectum minusque tibi placitum faciam. Neve timore displicendi illis aliquid debitum, aut a te jussum omittam. Concede etiam, ut amicos ordinate diligam, et amicitiam humanam licet moraliter bonam cordi meo, quod tibi consecravi, dominari non sinam. Nec non ut consanguineos in te et propter te amem, et amorem naturalem in spiritualem convertam. Volo quidem omnes homines etiam inimicos propter te, sicut meipsum diligere, eis tui imaginem, gratiam et virtutes velle, omnium salutem sitire, nullius imperfectionibus aut vitiis annuere et absque ulla inquietudine ab illis mala avertere, et eisdem bona praestare. Da, ut faciam et ut cor meum illibatum tibi ab omni amore saeculari custodiam.

V. Magnifico te, o mi Salvator Jesu Christe, ob quintam munditiam sanctissimi Cordis tui, quia scilicet mundissimus fuisti ab omni affectu inutilis cogitationis. Nulla cogitatio ascendit in Cor tuum, quae non esset sancta, illibata, pulchra, admissa pro salute animarum nostrarum et gloria Patris. Neque cogitationes tuae sicut cogitationes nostrae, neque viae tuae sicut viae nostrae. Sed sicut exaltantur coeli a terra, ita supra cogitationes mortalium sanctissimae cogitationes tuae exaltatae sunt. Circumda, postulo, per sanctitatem tuam, cor meum muro gratiae tuae, ne in illud aliqua cogitatio minus tibi grata penetrare queat. Magna est Domine tepiditas mea et incuria mea: cujus causa mihi cogitationes impurae et noxiae incidere solent, et cogitationibus inanibus et superfluis inficior et cogitationibus rerum vilium, sed cum nimia

Digitized by Google

sollicitudine admissis torqueor, atque discrucior. Tolle a me jam cogitationes malas, et pudeat me in conspectu tuo cogitare, quae coram hominibus loqui aut operari erubescerem. Amove a corde meo cogitationes inanes, et verear illud evolvere in conclavi animae meae, ubi tu habitas, quod si ad notitiam hominum venturum esset, cogitare timerem. Tempera et cohibe cogitationes necessarias, rerum scilicet, quae mihi ratione officii aut status incumbunt, et fac ut haec ita in te et propter te cogitem, quod a tua praesentia non divellar. Afficiar ego ad taciturnitatem, ad solitudinem cordis, et ad recessum ab hominibus, quem mea vocatio patiatur. Ita nimirum ut non pro vano solatio, sed pro bono caritatis, aut pro onere necessitatis meae, aut ipsorum cum illis esse sustineam. Haec enim sunt instrumenta cum quibus tu soles a corde nostro impuras et vanas cogitationes abjicere. Te et tuas perfectiones sed praecipue infinitam caritatem tuam semper cogitem, ita ut cogitationes in affectiones transeant, et te bonum meum assiduo amore complectar.

VI. Magnifico te, o Salvator amantissime, pro sexta munditia Cordis tui, qua alienus eras ab omni superflua cura, immo universa cum admirabili libertate spiritus et tranquillitate operabaris. Nihil erat quod te turbaret, nihil quod a Cordis simplicitate et quiete divelleret. Eja Domine mortifica passiones meas, cohibe illas fraeno amoris tui, et moderare medicamine praesentiae tuae, ne me inquietent, sed magis ad id, cujus gratia eas dedisti, id est, ad bonas operationes juvent. Libera me a mordacibus curis, facque ut sive parva, sive magna ex me pendeant in te, cui omnia sunt pusilla et facillima, et non in mea virtute confidam. Volo quidem ad id, quod mihi incumbit media ordinata tranquille ponere, et consilio prudentum uti, sed a te bonum eventum expectare. Volo

Digitized by Google

etiam actiones, quas a me postulat necessitas, absque multiplicitate et solicitudine cordis perficere et ad te in illis (quantum mihi datum fuerit) intellectum et affectum elevatum habere. Postulo a te, o auctor puritatis, ut ita impleam, ne per nimias occupationes, aut nimie et imprudenter acceptas, meus intellectus obscuretur et affectus ad teporem vertatur. Ne mihi temporalia sapiant, et spiritualia desipiant, sed omnia ad virtutis et perfectionis augmentum convertam.

VII. Benedico te, o suavissime Domine Jesu Christe, ob septimam munditiam purissimi Cordis tui, qua plenus eras omni suavitate et dulcedine et vacuus omni felle amaritudinis. Non clamabas, neque audiebatur vox tua foris neque eras tristis, neque turbulentus, sed ad omnes dulcis atque benignus. Per hanc dulcedinem tuam rogo te, ut auferas a me omnem cordis amaritudinem. Hanc ego multis causis et modis in cor meum intuli. Orta est enim in me ex superbia et praesumtione propriorum meritorum, qua falsa justitia plenus, quae indignationem habet, non compassionem, pronus fui ad temere judicandum, et aspernandum caeteros. Item ex desideriorum immortificatione, qua incitatus sum ad detrahendum de superioribus et aliis, qui meis vitiis non acquieverunt. Insuper ex rancore et odio, quo dicta et facta eorum, qui me quoquo modo laeserunt, pervertere et in malum interpretari volui. Deinde ex invidia, qua virtutes illorum, quibus praeferri aut aequari non potui, extinguere aut obscurare concupivi. Tandem ex tepida et distracta conscientia, qua fervidos et non mei similes aversatus sum. Has omnes causas amaritudinis a me submovere volo et statuo. Et tu Domine a me submove, et amoris tui suavitate reple, ut omnes propter te diligam, ut boni mihi placeant, et propter te quaeque adversa tranquillo corde sustineam.

VIII. Benedico te, o dulcissime Jesu, ob octavam munditiam sanctissimi Cordis tui, seu ob magnitudinem ejus, qua omnia opera tua, licet eximia, Patri submittebas, et ei te in omnibus humiliabas. Da mihi per hanc magnitudinem tuam affectum, quo omnem inanem gloriam et complacentiam superem, et mea verba et opera et labores parvipendam, et si quae habeo, aliena esse cognoscam. Da etiam ut me reputem omnibus hominibus indigniorem, omnibus viliorem propter peccata, quae feci et propter illa quae facere potui et propter dona tua, quae otiosa possedi, quae si alius accepisset, multo magis et melius tibi placuisset. Da demum, ut vilissimus ab omnibus haberi velim, et a te solo cognosci et amari procurem.

IX. Laudibus effero te, o dilectissime Domine Jesu Christe, ob nonam munditiam perfectissimi Cordis tui, qua nulli adhaerebas creatae consolationi, sed pro me dolores et afflictiones amabas. Anima sanctissima tua beata erat et infinitis gaudiis immersa. At secundum portionem inferiorem pressuram et angustiam sustinebat: adeo ut in cruce dixeris, te a Patre fuisse derelictum, quia summa tristitia afficiebat Cor tuum. Et quidem facile erat, tibi Domine, retenta externa paupertate et corporis afflictione ab anima tua omnem prorsus tristitiam pellere et omni exultatione et laetitia circumdare. Sed voluisti ad tempus, usque ad mortem tristis esse, et moerore atque angore te ipsum affligere, ut discerent tui servi propter te non solum in corpore dolorem et penuriam, verum in anima ariditatem et derelictionem sustinere. Largire ergo mihi cor ab omni desiderio consolationis et devotionis sensibilis alienum: ita scilicet, ut cum haec adfuerit, in ea meipsum non quaeram, sed pure propter te, et ut instrumentum majoris mortificationis suscipiam. Si vero abfuerit, etiam fervide vivam, et ad consolationes hujus mundi aucupandas

Digitized by Google

non deflectam. Certum est enim quod vera sanctitas non in subtili rerum coelestium investigatione, nec in sensibili devotione sed in vera caritate et humilitate et in vera et perfecta legis tuae custodia constituta est. Hanc ergo prae omnibus quaeram, et inquisitioni intellectus, aut consolationibus non adhaerebo.

X. Laudibus effero te, o purissime Jesu, ob decimam puritatem beatissimi Cordis tui, seu ob fiducialem securitatem ejus, qua omnia ad gloriam Patris et salutem nostram pertinentia exultanter operabaris. Erat tibi evidens in omnibus beneplacitum Patris tui, ideoque absque ulla ambiguitate, absque ulla anxietate aut timore et cum incredibili securitate et fiducia non ut servus, sed ut filius, immo et ut Dominus omnium universa perficiebas. O si in his quae ago, tuum beneplacitum possem agnoscere! O si addictus legibus tuis omnem scrupulositatem et anxietatem deponerem et fiducialiter rebus bonis intenderem. Tolle obsecro a corde meo nimium amorem mei et infunde amorem perfectum tui. Tolle cor servi pigri, et minus fidelis, solam poenam et flagellum timentis, et da cor filii per sanctam fiduciam in te sperantis: ut secure in te omnes meas curas projiciam et sine puerorum terroribus per viam perfectionis incedam.

XI. Benedico et laudo te, o patientissime Domine Jesu, ob undecimam munditiam rectissimi Cordis tui, qua mundus eras ab omni impatientiae et ultionis affectu. Nam pro me mansuetissimo Corde omnium sustinuisti contumeliam, irrisionem et afflictionem. Pertulisti sputa, flagella et crucis ac mortis tormenta et tantum abfuit, ut vindictam peteres, quod pro ipsis persecutoribus precatus es. Volo Domine a corde meo omnem impatientiam depellere, et infamias, aegritudines, derisiones, contumelias, derelictiones internas, subtractiones sensibilis gratiae, et

omnem adversitatem aequo animo tolerare. Da mihi obsecro ne, opere aut verbo de adversariis ultionem sumam: ne corde rancorem et impatientiam feram, et ut me omni malo dignum arbitrans, laeto animo cuncta adversa emergentia sustineam.

XII. Benedico et laudo te, o sanctissime Redemptor Jesu, ob duodecimam munditiam purissimi Cordis tui, qua mundus fuisti ab omni propria voluntate. Tua voluntas erat voluntati Patris omnino conformis. Venistique ut Patris voluntatem faceres, ut ejus placita in cunctis praestares. Tibi voluntatem meam offero, et liberum arbitrium meum consecro, quo in corde meo nihil pretiosius invenio. Munda me, rogo, a veneno propriae voluntatis, daque ut in omnibus tuam sanctissimam voluntatem quaeram, ut quod tibi gratum fuerit per scripturam vel per praelatos vel per internam inspirationem expressum exequar. Immo da ut quasi voluntatem non habeam, sed in omnibus tum majoribus tum minoribus, ductu tuae voluntatis, regar.

Ex infinita munditia et puritate benedicti Cordis tui hos duodecim rivulos munditiae collegi, quos duodecim Cordis tui munditias nominavi. Concede, quaesumus, ut has semper petam, semper sitiam, et quod postulo et cupio, semper actione praeferam. Fac ut secundum haec vitam meam instituam, utque cor meum a pravis affectibus mundare contendam. Imprime sanctissimum Cor tuum in cor meum, et istud tibi assimila, nec permittas me statum imitatoris tui habere, et tot alienum a tua imitatione portare.

Salutatio matutina Cordis Jesu.

(*Ex B. Mechtilde.*)

Adoro, laudo et saluto te, dulcissimum et vernans Cor Jesu Christi, ex quo tanquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bonum omnisque dulcedo effluxit et effluit.

Digitized by Google

Et ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quod me hac nocte custodieris, Deoque Patri pro me laudes et gratiarum actiones persolveris. Et nunc, o dulcis amor meus, offero tibi miserum et indignum cor meum in sacrificium matutinum et omni qua possum devotione includo et commendo illud dulcissimo Cordi tuo: rogans, ut divinas tuas influxiones illi infundere atque sancto tuo amore accendere digneris. Amen.

Commendatio vespertina ad Cor Jesu.

(*Ex B. Mechtilde.*)

O Cor Jesu dulcissimum, tibi commendo hac nocte cor et corpus meum, ut in te dulciter requiescant. Et quoniam ego jam obdormiturus Deum laudare nequeo, tu illud pro me supplere digneris; ita ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes SS. Trinitati pro me persolvas: omnemque halitum, quem spiravero, in te susceptum eidem tanquam vivas amoris scintillas offerre velis. Amen.

Salutatio Cordis Jesu interdiu facienda.

(*Ex B. Mechtilde.*)

Salve Cor Jesu dulcissimum, suavisonum sanctissimae Trinitatis instrumentum! Salve Cor Jesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum aerarium! Millies et millies benedico et saluto tuam divinam bonitatem, quia es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum Cor Jesu Christi! per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis saluto et adoro te ob abundantiam omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae! — O Cor Jesu, Cor dulce! O Cor Jesu, Cor

suave! O Cor Jesu, Cor amabile! O Cor Jesu, manans dulcedine, redundans pietate, affluens caritate! In tua intima penetralia immergo spiritum meum et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et negligentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores; tibi dedico omnes meas angustias et miserias; tibi commendo vitam et finem vitae meae. O Cor aroma dulcissimum; incensum suavissimum, sacrificium dignissimum, offer temetipsum super reconciliationis humanae altare aureum in supplementum omnium, quos vixi dierum, in quibus Deo non detuli fructum. — Benedico tibi, Cor Jesu nobilissimum, ob illum amorem, quo a Spiritu sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum! Glorifico te, Cor Jesu dulcissimum, ob illum amorem, quo a sanctissima Trinitate omnibus coelestibus donis es decoratum. Magnifico te, Cor Jesu mitissimum, ob illum amorem, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror te, Cor Jesu benignissimum, ob illum amorem, quo in cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo te, Cor Jesu fidissimum, ob illum amorem, quo lancea transfigi, sanguinemque et aquam destillare voluisti. — Te igitur, o sanctissima omnique laude dignissima Trinitas, per illud Cor summe benedictum laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre, et summo, quo possum, affectu et reverentia, offero tuae supremae majestati idipsum Cor dulcissimum atque unice dignissimum omni honore, quia plenum est divina gratitudine ac beatitudinis perfectione excellens in perpetuum, atque oro, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris quidquid mali commisi et in omni bono neglexi. Amen.

Digitized by Google

CAPUT III.
EXERCITIA VARIIS IN LOCIS EPISCOPIS RITE PROBANTIBUS EDITA.

---

§. I.
OFFICIA PARVA.

I. Officium parvum SS. Cordis Jesu. [1])

Ad Matutinum.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui. Amen.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Coelestis aulae gloria,
Qui sede lapsus aetheris,
Coeli triumphos deseris,
Ut nostra fias hostia.

Jesu voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui praeconium.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

---

[1]) **Approbantibus locorum Ordinariis pluries editum, ut puta Monachii 1756, Campoduni 1775, Lugduni 1808.**

Digitized by Google

Ant. O sacrum Cor Jesu Patris voluntati obsequentissimum! inclina ad te corda nostra, ut quae placita sunt ei, faciamus semper.

℣. Paratum cor meum Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus.

Respice, quaesumus, misericordissime Deus, in Cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusque SS. Cordis moeroribus, quos nostri causa pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede corde contrito petentibus nostrorum nobis veniam peccatorum: et tanto Christi amore cor nostrum accende, ut ipsius divini Cordis affectibus toti incensi, secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem Dominum etc.

Ad Primam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum, etc.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

O Cor amoris victima,
Coeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes ultima.

Tu Trinitatis gloria,
Jungit tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus,
In te Patris sunt gaudia.

Digitized by Google

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O Sacrum Cor Jesu salutis nostrae sitientissimum! revoca nos praevaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

℣. Paratum cor meum etc.

℟. Deus meus volui, et legem etc.

Oremus. Respice, quaesumus, etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.

℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum. etc.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Te sole puro purius
Verbi Dei sacrarium,
Verbi Dei palatium,
Templumque coelo dignius.

Te digna sedes numine,
Foecunda virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis
Puro creavit sanguine.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Digitized by Google

Ant. O sacrum Cor Jesu, puritatis exemplar perfectissimum! fac nos esse mundo corde, ut secundum Cor tuum inveniri mereamur.

℣. ℟. Oremus, *ut supra*.

Ad Sextam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum. etc.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Cor dulce! Cor amabile!
Amore nostri saucium,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

Vindex reis irascitur
Deus: sed ut te respicit,
Placatus iras abjicit,
Et fulmen obliviscitur.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, hostibus tuis mitissimum! exultet pax tua in corde nostro, ut persequentibus et calumniantibus nos remittamus de cordibus nostris.

℣. ℟. Oremus, *ut supra*.

Ad Nonam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.

Digitized by Google

℣. Deus in adjutorium meum, etc.
Gloria Patri, etc.

Hymnus.

Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium;
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.

Quos abluisti sanguine
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.

Jesu Patris Cor unicum
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, doloris patientissimum! da nobis cor contritum et humiliatum, ut fructus dignos poenitentiae faciamus.

℣. ℟. Oremus, *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum. etc.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum
Mirabili convivio.

Digitized by Google

Quem proni adorant Angeli,
Hic temperato numine
Sub mystico velamine
Fit esca vilis servuli.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, paupertatis amantissimum! pone nos ut signaculum super te, ut in te unico thesauro nostro totum sit cor nostrum.

℣. ℟. Oremus, *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.
℟. Inflamma Cor meum amore tui,
℣. Deus in adjutorium meum. etc.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu
Indesinente anhelitu
Suspirat, oblitum sui.

Utrumque amoris vinculum
Conjungit arctis nexibus,
Hoc ardet hujus ignibus,
Ignemque reddit aemulum.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Digitized by Google

Ant. O sacrum Cor Jesu, amantibus te beneficentissimum! deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri, et pars nostra Deus in aeternum.

℣. ℟. Oremus. Respice, *ut supra.*

Litaniae de SS. Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus — miserere nobis.
Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu, divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, sanctae Trinitatis templum,
Cor Jesu, sapientiae abyssus,
Cor Jesu, bonitatis oceanus,
Cor Jesu, misericordiae thronus,
Cor Jesu, thesaurus nunquam deficiens,
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, virtutum omnium exemplar,
Cor Jesu, infinite amans et infinite amandum,
Cor Jesu, fons aquae salientis in vitam aeternam,
Cor Jesu, in quo sibi Pater bene complacuit,
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, propter nos amaritudine repletum,
Cor Jesu, usque ad mortem in horto tristissimum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, amore vulneratum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, in cruce sanguine exhaustum,
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Jesu, etiam nunc ab ingratis hominibus in sanctissimo amoris Sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, refugium peccatorum,
Cor Jesu, fortitudo debilium,
Cor Jesu, consolatio afflictorum,
Cor Jesu, perseverantia justorum,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes in te morientium,
Cor Jesu, cultorum tuorum dulce praesidium,
Cor Jesu, deliciae Sanctorum omnium,
Cor Jesu, adjutor noster in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis,

Miserere nobis.

Agnus Dei, etc. — parce nobis, Domine.
Agnus Dei, etc., — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, etc., — miserere nobis.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.

℣. Jesu mitis et humilis Corde:
℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari: ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

Rhythmus ad SS. Cor Jesu.

Cor Jesu, Cor purissimum,* O ara sanctitatis!
Cor meum purga sordidum,* Infectum tot peccatis.
Qui movet tibi vomitum,* Auferto hinc teporem,
Infunde novum spiritum* Et spiritus fervorem.
Cor mite, Cor humillimum,* Cor plenum bonitatis,
Cor tuo da simillimum,* Da ignem caritatis.

Digitized by Google

Sed quid? si vel seraphico* Amore cor flagraret,
Non tamen hoc incendio* Non satis te amaret.
Ut ergo te diligere,* Cor Jesu, possim satis,
Immensum da, quo amas me,* Ardorem caritatis.
Hoc, hoc amoris jaculo* Cor meum accendatur,
Et hujus ab incendio* In cineres solvatur.
O mors exoptatissima,* Sic mori vi amoris!
Amoris sit cor victima* Pro Corde Redemptoris.
Amore tui moriar,* Cor Jesu, amor meus!
Ut novo corde ordiar* Amare te, o Deus! Amen.

Unice cordis amor, timor unice cordis Jesu,
Cor tibi dono meum, Cor mihi redde tuum.

II. Officium parvum sacratissimi Cordis Jesu.

Ad Matutinum.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
℟. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Hymnus.

COR VERI DEI.

Coeli decus, Cor nobile,
Quod munus es Mariae:
Perenne vitae gaudium,
Solatiumque mortis!

Digitized by Google

Te gaza sanctimoniae
Exornat universa:
Quin ipsa te Divinitas
Aeternus hospes implet.
O! rite si nunc noverim
Amare, me beatum,
Sed rite solum diligo
Hoc diligens Cor unum.

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordisnostri.

℣. O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum;
℟. Aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias novo amoris miraculo Ecclesiae tuae aperire dignatus es: per hunc ipsum amorem te supplices rogamus, da nobis amabilissimum hoc nostrique amantissimum Cor ita amare, et redamare, ut simul etiam injurias ab ingratis mortalibus, praesertim in amoris sacramento, eidem illatas dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Primam.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende:
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. etc.

Digitized by Google

Hymnus.

COR FLAMMIS EXÆSTUANS.

Quam pulchra scena panditur!
  Solius est amoris.
Cor ecce, quod me diligit,
  Meique amore flagrat.
O quanta vis incendii
  Hoc ardet in recessu!
Sic Christe! quid felicius?
  Me, Christe, sic amasti.
O rupe plus me saxeum,
  Ferroque duriorem,
Haec flamma si non molliat
  Impervium cor igni.

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri.

℣. O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum:

℟. Aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Oremus.

Domine Jesu Christe, *ut supra.*

Ad Tertiam.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

COR CRUCE ONUSTUM.

Non est amator fervidus,
  Qui perpeti recusat:
Unam foris Jesus crucem,
  Sed mille gestat intus.

Digitized by Google

O quas Cor hoc angustias,
Quos pertulit dolores!
Plagas necemque barbaram
Semper, simulque sensit;
Sensitque pro me perfido.
Possumne non amare?
Augere possum vulnera?
Hanc gratiam rependo?

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri.

℣. O Jesu, quid est homo, quia magnificas eum:
℟. Aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

COR SPINIS CINCTUM.

Jam cerno plexam spineis
De frondibus coronam;
Hoc, hoc amoris praemium
Cor optimum reportat.
Patrata per me crimina
Hos nexuere sentes:
Crudelitatis barbarae
Nec poenitet cruentum?

Digitized by Google

Refigat ah! aculeos
  Abominanda dextra,
Novasque cesset figere
  In innocente spinas.

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri.

℣. O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum:
℟. Aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma Cor meum amore Tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

COR LANCEA VULNERATUM.

O dulcis, o beata sors,
  Cor optimum patescit:
Hiat diremptum lancea,
  Jubetque me venire.
Intrabo. Porta vulnus est:
  Coelum patebit intus.
Hic fonte pleno gaudia
  Potare jam licebit:
Sed, si quis hostis evocet,
  Intus manebo surdus.
In rupe stat latescere:
  Haec proteget latentem.

Digitized by Google

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri.

℣. O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum:

℟. Aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Oremus.

Domine Jesu Christe, *ut supra.*

Ad Vesperas.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

COR SANGUINE ET AQUA MANANS.

Sperabo, quamvis impius:
Culpas lavare possum.
E corde fuso sanguini
Permixta manat unda.
Agnosco voces sanguinis
Undaeque: sunt amoris.
Convincor hisce testibus,
Me corde plus amari.
Cessemne nunc, et restitem?
Haec siccus intuebor?
Ah! ite tandem lacrymae,
Queis squallor eluatur.

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri.

℣. O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum:

℟. Aut quid apponis erga cum Cor tuum?

Digitized by Google

Oremus.

Domine Jesu Christe, *ut supra.*

Ad Completorium.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

COR IN SS. EUCHARISTIA NOBISCUM MANENS.

Quos, Christe, prodis denique
Ad terminos amoris?
Natura tota vertitur,
Degas ut usque mecum.
Uvae latex et triticum
Sanguis caroque fiunt,
Ut ipse te famelico
Potum cibumque tradas.
Ni corde toto diligam
Cor tale, sique laedam,
Diras nefastas sentiam,
Et sentiam perennes.

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri.

℣. O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum,

℟. Aut quid apponis erga eum Cor tuum!

Oremus.

Domine Jesu Christe, *ut supra.*

Digitized by Google

Litaniae de amabilissimo Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Cor Jesu, Filii Dei vivi,
Cor Jesu, Filii Mariae Virginis,
Cor Jesu, a Spiritu sancto formatum,
Cor Jesu, habitaculum sacrosanctae Trinitatis,
Cor Jesu, Sanctuarium incarnati Dei,
Cor Jesu, reconditorium infinite pretiosi sanguinis,
Cor Jesu, sedes et instrumentum sanctissimorum motuum et affectuum,
Cor Jesu, in cujus potestate sunt omnium hominum corda,
Cor Jesu, ex omnibus cordibus perfectissimum,
Cor Jesu, magnes et centrum omnium cordium,
Cor Jesu, Cor secundum Cor Dei,
Cor Jesu, Deo dignum et incomprehensibile,
Cor Jesu, viri dolorum,
Cor Jesu, a primo momento formationis suae innumerabilibus doloribus obrutum,
Cor Jesu, in monte Oliveti timore, taedio et tristitia usque ad mortem angustiatum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, ab ipso divino Patre in cruce derelictum,
Cor Jesu, pro ingratis hominibus mortuum,
Cor Jesu, lancea vulneratum,
Cor Jesu, usque ad ultimam aquae et sanguinis guttam exhaustum,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Jesu, centrum omnium dolorum, quos vel anima vel corpus tuum unquam pertulit,
Cor Jesu, nobiscum in sanctissima Eucharistia habitans,
Cor Jesu, per multas saepe horas in templis nostris solum et ab hominibus relictum,
Cor Jesu, in sanctissimo Sacramento ab ethnicis, a judaeis, ab haereticis, a malis Christianis toties tam indigne habitum,
Cor Jesu, tutissimum contra iram Dei asylum,
Cor Jesu, pusillanimia corda hominum confortans,
Cor Jesu, munitissima turris in omnibus tentationibus,
Cor Jesu, certissimum omnium afflictorum refugium,
Cor Jesu, beatissima piarum animarum habitatio,
Cor Jesu, etiam maximis peccatoribus apertum,
Cor Jesu, corda tepidorum accendens,
Cor Jesu, solatium animae in hac vita peregrinantis,
Cor Jesu, medicina aegrotorum,
Cor Jesu, optimum viaticum morientium,
Cor Jesu, sapientibus hujus mundi absconditum et solis parvulis revelatum,
Cor Jesu, Cor optimi amici et consiliarii nostri,
Cor Jesu, Cor advocati et judicis nostri,
Cor Jesu, Cor Domini et Regis nostri,
Cor Jesu, Cor Redemptoris et Salvatoris nostri,
Cor Jesu, Cor primogeniti fratris et sponsi mei,
Cor Jesu, Cor patris nostri et plus quam patris,
Cor Jesu, ad nos amandos jam ab aeterno decretum et in tempore propterea formatum,
Cor Jesu per sacram communionem nobis datum et donatum,
Cor Jesu, Cor secundum vota cordis nostri,
Cor Jesu, Cor magistri nostri,
Cor Jesu humillimum,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Jesu mitissimum,
Cor Jesu sincerissimum,
Cor Jesu misericordissimum,
Cor Jesu fidelissimum,
Cor Jesu longanime,
Cor Jesu in bono vincens malum,
Cor Jesu liberalissimum,
Cor Jesu virgineum,
Cor Jesu etiam erga inimicos benevolum,
Cor Jesu innocentissimum,
Cor Jesu, exemplar perfectissimum abnegationis et mortificationis,
Cor Jesu per orationem Deo conjunctissimum,
Cor Jesu, pro gloria Dei et animarum salute zelosissimum,
Cor Jesu, amore Dei et hominum flagrantissimum,
Cor Jesu, Dei sanctitate sanctum,
Cor Jesu, regula omnium cordium,

Miserere nobis.

Cor Jesu, agni Dei, qui tollit peccata mundi, parce nobis.
Cor Jesu, agni Dei, qui tollit peccata mundi, exaudi nos.
Cor Jesu, agni Dei, qui tollit peccata mundi, miserere nobis.

℣. Redite praevaricaritores ad Cor.
℟. Et facite vobis cor novum.

Oremus.

Respice, quaesumus, misericordissime Deus, in Cor Jesu dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusque sanctissimi Cordis doloribus, quos nostri amore pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede contrito corde petentibus nostrorum veniam peccatorum, et tanto Jesu amore cor nostrum accende, ut divini sui Cordis affectibus toti in-

Digitized by Google

censi, novo jam corde nihil aliud desideremus et amemus, quam te Deum cordis nostri, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Piae querelae ad Cor Jesu de proprio corde.

(*Ex P. Schauenburg.*)

Jesu Cor almum numinis
  Solatiumque cordis!
Attende, quae suspiria
  Hoc corde proferantur:
Solo tamen de me queror.
  Te non amo, o amandum!
Teque, o Olympi gaudium!
  Contristo mille culpis.
Rapit voluptas quaelibet
  Hoc pectus ad sinistra,
Tibique soli debitum
  Rebellione complet;
At te, Cor o dulcissimum!
  Munusculum petente,
Riget cor hoc immobile,
  Duroque par metallo.
Scio, meretur fulmina,
  Sed intuere clemens!
Mutetur eja dante te:
  Sit gratiae trophaeum.
Exclude cuncta caetera,
  Arce profana sceptra:
Tu Christe! solus impera,
  Tu solus hic triumpha.

Digitized by Google

Sit hoc tuum cubiculum,
Sit hoc tuum sacellum:
Tu come, munda, consecra,
Tibique fac decorum.
Te solus illic alloquar
Attentus alloquenti:
Amplectar, astringamque te,
Et usque, et usque amabo.

III. Officium parvum SS. Cordis Jesu.

Ad Matutinum.

℣. Amor Cordis Jesu accendat praecordia nostra.
℟. Amen.
℣. Deus in adjutorium. etc.
℟. Domine ad adjuvandum. etc.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

O Cor Jesu adorandum,
Sacro thure venerandum,
Flexis dignum genibus!
Cultus tuus, fac, vulgetur,
Nomen et sanctificetur
Cunctis terrae finibus.

Antiph. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria tua.

℣. Cordis Jesu clementia
℟. Exsolvat nostra debita.

Digitized by Google

Oremus.

Dispone, quaesumus, Domine, voluntates nostras secundum Cor Unigeniti tui, ut ejus exemplo id unice semper velimus et operemur, quod placitis tuis tuaeque gloriae respondeat incremento. Per eundem D. N. J. Ch.

Ad Primam.

℣. Amor Cordis Jesu. ℟. Amen. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

O Cor Jesu voluptate
Plenum et amoenitate,
Princeps coeli jubilus!
Adveniat, ut precamur,
Regnum tuum, quo fruamur
Aeviternis plausibus.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Tertiam.

℣. Amor Cordis Jesu. ℟. Amen. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

O Cor Jesu, cujus velle
Jugum leve; plusquam melle
Est mandatum dulcius.
Fiat semper, *ut in coelis,*
Sic in terra, tu quod velis;
Nil hoc fiet melius.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Amor Cordis Jesu. ℟. Amen. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Digitized by Google

O Cor Jesu animorum
Quin et corporis languorum
Penus refertissima !
Panem da quotidianum,
Mens corpusque ne in vanum
Mundi quaerant pabula.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Nonam.

℣. Amor Cordis Jesu. ℟. Amen. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

O Cor Jesu salutare,
Nec accessum quod negare
Soles peccatoribus;
Nobis debita Cor mite
Ita, quaesumus, *dimitte*
Sicut nos dimittimus.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Amor Cordis Jesu. ℟. Amen. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

O Cor Jesu cynosura
Nobis tutos per obscura
Coeli monstrans aditus:
Ne in fletuum hoc mari
Plus permitte nos tentari,
Ferre quam sufficimus.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Amor Cordis Jesu. ℟. Amen. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Digitized by Google

O Cor Jesu, quod cunctorum
Bona contines bonorum,
Nos a malo libera,
Corpus spectet sive mentem;
Fac, sequatur hanc praesentem
Vita tandem coelica.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Conclusio.

Hymnus.

O mi Jesu! sicut tuum
Jam in corde meo suum
Fixit Cor signaculum:
Sic has preces ex condigno
Cordi tuo reconsigno
Nunc et in perpetuum. Amen.

Ant. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, o amantissime Jesu, qui dedisti Cor tuum nobis, ut per ipsum te et Patrem cum sancto Spiritu digne diligere, laudare et adorare mereamur.

℣. Vivat Cor Jesu Rex cordium.
℟. Et regnet super omnia corda in aeternum.

Oremus.

Da nobis, quaesumus, Domine, in sanctitate tua per Cor dilectissimi Filii tui ita creaturis omnibus mori, ut totis animae nostrae viribus ad te suspirantes cum Beata Virgine Maria et omnibus Sanctis conversatio nostra sit in Corde Unigeniti tui, ubi mundanorum oblita magnificet anima nostra Dominum, et cum eis exultet spiritus noster in Deo salutari suo. Per eundem D. N. J. Ch.

Digitized by Google

Litaniae de SS. Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.
Cor Jesu, de purissimo sanguine in utero Virginis Mariae formatum,
Cor Jesu, Divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, Sanctitatis templum,
Cor Jesu, sedes magnitudinis et majestatis Dei,
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Jesu, thronus amoris Dei,
Cor Jesu, fons omnium gratiarum,
Cor Jesu, pax et reconciliatio peccatorum,
Cor Jesu, fons aquae salientis in vitam aeternam,
Cor Jesu, hostia vivens, sancta, Deo placens,
Cor Jesu, in quo sibi Pater aeternus complacuit,
Cor Jesu mitissimum,
Cor Jesu humillimum,
Cor Jesu obedientissimum,
Cor Jesu castissimum,
Cor Jesu, incendium inextinguibile amoris,
Cor Jesu, origo contritionis,
Cor Jesu, bonitatis oceanus,
Cor Jesu, misericordiae abyssus,
Cor Jesu, in horto sudore sanguineo debilitatum,
Cor Jesu, voluntati Patris aeterni conforme et resignatum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, propter scelera nostra attritum,

Miserere nobis.

Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum,
Cor Jesu, amaritudine in agonia repletum,
Cor Jesu, doloribus totius corporis oppressum et sauciatum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, in cruce sanguine exhaustum,
Cor Jesu, in ara crucis pro nobis propitiationis victima,
Cor Jesu, etiamnum ab ingratis hominibus in sacrosancto amoris Sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, refugium peccatorum,
Cor Jesu, fortitudo justorum,
Cor Jesu, consolatio afflictorum,
Cor Jesu, robur tentatorum,
Cor Jesu, terror daemonum,
Cor Jesu, sanctificatio cordium,
Cor Jesu, perseverantia bonorum,
Cor Jesu, requies animarum sanctarum,
Cor Jesu, refugium nostrum in tribulatione,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes morientium,
Cor Jesu, gaudium et deliciae beatorum,

Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem;
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Digitized by Google

Oremus.

Ad sacratissimum Cordis tui vulnus, o amabilissime Jesu, omnia cordium nostrorum vota et desideria conferimus, atque per infinitam bonitatem tuam suppliciter te rogamus ac petimus, corda nostra Cordi tuo aeternum adstringe, ut tibi vivamus et in te moriamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Canticum doloris et amoris
de
Corde Jesu.

(*Ex P. Schauenburg.*)

1.

Huc adesto invitatus,
Quisquis excors non es natus!
Magnum Jesu Cor canamus;
Nostra illo accendamus.
Corde hoc si non moveris,
Frigidus si intueris,
Durum homo marmor es,
Et in corde riget aes.

2.

O quam dulces hic amores!
O quam acres hic dolores!
Gleba vilis! te amavit:
Gens scelesta! te ploravit.
Corde hoc si non moveris etc.

3.

Nostrae plenum Cor salutis!
Ut liceret esse tutis,
Nobis dare fuit votum
Vitam, sanguinemque totum.
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

4.

Spinis caput perforatur:
Pes, manusque terebratur:
Plures tamen et majores
Perfodere Cor dolores.
Corde hoc si non moveris etc.

5.

Nondum Jesu! te ligarunt,
Nondum hostes accusarunt,
Cor praegustans suam sortem
Tota vita tulit mortem.
Corde hoc si non moveris etc.

6.

In praesepi cum jacebas,
Necis vim praesentiebas:
Luctu Cor replebant gravi
Sputa, flagra, spinae, clavi.
Corde hoc si non moveris etc.

7.

En! ut Cor in horto tremit,
En! ut moribundum gemit:
Sed hoc pelagus moeroris
Vincit ardens fax amoris.
Corde hoc si non moveris etc.

8.

Vincit amor sed cruentus:
Sanguis nullus est inventus,
Quin per venas penetraret,
Et tributum sui daret.
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

9.

Nunc ad necem abit gaudens,
Suo Jesus fini plaudens.
Hostis! quantumcunque fures,
Cor aerumnas sitit plures.
Corde hoc si non moveris etc.

10.

Obvius se turbis tradit,
Laetus ad flagella vadit:
Sentes, maledicta, crucem
Suam putat esse lucem.
Corde hoc si non moveris etc.

11.

Homo! ubi cor est tuum?
Homo! Deus litat suum,
Et hoc Cor non redamabis,
Neque cor pro Corde dabis?
Corde hoc si non moveris etc.

12.

Sed quid cerno? En athletam
Summi ad amoris metam!
Jesus ecce crucem scandit:
Amor Cor, non hasta pandit.
Corde hoc si non moveris etc.

13.

Eja gaude Christi coetus!
Vulnera haec subi laetus:
Jesu mi! in his vivendum,
Ah in his est moriendum!
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

14.

His cavernis immorabor;
Quidquid opto, hic lucrabor:
His exultans me immergam:
Luctum omnem hic abstergam.
Corde hoc si non moveris etc.

15.

Cor amatum! sit novarum
Tandem finis gratiarum:
Post tot mala refloresce,
Inter gaudia quiesce.
Corde hoc si non moveris etc.

16.

At non ita: Cor se velat,
Novo se invento celat:
Jesus esca fit ac potus,
Semper ut sit noster totus.
Corde hoc si non moveris etc.

17.

Panis abit, vinum fugit:
Sanguinem os nostrum sugit:
Corde illo satiatur,
Coeli civis quo laetatur.
Corde hoc si non moveris etc.

18.

Ecquis amans sic amavit?
Corde suo quis te pavit?
Vitam tuam ut servaret,
Cibum se quis tibi daret?
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

19.

Filii Adami patris!
Vestri Cor videte Fratris.
Ideone haec auditis,
Tigrides ut dirae sitis?
Corde hoc si non moveris etc.

20.

Cor tam amans non amatur:
Cor tam sanctum violatur:
Ubi? Sua heu in sede,
Sua laeditur in aede.
Corde hoc si non moveris etc.

21.

Quidquid uspiam peccatur,
Id in templis perpetratur:
Hanc mercedem fers, o Deus!
Sic amaris, amor meus!
Corde hoc si non moveris etc.

22.

Non Pilatus, non Judaei,
Barbari non tam sunt rei:
Vah! indignus Christianus
Est prae illis inhumanus.
Corde hoc si non moveris etc.

23.

Ah ne ultra rebellemus!
Corde toto Cor amemus:
Culpas omnes eluamus
Probrum omne deleamus.
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

24.

Quam te arcte Cor hoc stringet!
Quam te totum mox refinget!
O quam te habebit carum
Non jam memor aerumnarum.
Corde hoc si non moveris etc.

---

§. II.

PRECES SODALITIAE IN HONOREM SS. CORDIS JESU.

Sanctum piarum animarum FŒDUS circa cultum Divinissimi Cordis Jesu in sanctissima Eucharistia.

Foedus hoc, quod ex Gallia ortum habet, [1]) *et præsertim in collegiis ecclesiasticis viget, foedus est amoris sine ulla obligatione inter pios homines initum, quo quotidie (certis inter se partitis horis, vel, si hoc fieri nequeat, singuli commodo sibi tempore) sanctissimum Cor Jesu in Eucharistia nobis relictum adeunt, et eo, qui sorte vel electione ipsis obtigit, virtutis actu amabilissimum Cor etiam reliquorum foederatorum nomine devenerantur. Actus autem virtutum, in quas confoederati conveniunt, sunt quinque:* Adoratio, gratiarum actio, amor, deprecatio, petitio. *Inter ipsos foe-*

---

[1]) Vide supra pp. 214 seqq.

Digitized by Google

deratos ordinarie ita vices mutantur, ut semper alius et alius ex dictis quinque actibus sive singulis hebdomadis, sive etiam mensibus a confoederatorum singulis quotidie persolvatur; quamvis etiam non pauca foedera extent, in quibus omnes et singulos quinque harum virtutum actus exerceant. Si Cor Jesu tibi cordi sit, inito et tu cum familia tua, cum domesticis, cum amicis tuis etc. foedus ejusmodi, et crede mihi, magnam illud et tibi et confœderatis tuis benedictionem de coelo afferet. Certe, ubi haec sancta foedera erecta sunt, innumera in foederatos beneficia a clementissimo Corde proficisci, experientia constanti habetur. Caeterum ex foederatis nullus sit, qui non imaginem Cordis Jesu domi suae habeat, ut, si forsan ea exire et ipsum verum Cor Jesu in templo nobiscum habitans visitare nequeat, saltem coram illius imagine foederis sui tributum persolvere valeat: quod quidem etiam ideo addo, quia abunde constat, Jesum speciali favore eos prosequi, qui sanctissimum Cor suum vel in imagine colunt. [1]

Adoratio.

Cor Jesu summi Dei verum Cor, Deoque dignissimum, et aeterno Verbo indissolubili nexu conjunctum! Tu me justissimum debitae Tibi adorationis tributum deferre conantem adjuva. Ecce infinitam tuam dignitatem et excellentiam pronus agnosco, et coram toto mundo profiteor, Teque quam possum demississime ex meo nihilo veneror, et toto corpore prostratus adoro. Simulque inter mille cordis mei jubilos offero Tibi omnem reverentiam, omnem apparatum, omnes caerimonias, omnem magnificentiam, omnes manuum elevationes, omnes genuflexiones,

---

[1] Vide supra p. 262.

Digitized by Google

omnes capitis inclinationes, omnes coram Te corporis prostrationes, omnes oblationes, omnia vota, omnia Missae Sacrificia, omnes denique actus religionis, quibus sive in terra, sive in coelo adoratum es unquam, aut deinceps adoraberis. His addo omnium mortalium corda, quae tanquam juge debitumque Majestati tuae Sacrificium Te unice laudare, unice Tibi servire nunc et in aeternum cupio. Inter haec primo loco Tibi offero Cor magnae Dei Matris, quod ad Te colendum, et ad adorandum prae omnibus reliquis aptissimum est. Hujus sanctissimis erga Te affectionibus omnes omnium hominum conjungo, hocque fretus adjutorio ac societate me, meaque omnia cum toto, qua late patent, coelo et terra Tibi coeli et terrae Domino, tuaeque gloriae unice dedico et consecro. Hunc adorationis actum meorum etiam confoederatorum nomine, quos Tibi specialiter commendo, clementissime suscipere digneris. Amen.

Gratiarum actio.

Cor Jesu patientissimum, misericordia exuberantissimum, clementia et caritate erga homines plenissimum. O Cor Redemptoris mei, sine quo pridem in inferno essem! O Cor Amici mei, quod me nunquam, nisi volentem, deseruisti! O Cor Fratris mei primogeniti, quod me fratrem indignissimum, et degenerem nimis tam benigne tolerasti! Cor Patris mei, quod me, filium plus quam prodigum necdum abjecisti? Cor Magistri mei, quod me ad omnem virtutem erudiisti, et tam potenter, unaque suaviter per internas inspirationes a peccatis retraxisti! Cor criminum meorum victima, et Dei justitiae pro mea salute inter immensos dolores immolata! Cor amore mei per lanceam grandi vulnere sauciatum, et usque ad ultimam sanguinis guttam exhaustum! Cor Advocati potentissimi in coelis

coram aeterno Patre pro me perorans! Cor in terris mecum habitans et me toties Te ipso suavissime reficiens! Cor in meam salutem meaque commoda omnia a prima Tui formatione in praesens usque momentum unice intentum! quas ego Tibi grates pro infinito tuo amore, indeque profectis in me beneficiis referam? Eja creaturae omnes impotentiam meam juvate, et benedicite mecum amantissimo Cordi Jesu! Benedicite omnia opera Domini Cordi Jesu! laudate et superexaltate illud in saecula. Benedicite Angeli Domini Cordi Jesu: benedicite coeli Cordi Jesu. Benedicite aquae omnes, quae super cœlos sunt, Cordi Jesu: benedicite omnes virtutes Domini Cordi Jesu. Benedicite sol et luna Cordi Jesu: benedicite stellae coeli Cordi Jesu. Benedicite omnis imber et ros Cordi Jesu: benedicite omnes spiritus Dei Cordi Jesu. Benedicite ignis et aestus Cordi Jesu: benedicite frigus et aestus Cordi Jesu. Benedicite rores et pruina Cordi Jesu: benedicite gelu et frigus Cordi Jesu. Benedicite glacies et nives Cordi Jesu. Benedicite noctes et dies Cordi Jesu. Benedicite lux et tenebrae Cordi Jesu. Benedicite fulgura et nubes Cordi Jesu. Benedicat terra Cor Jesu: laudet et superexaltet illud in saecula. Benedicite montes et colles Cordi Jesu: benedicite universa germinantia in terra Cordi Jesu. Benedicite fontes Cordi Jesu: benedicite maria et flumina Cordi Jesu. Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Cordi Jesu: benedicite omnes volucres coeli Cordi Jesu. Benedicite omnes bestiae et pecora Cordi Jesu: benedicite filii hominum Cordi Jesu. Benedicat tota Ecclesia Cor Jesu: laudet et superexaltet illud in saecula. Benedicite Sacerdotes Domini Cordi Jesu: benedicite servi Domini Cordi Jesu. Benedicite spiritus et animae justorum Cordi Jesu: benedicite sancti et humiles Cordi Jesu. Benedicat Cor Mariae Cordi Jesu:

Digitized by Google

benedicant Pater, Filius et Spiritus sanctus Cordi Jesu. Benedictum sis Cor Jesu a Te ipso, et laudabile et gloriosum et superexaltatum in saecula. Hunc gratiarum actionis actum meorum etiam confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris. Amen.

Amor.

Cor Jesu, cordium omnium nobilissimum, generosissimum, liberalissimum, magnificentissimum, mansuetissimum, purissimum, innocentissimum Cor adorandis Filii Dei perfectionibus infinitis amabilissimas filii hominis perfectiones ineffabili modo conjungens, Cor ineffabile et incomprehensibile, Cor Dei, et Deo dignissimum! Cor meum, et omnia! O ut omnium corda mortalium mea jam essent! his ego omnibus Te quam ardentissime amarem; verum et haec mihi non sufficerent ad Te digne amandum. Quam ergo miser sum, qui unicum duntaxat cor habeo, quoque ipso hactenus Te aut nihil, aut parum amavi, quum tamen illud unice mihi dederis ad amandum Te! O amabilissimum Cor! quam sero nunc tandem Te amo! Vae atque iterum vae illis momentis, horis et diebus, quibus Te non amavi, imo etiam offendere ausus sum! O! quam doleo nunc, et quam detestor hanc meam caecitatem, et malitiam. Cor amabilissimum! o ut infectum fieri posset, quod feci! Saltem ab hoc momento Te pro viribus incipiam amare. O ut te amarem sicut Sancti omnes, sicut Seraphini tui! O ut Te amarem amore perfectissimo Cordis Mariae! Hujus amoribus unio et meum amorem, illisque ita conjunctis Te amare cupio. At ne sic quidem satis amare Te possum, o superamabilissimum Cor! Itaque saltem laetor, quod in terrarum orbe Cor aliquod, quamvis unicum, invenire sit, quod Te digne amet. Hoc

Digitized by Google

Cor Tu ipsum es, atque hoc Te amas, quantum mereris. Proin sicut illud cum omnibus perfectionibus tuis divinis Tibi gratulor, ita hoc ipsum, quoniam omnia tua ex dono tuo mea sunt, Tibi offero, ut in illius amore perfecte Tibi complacere, et quidquid amoris erga Te cordi meo deest, supplere velis. Hunc amoris actum meorum etiam confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris. Amen.

Deprecatio.

O Cor Jesu, amore hominum ardentissimum, simulque ob spretum amorem tuum afflictissimum etc. [1]) . . . . . . Hunc deprecationis actum meorum quoque confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris.

Petitio.

Cor Jesu potentissimum, benignissimum, et circa me meaque omnia plus quam paterne providum! quanto solatio, quamdiu in hoc misero orbe peregrinor, mihi Tu esse debes! Tu de me semper cogitas, et semper mecum es in sanctissimo altaris Sacramento, prorsusque idem Cor es, ex cujus amore, cum in his terris per triginta tres annos versareris, tot grandia beneficia et stupenda miracula in innumeros miseros mortales profluxerunt. Ad quem ergo in omnibus necessitatibus confidentius recurram, quam ad Te, o amantissimum Cor! a quo omnia bona certo sperare possum. Conjurent contra me miseriae omnes; irruant in me morbi, egestas, persecutiones, contemptus, aut quidquid malorum in hoc orbe est; aut illae brevi evanescent, aut certe nocebunt nihil: spero enim in

[1]) Vide supra p. 397.

Digitized by Google

Corde Jesu, quod me nunquam deseret: in Corde Jesu Fratris, Patris, Dei mei, optimi, sapientissimi, potentissimi. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum fretum promissionibus fidelissimi hujus Cordis. Sed neque terreri me sinam praeteritae vitae meae peccatis, quae per tuam gratiam toto corde detestor, et illo sanguine abluor, qui pro mea salute ex suavissimi hujus Cordis vulnere promanavit. Itaque o dulcissimum Cor! omnes ego meas curas, omnes meos labores, omnes meas infirmitates, omnes animae meae angustias, omnia mea desideria in Te repono nihil jam sollicitus de me, confidens unice bonitati, potentiae et providentiae tuae, quibus me meaque omnia penitus committo. Unum unicum tamen est, quod, cum velis a me peti, confidenter a Te peto, et exspecto. Bonum cor, ah! bonum cor da mihi, et mortalibus omnibus. Ecce! quam misere et quam procul a Te aberrent corda nostra. Eja effunde super illa copiosam gratiam tuam, et ea justae dominationi tuae penitus subjice, ac jure tuo tota posside: ingrata etiam atque rebellia clementer et potenter Tibi servire compelle. Hoc imperium tuum sanctissimum et suavissimum constanter in ea exerce, ut ab omnibus profanis amoribus et carnalibus desideriis purgata, virtutibus autem tuis exornata Te unice colant, et in Te omnium desideriorum et amorum centro hic et in aeternum conquiescant. Hunc petitionis actum meorum quoque confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris. Amen. [1]

---

[1]) His quinque virtutum actibus omnibus et singulis etiam alias, et extra foedus, quod cum aliis iniisti, uti poteris, praesertim post sacram Communionem, et in visitatione sanctissimi Cordis Jesu in Eucharistia, potissimum quando in praecipuis festis, nominatim festo divinissimi Cordis, publicae venerationi exponitur. Prae reliquis actibus commendo tibi actum deprecationis, cultui amabilissimi Cordis ex ipsa institutione

Digitized by Google

Prolixior deprecatio omnium injuriarum, quae sanctissimo Cordi Jesu in Altaris Sacramento inferuntur.

Has deprecationes numero viginti quatuor, quot nempe horae diei sunt, in quibus amabilissimum Cor Jesu in sanctissima Eucharistia per totum orbem varie offenditur, singulis hebdomadis die Jovis vel Veneris, vel saltem semel in mense, præsertim autem ipso festo sanctissimi Cordis ut recites, omnibus modis tibi suadeo. Quod si viginti tres amicos et devotionis tuae confoederatos habeas, omnes hae deprecationes inter singulos dividi atque sic quotidie tot hominum scelera, quae contra augustissimum Cor in altaris Sacramento perpetrantur, utcunque cum maximo sane gaudio ejusdem amabilissimi Cordis compensari possent.

I.

Divinissimum Cor Jesu, quod in sanctissimo Altaris Sacramento nobiscum usque ad consummationem mundi habitare dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem illam tot mortalium oblivionem, qui de hoc immenso tuo amore raro cogitant, et rarius adhuc pro illo tibi grates agunt. In compensationem Tibi offero continuas illas gratiarum actiones, quas Tibi divina Mater tua pro hoc ineffabili beneficio per omnem suam vitam persolvit, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Jesu Christi proprium, quemque ex praeclarissimo opere Patris Gallifet studio in hunc libellum transtuli, tum quia plurimum devotionis habet, tum quia jam passim apud multos in usu est.

(*P. Schauenburg.*)

Digitized by Google

II.

Divinissimum Cor Jesu, cujus veram in altaris Sacramento praesentiam fides tot miraculis confirmata me docet! adoro Te summa qua possum, reverentia: detestor autem et deprecor omnem incredulitatem et vacillationem fidei circa hoc sanctissimum mysterium. In compensationem Tibi offero vivam illam fidem omnium sanctorum Martyrum, qui in assertionem sanctissimi Sacramenti vitam et sanguinem suam profuderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

III.

Divinissimum Cor Jesu, veri et infinita reverentia dignissimi Dei: adoro Te summa qua possum reverentia: detestor autem et deprecor omnem garrulitatem, risum et cachinnos, quibus toties in templis tuis tam irreverenter haberis. In compensationem Tibi offero profundissimam illam reverentiam, quam inter continuas adorationes Tibi omnes Angeli in ecclesiis tuis exhibent, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

IV.

Divinissimum Cor Jesu, cujus pulchritudo, et majestas omnium oculos in se convertere deberet! adoro Te summa qua possum reverentia: detestor autem et deprecor omnem curiositatem oculorum, et incompositos corporis gestus, quibus tua in altaribus praesentia adeo frequenter inhonoratur. In compensationem Tibi offero omnem illam modestiam sanctarum Virginum, qua coram Te unquam comparuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Digitized by Google

V.

Divinissimum Cor Jesu, cujus omnia desideria et motus unice in nostram salutem intenti erant! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes voluntarias distractiones, quae coram Te in templis tam proterve aut admittuntur, aut etiam quaeruntur. In compensationem Tibi offero omnem illam attentionem, quam sancti Confessores tui ad Te Sanctum Sanctorum attulerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

VI.

Divinissimum Cor Jesu, quod toties in nostris altaribus Te ipsum aeterno Patri tuo pro nobis offerre dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem omissionem sanctissimi Sacrificii Missae. In compensationem Tibi offero illam devotionem, qua sanctae Viduae etiam pluribus sacrificiis adstitere, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

VII.

Divinissimum Cor Jesu, ultimum, atque optimum morientium viaticum! adoro Te summa qua possum reverentia: detestor autem et deprecor omnem graviter aegrotantium moram circa illud petendum. Multo magis adhuc detestor et deprecor culpabilem sanctissimi hujus viatici omissionem. In compensationem Tibi offero omnem illam curam, quam pii animarum Pastores mature muniendis sanctissimo Sacramento aegrotantibus impenderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Digitized by Google

VIII.

Divinissimum Cor Jesu, quod Te manibus Sacerdotum quotidie concredere dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnes irreverentias, quas hi Sacerdotes tui sive in offerendo Missae Sacrificio, sive in distribuenda sacra Synaxi committunt. In compensationem Tibi offero omnem illam reverentiam, quam sancti Sacerdotes, Episcopi, et summi Pontifices in tractando sanctissimo tuo corpore et sanguine adhibuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

IX.

Divinissimum Cor Jesu, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei sunt absconditi! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnem culpabilem ignorantiam circa ea, quae augustissimum amoris tui Sacramentum concernunt. In compensationem Tibi offero omnes illas curas et labores, quibus sive sancti Doctores, sive zelosi Catechistae in explanando hoc divinissimo mysterio unquam se in toto terrarum orbe dediderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

X.

Divinissimum Cor Jesu, castissimus Matris virgineae partus! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnia impura desideria, verba et opera, quibus unquam in templis tuis carnales homines Te offenderunt. In compensationem Tibi offero illa purissima corda hominum utriusque sexus, qui se Tibi emisso

Digitized by Google

castitatis voto unice consecrarunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XI.

Divinissimum Cor Jesu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum! adoro te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor tot mortalium negligentiam, qui Te in sanctissimo Sacramento in tot Ecclesiis expositum raro admodum visitant. In compensationem Tibi offero illam fere perpetuam adorationem, quam tot cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum Canonici cum tot sacrorum Ordinum religiosis diu noctuque in psalmis et canticis Tibi exhibent, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XII.

Divinissimum Cor Jesu, quod cum ineffabili humilitate et mansuetudine Te in amabilissimo altaris mysterio ipsis adeo inimicis tuis sub speciebus vini et panis sumendum porrigis! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnem rancorem, iram, odium et superbiam, quibus etiam in templis tuis toties offenderis. In compensationem Tibi offero omnem illam humilitatem et mansuetudinem, qua maximi etiam Principes, Reges et Imperatores, deposita omnis honoris et vindictæ cupiditate, coram Te unquam comparuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XIII.

Divinissimum Cor Jesu, quod usque in mortem pro salute animarum tuarum zelasti! adoro Te summa qua

Digitized by Google

possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnia scandala, quae in tua praesentia in detrimentum tot animarum committuntur. In compensationem Tibi offero omnem zelum, quo pii concionatores in omnia scandala in templis perpetrata invehuntur, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XIV.

Divinissimum Cor Jesu, quod nihil ardentius, quam Te in sanctissimo Sacramento nobis intime unire desideras! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor illam acediam tot mortalium, qui, dum raro admodum ad sacram communionem accedunt, haec tua desideria frustrantur. In compensationem Tibi offero illa incensissima amoris desideria, inter quae primi Christiani cum sanctis Apostolis et Discipulis tuis quotidie ad Te sumendum accesserunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XV.

Divinissimum Cor Jesu, Cor prae omnibus cordibus benedictum! adore Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnes blasphemias, maledicta, execrationes et imprecationes, quibus mortales in altaris Sacramento Te violant et profanant. In compensationem Tibi offero omnia omnium sanctorum Ecclesiae Patrum elogia et laudes, quibus Te extollunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Digitized by Google

XVI.

Divinissimum Cor Jesu, cujus cultui et adorationi omnes coeli et terrae divitiae debentur! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnia sacrilegia furta, quibus tua templa exspoliantur, omnemque avaram tenacitatem in iis reparandis, aedificandis et exornandis. In compensationem Tibi offero omnem liberalitatem piorum fundatorum et benefactorum sanctarum aedium tuarum, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XVII.

Divinissimum Cor Jesu, sedes innocentiae et sanctitatis! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et execror omnia peccata et sacrilegia, quae, dum in sacra communione sumeris, perpetrantur. In compensationem Tibi offero tenerrimam illam innocentiam et sanctarum animarum devotionem, qua ad divinissimum convivium tuum unquam accesserunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XVIII.

Divinissimum Cor Jesu, quod toties per plateas circumferri, et ipsas adeo domos nostras subire dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et execror omnes negligentias et irreverentias, quae in Te comitando admittuntur. In compensationem Tibi offero omnem pietatem illarum sanctarum confraternitatum, quae promovendo tuo, etiam extra templa, cultui singularem curam impendunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Digitized by Google

XIX.

Divinissimum Cor Jesu, Cor veri Filii Dei! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnes superstitiosas et magicas artes, quibus scelerati homines Te in sanctissimo Sacramento ad omnia flagitia, magistro diabolo, abutuntur. In compensationem Tibi offero omnem dolorem animarum poenitentium, quo et sua et aliorum contra Te in amoris Sacramento nobiscum habitans admissa scelera amarissimas inter lacrymas expiarunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XX.

Divinissimum Cor Jesu, quod nunquam satis adorari a mortalibus potes! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnem languorem, et respectum humanum in devota coram Te manuum elevatione et profunda genuflexione facienda. In compensationem Tibi offero omnem illam adorationem profundissimarum reverentiarum, quas sive manibus, sive genibus pii altarium tuorum ministri Tibi unquam exhibuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXI.

Divinissimum Cor Jesu erga homines liberalissimum! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnem injustitiam et negligentiam in administrandis pro tuo cultu augendo factis piis fundationibus. In compensationem Tibi offero omnem curam et diligentiam, quam his sanctis fundationibus defendendis, et integre conservandis, aut etiam augendis pii toparchae, et

Digitized by Google

templorum tuorum fabricis praefecti ubique terrarum impenderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXII.

Divinissimum Cor Jesu, pretiosissimum verae Ecclesiæ monumentum! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnem crudelitatem et barbariem, quibus contra Te in sanctissimo Sacramento haeretici desaevierunt. In compensationem Tibi offero omnem illum singularem honorem, quem Tibi in hoc divinissimo mysterio certi ordines sive religiosi, sive militares, sive equestres deferunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXIII.

Divinissimum Cor Jesu, vera lux mundi! adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et deprecor omnem voluntariam caecitatem et obdurationem Judaeorum, Turcarum, omniumqne idololatrarum, quibus in aris nostris factus es scandalum et stultitia. In compensationem offero Tibi indefatigabilem illum zelum tot apostolicorum virorum, qui inter incredulas gentes tanto cum labore augustissimum Eucharistiae Sacramentum prædicant, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXIV.

Divinissimum Cor Jesu, coram quo flectantur omnia genua coelestium, terrestrium et infernorum! Adoro Te summa qua possum reverentia. Detestor autem et de-

Digitized by Google

precor omnia, quaecunque demum peccata et scelera, quæ contra Te in amoris Tui Sacramento per totum terrarum orbem unquam perpetrata sunt. In compensationem Tibi offero omnem honorem et cultum, omnem reverentiam et amorem, qui Tibi in hoc ipso ineffabili mysterio ab ulla unquam creatura exhibiti sunt, et deinceps exhibebuntur, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Preces sodalitiae,

quas alumni Oenipontani Convictus Theologorum ad S. Nicolai quotidie post Missam communitatis recitant pro suis in Convictu quondam sociis nunc in vinea Domini operariis.

(*Indulg. privat.*)

Antiphona. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Psalm. Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi:

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus; et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri. — Sicut erat. etc.

℣. Oremus pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in Te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

Digitized by Google

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Ecclesiae tuae Deus sanctificator et custos, suscita in ea, et praesertim in hocce Seminario tuo per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis Te protegente dirigatur.

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Ch. D. N.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

Pridie ordinationis alumnorum subjunguntur usitatæ

Litaniae D. N. J. Ch., Sacerdotis et Victimae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu, Sacerdos in aeternum,
Jesu, appellate a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech,
Jesu, Pontifex quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, Pontifex magne,
Jesu, Pontifex ex hominibus assumpte,
Jesu, Pontifex pro hominibus constitute,
Jesu, Pontifex confessionis nostrae,
Jesu, Pontifex amplioris prae Moysè gloriae,
Jesu, Pontifex tabernaculi veri,
Jesu, Pontifex futurorum bonorum,
Jesu, Pontifex sancte, innocens et impollute,
Jesu, Pontifex fidelis,
Jesu, Pontifex misericors,
Jesu, Pontifex benefice,
Jesu, Pontifex Dei et animarum zelo succense,
Jesu, Pontifex in aeternum perfecte,
Jesu, Pontifex qui penetravit coelos,
Jesu, Pontifex sedens ad dexteram Majestatis in excelsis,
Jesu, Pontifex nunc apparens vultui Dei pro nobis,
Jesu, Pontifex qui initiavit nobis viam novam et viventem,
Jesu, Pontifex qui dilexit et lavit nos a peccatis in sanguine suo,
Jesu, Pontifex qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et Hostiam Deo,
Jesu, Hostia Dei et hominum,
Jesu, Hostia sancta,
Jesu, Hostia immaculata,
Jesu, Hostia accepta,
Jesu, Hostia placabilis,
Jesu, Hostia solemnis,
Jesu, Hostia laudis,
Jesu, Hostia pacifica,
Jesu, Hostia propitiationis,
Jesu, Hostia salutis,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, Hostia, in qua habemus fiduciam et accessum ad Deum,
Jesu, Hostia, quae fecit utraque unum,
Jesu, Hostia mactata ab origine mundi,
Jesu, Hostia vivens in saecula saeculorum,
Miserere nobis.

Propitius esto! Parce nobis Jesu.
Propitius esto! Exaudi nos Jesu.

Ab omni malo
A temerario in clerum ingressu
A peccato sacrilegii
A spiritu incontinentiae
A turpi quaestu
Ab omni simoniae labe
Ab indigna opum ecclesiasticarum dispensatione
Ab amore mundi ejusque pomparum
Ab indigna Mysteriorum celebratione
Per aeternum sacerdotium tuum
Per sanctam Divinitatis unctionem, qua a Deo Patre in sacerdotem inauguratus fuisti,
Per sacerdotalem spiritum tuum
Per ministerium illud, quo Patrem tuum super terram clarificasti
Per cruentam tui ipsius immolationem semel in cruce factam
Per illud idem sacrificium in altari quotidie renovatum
Per divinam illam potestatem, quam in sacerdotibus tuis unicus et invisibilis Sacerdos exerces
Libera nos Jesu.

Ut omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut fiat in illis spiritus sacerdotii tui,
Ut labia sacerdotum scientiam custodiant,
Ut in messem tuam mittas operarios inconfusibiles,
Ut ministros tuos efficias flammam ignis,
Te rogamus audi nos.

Digitized by Google

Ut suscites pastores secundum Cor tuum,
Ut omnes sacerdotio fungentes irreprehensibiles sint et sine macula,
Ut qui viderint ministros altaris, Dominum venerentur,
Ut sint tibi offerentes sacrificia in justitia,
Ut per eos Sanctissimi Sacramenti cultum ubique promovere digneris,
Sacerdos et Victima!
— Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis.

℣. Jesu, Sacerdos, audi nos.
℟. Jesu, Sacerdos, exaudi nos.

Oremus.

Ecclesiae tuae, Deus, sanctificator et custos, suscita in ea, et praesertim in hocce seminario tuo, per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis te protegente dirigatur.

Deus, qui ministrantibus et jejunantibus discipulis segregari jussisti Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsisti eos, adesto nunc Ecclesiae tuae (jejunanti et) oranti, et tu, qui omnium corda nosti, ostende quos elegeris in ministerium. Per Christum. etc.

Prima cujuslibet mensis feria VI dicuntur Litaniæ SS. Cordis relatae supra p. 429 cum Actu consecrationis exhibito p. 405.

Digitized by Google

§. III.
PIÆ ASPIRATIONES AD SS. COR JESU.

Preces jaculatoriae ad Cor Jesu.
(Ex P. Schauenburg.)

Bonum Cor Jesu! quando tandem et meum cor erit bonum, bonum propter Te, bonum pro Te?

O misericordissimum Cor! miserere aliquando hujus mei tam miseri cordis. Ita rogo Te per Cor optimum Matris tuae.

Cor Jesu! cor novum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Cor Jesu! quamdiu extra Te ad creaturas evagabitur seductum et miserum cor meum?

Cor Jesu! quam bonum et quam jucundum est habitare in Te!

Cor Jesu! superamabilissimum! quis separabit cor meum ab amore Tui! Tu scis, quia amo Te.

Cor Jesu! quando mihi aut bene fuit, cum fui extra Te, aut quando male mihi fuit, quando fui intra Te!

Cor Jesu! in cujus potestate sunt omnium hominum corda, subjice aliquando Tibi et meum cor.

Cor Jesu! nolo esse in ullo creaturae alicujus corde, corde instabili et fallaci. Si Tu me ames, satis est.

Cor Jesu! O ut regnes in omnium cordibus! vince tandem tot rebellia corda, et vive omnipotens Rex cordium.

Cor Jesu! o quam bonum Cor es iis, qui recto sunt corde.

Cor Jesu! totum me absconde intra Te, ne peream extra Te.

Digitized by Google

O Jesu! sicut nòn est amor, sicut amor tuus, sic non est cor, sicut Cor tuum.

Cor Jesu, Cor carneum! emolli et meum, et tot aliorum hominum corda. Quae facta sunt propter Te, emolliantur aliquando pro Te.

Cor Jesu! Cor divinissimum! quamdiu non toto corde amabo Te? Heu! amor non amatur.

Cor Jesu! infelix momentum! quo Te non amavi: infelicius adhuc, quo Te etiam offendere ausus fui!

O! si fuissem loco illius lanceae, exire de vulnerato Jesu Corde noluissem, sed dixissem: haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Cor Jesu! quis cognoscet, quae sit latitudo et longitudo, quae sublimitas et profunditas amabilitatis et amoris tui!

O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum!

Cor Jesu! o ut Te Haereticis, Turcis, idololatris praedicare liceat! quanta voluptas esset pro Te dare cum omni sanguine etiam cor meum, cor pro Corde, cor miserum pro optimo et incomparabili Corde!

Filii hominum! usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? quaerite Cor Jesu, et invenietis requiem cordibus vestris.

Cor Jesu! fac mecum, quod vis; scio enim, quod longe melius mihi velis, quam ego mihi ipsi. Amas me plus, quam ego me ipsum amem.

Cor Jesu! quomodo aspiciam vulnus tuum, et non vulnerabitur cor meum? Nolo esse sine vulnere saltem amoris, cum Te videam vulneratum.

Qui non amat amabilissimum Cor Jesu, anathema sit.

O Jesu! nollem habere cor, si eo non possem amare tuum tam bonum Cor.

Digitized by Google

O miseri mortales! quam erratis corde, quotquot aberratis a Corde Jesu!

Cor Jesu! quod pro me transfixum es in cruce, figaris mihi in corde.

Cor Jesu! sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium.

Cor Jesu! ecce! incircumciso sum corde. Aufer, quaeso, quod Tibi in eo displicet: imo totum cor aufer, qui nullum cor desidero, nisi Te ipsum.

Cor Jesu! Tu corda nosti omnium, et finxisti singillatim corda eorum. Miserere tot cordium non amantium Te. Ama, ut ament: ama, ut redament.

O ubi estis tot hominum corda? Ad Cor Jesu mei revertimini praevaricatores. Convertimini in toto corde vestro: scindite corda vestra, et facite vobis cor novum.

Cor Jesu oblivioni datum, et in tot hominum cordibus mortuum! ah! per quot templa jam solum es in amoris tui Sacramento! In his omnibus praesens esse cuperem, ut loco omnium mortalium Te ibi cum Angelis adorare, laudare, amare possem.

Pereat hoc momento cor meum, si vel gutta sanguinis ibi sit, quae non caleat amore Cordis Jesu mei.

Cor Jesu mitissimum, humillimum, patientissimum etc. quam dissimile adhuc Tibi est cor meum!

Cor Jesu! quam gaudeo propter Te, eo quod non pauci habeant Te in corde suo. Auge, quaeso, in dies numerum ex toto corde Te amantium.

Defecit caro mea, et cor meum in Te, o Cor Jesu mei!

Cor Jesu! da, quaeso, ne coram Te cor meum unquam reprehendat me. Da cor innocens, ut in eo Tibi complaceas.

Laetetur cor quaerentium Cor amabilissimum Jesu Dei mei.

Digitized by Google

Cor meum! delectare aliquando in solo Corde Jesu et dabuntur tibi petitiones tuae.

O Jesu! praebe mihi Cor tuum. O quanto aptius illud meo quam tuo pectori quadraret; si enim in me esset, amaret Te amore dignissimum. Dum vero nunc est in Te, amat me non tantum nullo amore sed etiam odio dignissimum.

Cor Jesu! dulcissimo vulneri Tuo commendo Tibi me, et mea omnia, amicos, benefactores, parentes, consanguineos, hanc domum, hanc urbem, patriam meam, superiores meos, inimicos meos, peccatores praesertim obdurati cordis, omnes animas in purgatorio etc. Specialiter autem commendo omnes eos, qui mecum foedus inierunt Te colendi, et amandi. His benedic secundum plenitudinem bonitatis Tuae.

O Cor Jesu! rogo Te,
Ne permittas mori me,
Antequam non toto me
Imiter, amemque Te.

Antiph. Ave, admirabile Cor Jesu, te laudamus, te benedicimus, te glorificamus, tibi gratias agimus, tibi cor nostrum offerimus, donamus et consecramus: accipe et posside illud totum: purifica, illumina et sanctifica, ut in ipso vivas et regnes in perpetuum. Amen.

℣. Jesu, mitis et humilis Corde:

℟. Fac cor nostrum secundum cor Tuum.

Oremus.

Respice, quaesumus, Domine, in faciem et in Cor Christi tui, et sacris quibus ardet ignibus ita corda nostra comburas, ut nihil nobis sapiat, nihil nos delectet, nihil nos alliciat, praeter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Digitized by Google

Affectus animae devotae, Rhythmo expressi, ad Sanctissimum Cor Jesu Christi.

O divinum Cor, aveto!
Te saluto corde laeto,
Te complecti me delectat;
Istud unum quod affectat
Cor ad Deum sitiens.

O quis amor Cor urebat!
Quis te zelus tunc urgebat!
Cum te prorsus exhaurires,
Ut te nobis impartires,
O fons indeficiens!

O mors dira, mors amara!
Vah! immitis et avara,
Quae nec Jesum praeteristi;
Quin hunc telo feris tristi,
Rumpens Cor dulcissimum.

O per mortem, quam tulisti,
Et Cor fodi permisisti,
Meum, precor, intellectum,
Redde simul et affectum
Cordi tuo consonum.

In medullam cordis mei,
O fac summae dator spei
Tuus amor inseratur;
Meus in te transferatur
His caducis altior.

Quisquis amat, sed sincere,
Hoc quod loquor, sentit vere:
Nullus modus est amori,
Pro dilecto cogit mori
Amor morte fortior.

Digitized by Google

Amans vivit per amorem,
Nescit moras, vincit morem.
Quidquid jubet Praedilectus,
Promptus capit hoc affectus,
Nulli cedens aspera.

Sit haec prima mihi cura,
Ut te mente quaeram pura,
O quam vere tunc laetabor!
O quam felix gloriabor!
Jesum cum possedero.

Pande Cordis tui sinum;
Scis queis meum sit vicinum.
En, mi Jesu, cor paratum!
Cape, ne vis potestatum,
Caro, mundus rapiat.

Huc anhelat, huc movetur,
Ubi cubet et moretur,
Nil prae Jesu lubet scire,
Nec terrenum quid ambire,
Ut te solum sapiat.

Ant. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

℣. Haurietis aquas in gaudio:
℟. De fontibus Salvatoris.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperire dignatus es: concede propitius, ut gratiis coelestibus ex hoc divinissimo fonte manantibus corda nostra ditari ac recreari mereantur. Qui vivis. etc.

Digitized by Google

Sensa animae SS. Cordi Jesu devotae.

Cor Jesu, magnes cordium,
Amoris domicilium.
Cor meum attrahe.
Tu amas et non redamo,
Tu ardes, ego frigeo;
Hoc frigus exime.

Cor Jesu non obstantibus
Tot culpis, et tot sordibus
Me reum diligit;
Et Jesum, licet omnibus
Dignissimum amoribus,
Cor meum negligit?

Mirabile compendium
Mysteriorum omnium
Est mensa Domini,
Hic Jesus semper nascitur,
Occultus, vivit, patitur,
Unitur homini.

Hic Cordis Jesu intima
Se pandunt penetralia,
Hic flamma proruit.
Te, Jesu Eucharistice,
Sub niveo velamine
Quo amor abripit!

Tot video incendia,
Quot video Altaria,
In quibus latitas.
Sub ipso meo pectore
O! Hospes divinissime
Quam frequens habitas!

Digitized by Google

Haec prorsus ineffabilis
Dilectionis extasis
Quas grates recipit?
Ah! Esca sacratissima
Recipitur cum nausea,
Et prope viluit.

Continuis sacrilegi,
Judaei, magi, ethnici
Te petunt odiis.
Est amor plane nimius,
Quo Jesu te tot hostibus
Inermem objicis.

Si te non curant alii,
Privati dono fidei,
Blasphemos censeo.
Me ipsum quem nunc censeam,
Si credam, et non diligam?
Me ipsum horreo.

Detestor cor insensile,
Ni amem, nolim vivere.
Te Jesum diligo.
Vos flammae cor corripite,
Et gelu cordis solvite;
Ardere cupio.

Scrutabor tua decora
In corpore et anima,
Ut flammas nutriam;
Ingrediar sanctissima
Divinitatis adyta,
Ut totus ardeam.

Digitized by Google

Per plana et per ardua
Perfecta sit concordia
Nostrorum cordium.
Hinc memet ipsum exuo,
Et sensus tuos induo;
Non meus, tuus sum.

Ad te cor meum avolat,
Cor Cordi se associat;
Dignare diligi.
Concede semper tacito
Affectuum commercio
Me tibi colloqui.

Cor tuum sit perpetua
Pro corde meo victima.
Quid ego immolo?
Mactata cordis vitia
Sunt mea sacrificia,
Quae tibi affero.

Amoris tui area
Est tota mundi orbita;
Tot aras incolis.
Abibo mente peregre,
Et, quando licet, corpore,
Inquiram, ubi sis.

Jam visam solitarium,
Piorum jam sub hominum
Latentem cordibus,
Nunc labris morientium,
Mystarum nunc litantium
Haerentem manibus.

Quocunque te invenero
Amoris in negotio,
  Haerebo lateri.
Hae meae sunt deliciae,
Si detur tecum vivere,
  Amori immori. Amen.

Ant. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum et refloruit caro mea.

℣. Cor Jesu, caritatis victimam:
℟. Venite adoremus.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui ineffabili caritatis miraculo, ut mortalium corda tibi tota devincires, sacratissimum corpus tuum ipsis in pabulum impertiri dignatus es; exaudi supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, et in quos suavissimi Cordis tui affectus dirigis, in eos misericordissimae pietatis oculis benignus intende, ut dignum tibi in hoc sacro mysterio obsequium exhibentes, ejusdem sacratissimi Cordis accendamur affectibus, et dignis in aeternum laudibus ejusdem divini Cordis erga nos effectus prosequamur. Qui vivis et regnas, etc.

Invocationes SS. Cordis Jesu in forma Litaniarum propositae a P. Eudes.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Cor Jesu divinissimum,
Cor amantissimum,
Cor mitissimum,
Cor humillimum,
Cor misericordissimum,
Cor fidelissimum,
Cor Patris aeterni,
Origo Spiritus sancti,
Plenitudo divinitatis,
Sanctuarium Trinitatis,
Thronus divinae voluntatis,
Cor Virginis Matris,
Cor adorabile,
Cor amabile,
Cor admirabile,
Cor incomparabile,
Fornax amoris,
Miraculum sanctitatis,
Norma patientiae,
Speculum obedientiae,
Exemplar virtutum,
Fons omnium gratiarum,
Amore vulneratum,
Dolore disruptum,
Lancea transfixum,
Templum caritatis,
Altare dilectionis,
Sacerdos cordium,
Thuribulum aureum,
Holocaustum aeternum,
Calix inebrians,
Nectar deificans,
Consolator afflictorum,

Miserere nobis.

Refugium peccatorum,
Zelator animarum,
Raptor cordium,
Pax nostra carissima,
Spes nostra dulcissima,
Cordis nostri gaudium,
Cordis nostri Cor dilectissimum,
Cordis nostri thesaurus,
Cordis nostri paradisus,
Vita cordis nostri,
Rex cordis nostri,

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.
Ab omni peccato, libera nos Jesu.
A superbia vitae,
Ab inordinato amore,
A caecitate cordis,
A neglectu inspirationum tuarum,
A morte perpetua,
Per Cor tuum amantissimum,
Per maximum ejus in peccatum odium,
Per infinitum ejus in Patrem aeternum amorem,
Per dulcissimam ejus in matrem sanctissimam dilectionem,
Per summum ejus erga crucem affectum,
Per acerbissimos dolores illius,
Per ipsum amore et dolore in morte disruptum,
Per aeterna ejus gaudia,

Libera nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

Digitized by Google

Ant. Oculi omnium ad te convertuntur, o Cor sacratissimum amantissimi Jesu! vitam gratiae a te accipient, et omni benedictione et gaudio replebis eos.

℣. Deliciae Cordis Jesu:

℟. Esse cum filiis hominum.

Oremus.

Deus, qui, propter nimiam caritatem tuam, nos Unigeniti tui membra et filios tuos efficiens, cor unum cum capite et patre nostro habere voluisti: praesta, quaesumus, ut igne tui amoris et flamma caritatis Cordis amantissimi Jesu accensi, tuam in omnibus voluntatem corde magno adimpleamus; et quae recta sunt desiderantes, desiderata percipere mereamur. Per eundem D. N. J. Ch.

Ad vulnus SS. Cordis Jesu.

Salve scissum cum dolore
Jesu Cor dulcissimum,
Nobis patens ex amore.
Praesta cordis gaudium;
Det virtutem cum splendore
Caritas incendium.

O quam immensa caritas!
O Cordis mira bonitas!
Jesu, Te totum tribuis,
Nobis Cor tuum aperis.

Hymnus de amore in Jesum.

Salve cordis gaudium,
Salve Jesu,
Pectoris incendium,
Salve Jesu,
Animae praesidium,
Salve Jesu, bone salve Jesu!

Digitized by Google

Millies Te cogito,
Veni Sponse,
Millies Te quaerito,
Veni Sponse,
Millies Te flagito,
Veni Sponse, care veni Sponse!

Pasce me vulneribus,
Mens dulcescet,
Lacta me uberibus,
Cor liquescet,
Merge me visceribus,
Spes virescet, vita repubescet!

Nihil Te est suavius,
Suavis amor!
Nihil Te est dulcius,
Dulcis amor!
Nihil Te est mitius,
Mitis amor, Jesu, dulcis amor!

Rigeo, accende me,
O Amator!
Langueo, solare me,
O Creator!
Morior, defende me,
O Salvator! Jesu mi Salvator!

§. IV.
INTENTIONES AD HORAS BREVIARII VEL OFFICII MAGNI IN HONOREM SS. CORDIS JESU.

	Cum	in honorem	in gratiarum actionem	in satisfactionem	in impetrationem
Ad Matutinum	Beatissima et S. Josepho	Cordis Deum Patrem et nos homines tenerrime amantis.	Hujus duplicis amoris et omnium ejus actuum.	Huic sanctissimo Cordi maxime olim devotarum animarum in purgatorio.	Augmenti devotionis publicae erga hoc sanctissimum Cor in aliis.
Ad Laudes	Sanctis Angelis	Cordis divino-humani mitis, humilis, fidelis, liberalis.	Omnium perfectionum hujus sanctissimi Cordis.	Frequentis erga hoc S. Cor infidelitatis in violatis propositis.	Majoris amoris Dei et proximi in corde meo.
Ad Primam	B. Margarita Maria Alacoque.	Cordis formati a Spiritu sancto, sumpti de carne Beatissimae.	Omnium honorum, quos S. Cor hoc ab hominibus accepit.	Nimii timoris et respectus hominum.	Magnanimitatis solum Deum timentis.
Ad Tertiam	Familia et progenitoribus Christi	Cordis pleni dulcedine divinitatis et dolore humanitatis.	Hujus Cordis dolorum et gaudiorum.	Vulneris post mortem accepti.	Effluentis sanguinis et aquae super animam meam.

Digitized by Google

	Cum	in honorem	in gratiarum actionem	in satisfactionem	in impetrationem
Ad Sextam	Sancto Francisco Seraphico et S. Clara.	Cordis tot satiati opprobriis in passione et irreverentiis in SS. Sacramento.	Ejus Cordis in passione et SS. Sacramento habitae nobiscum patientiae	Nostrae versus hoc Cor irreverentiae in SS. Sacramento.	Majoris devotionis ad s. hoc Cor in sacramento Altaris, Missa et Communione
Ad Nonam	Sancto Joanne Evangelista, S. Thoma	Cordis vulnere, Cruce, Corona, et amoris flamma se ab omni corde distinguentis.	Revelatae hujus devotionis ad SS. Cor suum.	Multorum obliviosae ingratitudinis erga hoc Cor.	Majoris fiduciae in SS. Cor et ejus devotionem.
Ad Vesperas	Sancto Aloysio	Cordis optimi, sapientissimi, sacratissimi, nobis omnia sua merita transcribentis.	Extremae et dolorosissimae palpitationis in Cruce.	Peccati huic sanctissimo Cordi maxime exosi.	Majoris compassionis cum hoc S. Corde maxime in oliveto.
Ad Completorium	Omnibus ei devotis adhuc viventibus	Adorantis Patrem, Adorabilis in se, Adorati ab omni creatura.	Dignitatis infinitae hujus Cordis ob divinitatem.	Meae tepiditatis in adorando hoc sancto Corde.	Majoris erga id devotionis in me.

Orationes

Horis Canonicis utiliter praemittendae,

quas Christus Dominus docuit S. Gertrudem orare.

L. III. Insinuat. divin. Piet. c 46.

Ad Matutinam.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in innocentia integerrimae virginitatis Matris tuae, qua ipsa te Virgo concepit, Virgo peperit, et post partum Virgo inviolata permansit, et imitata est tuam innocentiam, qua tu hora matutina pro redemptione generis humani captus, ligatus, alapis et fustibus caesus, diversisque contumeliis et opprobriis miserabiliter et immisericorditer es affectus.

Laudo et saluto te, Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus sancti sacrarium, per dulcissimum Cor Jesu Christi Dei Patris, tuique amantissimi Filii, orans, ut in omnibus indigentiis, et in hora mortis nobis succurras. Amen.

Ad Primam.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in humilitate illa placidissima, qua intemerata Virgo Mater tua, magis magisque habilitabatur ad te suscipiendum, et imitata est tuam humilitatem, qua tu Judex vivorum et mortuorum, hora prima coram gentili homine judicandus adstare humiliter es dignatus pro redemptione generis humani.

Laudo et saluto te, Mater, etc.

Ad Tertiam.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum in desiderio illo ferventissimo, quo sanctissima Mater tua, te Filium Dei, de sinu Patris summi traxit in

uterum suum virginalem, et imitata est te in illo desiderio ferventissimo, quo tu salutem humanam desiderasti, cum duris flagellis caesus, spinis coronatus, et hora tertia crucem ignominiosissimam, tuis fessis cruentatisque humeris cum summa mansuetudine et patientia dignatus es bajulare.

Laudo et saluto te, Mater. etc.

Ad Sextam.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in spe illa securissima, qua coelica Virgo Mater tua, per bonam voluntatem et sanctam intentionem semper ad laudem tuam aspirabat, et imitata est te, qui in alta crucis arbore suspensus, inter ipsas mortis acerbitates, totis viribus anhelabas ad humani generis redemptionem: unde et clamabas: *Sitio,* in tantum scilicet salutem animae humanae, quod si necesse fuisset, adhuc duriora et amariora supplicia pertulisses teque ad universa pro redimendo homine gratis paratum obtulisses.

Laudo et saluto te, Mater. etc.

Ad Nonam.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in ardentissimo illo amore mutuo, scilicet divini Cordis, ac intemeratae Virginis Matris tuae, quae Divinitatem excellentissimam tenerrime conjunxit, ac inseparabiliter counivit humanitati in utero virginali, et imitata est te, vitam viventium hora nona in cruce prae amoris magnitudine morti acerbissimae succumbentem ob humanam redemptionem.

Laudo et saluto te, Mater. etc.

Ad Vesperas.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in fide illa constantissima, qua B. V. Mater

Digitized by Google

tua . . . . tempore mortis tuae recedentibus Apostolis in vera fide perstitit immobilis, et imitata est te in fidelitate illa, qua jam mortuus de cruce depositus, subsecutus es hominem etiam usque ad limbum inferni, unde ipsum omnipotenti manu misericordiae tuae eripiens, transvexisti ad gaudia paradisi.

Laudo et saluto te, Mater. etc.

Ad Completorium.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in perseverantia illa laudabilissima, qua Mater tua dulcissima in omnibus bonis et virtutibus perseveravit usque in finem, et imitata est te tanta diligentia opus humanae redemptionis peragentem, ut etiam post obtentam amarissima morte veram hominis liberationem, nec dum omiseris corpus tuum incorruptibile humano more tradere sepulturae, ut demonstrares nihil omnino esse tam vile, quod pro salvatione hominis recusares.

Laudo et saluto te, Mater etc.

---

§. V.

BREVES MEDITATIONES DE PASSIONE DOMINI

sub ipso Sacro instituendae.

(Ex P. Schauenburg.)

Meditationes has de sanctissima passione Christi hic sistimus, tum quia sacrosanctum Missae Sacrificium ex ipsa institutione Domini nostri Jesu Christi memoriale est Passionis Dominicae; ob quam ipsam rationem hujus

Digitized by Google

passionis contemplatio sub sacrificio Missae ab omnibus SS. Patribus, Theologis et Ascetis omnibus aliis precibus praefertur; tum ut cultores Cordis Jesu sensim assuefiant per sanctas meditationes sanctissimum Cor Jesu, abyssum illam mysteriorum Dei, penitius intrare. Denique servient etiam hae meditatiunculae ad lucrandas indulgentias, quas Benedictus PP. XIV. an. 1746. concessit iis, qui saltem per horae quadrantem singulis diebus et per totum mensem orationi mentali dabunt operam: Indulgentias, inquam, plenarias semel in mense, si vere poenitentes et confessi die quocunque sibi commodo sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et consuetas preces ad intentionem Summi Pontificis persolverint: quas quidem Indulgentias etiam animabus in purgatorio detentis per modum suffragii applicare possunt.

Caeterum illud quoque tanquam punctum summi momenti servandum est, ut si forte in aliqua ex hisce considerationibus sub SS. Sacrificio animae tuae quietem inveneris, illi pro data tibi hic et nunc gratia, quamdiu illa aspirat, studiose immoreris, licet forsan alias subsequentes etiam plures aut omnes omittere deberes.

I. Quando Sacerdos ad aram procedit.

Memoria. Jesus in ultima coena Sacrificium Missae instituit, seque hominibus in cibum et potum relinquit. *Intellectus.* Quam bonum debet esse Cor Jesu, dum nobis nil tale promeritis tanta cum liberalitate et prodigiosa amoris inventione se totum quantum quotidie donat. *Voluntas.* O mi Jesu, quam alius ego sum! o quam avarum erga te est cor meum! quam multa hactenus a me petiisti, sed quae ego tibi denegavi. Non ita in posterum. Tu eris Rex cordis mei. Loquere o amabilissime Jesu! ad cor meum, quia jam audit servus tuus.

II. Quando Sacerdos ex ara descendit.

Memoria. Jesus descendit ex monte Oliveti in hortum Gethsemani, et cum eo discipuli sui. *Intellectus.* Veri discipuli et amici Jesu Jesum nunquam deserunt. *Voluntas.* Quam pudet me mei bone Jesu! ad modicam tentationem aut adversitatem, quam saepe recessi a te! o magnanimum Cor Jesu! inspira pusillo cordi meo aliquid divini roboris tui, ut nunquam amplius te deseram.

III. Quando Sacerdos se ad Confiteor inclinat.

Memoria. Jesus in terram prostratus, et orans agoniam patitur, in qua prae angustia Cordis copiosum sanguinem sudat. *Intellectus.* Ad hunc miserandum statum perduxere Jesum mortalium peccata. Si autem Jesus tanta cum vehementia dolet de alienis, quantum ego dolere debeo de propriis! *Voluntas.* Quas ego, o Jesu! tibi grates persolvam pro his angustiis amabilissimi Cordis tui! Per has ipsas rogo te, compunge et meum cor, ut per veram peccatorum meorum contritionem Cor tuum doloribus oppressum, quantum possum, consoler.

IV. Quando Sacerdos iterum ad aram ascendit, eamque in medio osculatur.

Memoria. Judas osculo Jesum Judaeis prodit. *Intellectus.* Numquid ego frater sum Judae, quando ore quidem Jesum me amare profiteor, cor meum autem longe est a Jesu? *Voluntas.* Amantissime Jesu, qui Judam etiam tunc, quando te hostibus tradit, amici nomine dignatus est *amice! ad quid venisti?* Agnosco, laudo et amo tuum caritate etiam erga inimicos tuos supereffluens Cor. Sincerissima haec caritas trahit cor meum, ut non ore tantum, sed etiam corde tuum esse sincerissime jam velim.

Digitized by Google

V. Ad Kyrie eleison.

Memoria. Jesus verbis illis: *Ego sum,* prosternit ad terram omnes inimicos suos, quibus tamen mox ultro se captivum tradit. *Intellectus.* Quam dura sunt peccatorum corda, etiam ad manifesta miracula! Nimirum contemnet peccator, cum in profundum venerit. *Voluntas.* O Jesu dulcissime! cujus Cor prae amore mei factum est tanquam cera liquescens, tantum ne permittas me fieri hominem duri cordis. Da gratiam! gratiam, gratiam, sed magnam et efficacem, sine qua ipsis Judaeis opere sceleratior, et corde obstinatior fierem.

VI. Quando Sacerdos dicit Gloria in excelsis.

Memoria. Judaei laetantur ob captum Jesum. *Intellectus.* Et nos Christiani saepe laetamur in rebus pessimis, quibus ipsis Jesum nostrum offendimus; cum tamen vel unicum peccatum mereretur infinitam tristitiam. *Voluntas.* Detestor mi Jesu ex toto corde omne gaudium, omnem voluptatem, omnem laetitiam, quae extra te est. In hoc solo laetabitur deinceps cor meum, si fiam captivus tuus, tractus ad te ab amabilissimo Corde tuo in vinculis caritatis tuae.

VII. Ad Epistolam.

Memoria. Jesus inter sputa, alapas, atrocissimas calumnias etc. praesentatur Annae et Caiphae, tanquam ovis ad occisionem ductus. *Intellectus.* Quam mansuetum est Cor Jesu innocentissimi, qui ad haec opprobria vix verbulum loquitur! quale autem est cor meum, si quam injuriam mihi illatam esse putem? *Voluntas.* Jesu mitis corde! aufer a me omnem amaritudinem cordis, ponéque ori meo custodiam et ostium circumstantiae labiis meis,

me ulla unquam iracundia proximum meum, et in hoc ipsum mansuetissimum tuum Cor offendam, cujus amoribus omnem jam vindictam dono et sacrifico.

VIII. Ad Evangelium.

Memoria. Ter etiam cum juramento negat Petrus, se Jesum nosse. *Intellectus.* Numquid et ego, si non verbo, saltem opere nego Jesum, quando ex respectu humano, ex timore etc. ea ago, quae cum veritatibus Evangelicis a Jesu revelatis minime conveniunt, cum tamen me discipulum ejus ore profitear. *Voluntas.* Benignissime Jesu! cujus Cor misericordia plenum est iis oculis, quibus Petrum respexisti, respicere et me digneris, ut fides cordi meo infusa constanter deinceps resplendeat etiam in opere, quo publice cum Apostolo tuo tester: *Non erubesco Evangelium.*

IX. Ad Credo.

Memoria. Jesus ad Pilatum, dein ad Herodem ducitur, a quo veste alba indutus, tanquam stultus habetur. *Intellectus.* Haec sunt judicia hujus mundi de Jesu, sed quam erronea! *Voluntas.* Jesu! in cujus Corde sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, qui mei amore stultus habere voluisti, te ego sapientiam incarnatam agnosco et adoro; judicia vero et sapientiam hujus mundi stultitiam esse profiteor. Rejicio toto corde omnia illius principia et axiomata, et, si forsan ab eo propterea irridear et contemnar, gratulabor mihi, si dignus habear, pro nomine tuo contumeliam pati.

X. Quando Sacerdos calice detecto panem et vinum offert.

Memoria. Jesus denudatur et crudelissime flagellis caeditur, dein spinis coronatur, et lacero centone indutus

manuique inserta arundine tamquam Rex ludicrus habetur. *Intellectus.* Haec flagella, hae spinae, haec ludibria quanto rubore suffundere me debent, qui cuticulam et honorem meum tam studiose curo plenus amore et aestimatione mei! *Voluntas.* Superamabilissime Jesu! qui omnes flagellorum ictus, omnesque spinarum puncturas acerbius in sanctissimo tuo Corde, quam in carne et capite sensisti, quique immania ludibria hoc ipso suavissimo Corde ex amore mei laetus excepisti; grates immensas pro hoc amore Cordis tui agere tibi cupio. Sed et detestor omnes carnis voluptates, omnem cordis superbiam, quae tantis doloribus et opprobriis sanctissimo huic Cordi tuo stetere.

XI. Quando Sacerdos manus lavat.

Memoria. Pilatus Jesum tradit voluntati Judaeorum, dein lavat manus, dicens: innocens ego sum a sanguine Justi hujus. *Intellectus.* Quam malum est cor hominis ad excusandas excusationes in peccatis suis, saepe in ipso adeo sacro tribunali, ubi peccata nostra parum sincere exponimus! *Voluntas.* Jesu bone his, qui recto sunt corde, da, ut cor meum rectum sit cum Corde tuo, sicut et Cor tuum rectum est cum corde meo. Tu intueris abscondita cordium, et vae dicis illis, qui duplici sunt corde. Aufer, quaeso, a me omnem duplicitatem, ut semper in conspectu tuo ambulem simpliciter.

XII. Ad Orate Fratres et Secret.

Memoria. Maria extreme afflicta est ob sententiam mortis in Jesum Filium suum latam. *Intellectus.* O quam triste et afflictum fuerit tunc Cor benedictum Mariae Matris! *Voluntas.* Jesu! qui dolores Cordis tui Mariae communicasti, hujus ipsius afflictissimum Cor tibi offero, ut eo suppleam, quidquid compassionis erga te tot et

Digitized by Google

tanta amore mei patientem cordi mei deest. Tu vero, o Mater dolorosa! fons amoris, me sentire vim doloris fac ut tecum lugeam; fac, ut ardeat cor meum in amando Jesum Deum, ut sibi complaceam.

XIII. Ad Praefationem et Sanctus.

Memoria. Jesus, qui die Palmarum tanto cum jubilo Jerosolymis est exceptus tanquam Sanctus Sanctorum, nunc cum majori longe ex eadem urbe ad montem Calvariae et crucis patibulum tanquam homo sceleratissimus cum duobus latronibus educitur. *Intellectus.* Quam instabile est cor humanum! quam repente ab amore ad odium transit! *Voluntas.* O Jesu! agnosco satis, quam longe melius sit Cor tuum, quam cor cujuscunque hominis. Quem tu semel amas, amas semper, nisi ultro amori tuo renuntiet. Cum diligis, in finem et usque ad mortem et per totam aeternitatem diligis. Benedictum millies sit hoc Cor tuum, cui nullum est simile. In te uno, o Cor fidelissimum, et in amoribus suis constantissimum, collocabo deinceps spes meas omnes.

XIV. Quando Sacerdos in silentio orat usque ad Consecrationem.

Memoria. Jesus summo in silentio sine omni querela pergit, quamdiu potest, cum cruce sua in montem Calvariæ. *Intellectus.* Dum video Jesum cum cruce sua, numquid audio illius voces: qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me? *Voluntas.* Quam pudet me mei, o bone Jesu! quod hactenus ita exhorruerim eandem vel minimam crucem, quam tamen nonnisi ex amore tui Cordis, quod me plus amat, quam ego me ipsum amo, aut etiam amare possum, mihi immisisti. O amabilissime Jesu! non ita deinceps; hic ure, hic seca, prout tibi placuerit, dummodo in aeternum parcas.

Digitized by Google

XV. Ad elevationem hostiae et calicis.

Memoria. Jesus elevatur in cruce, et sanguis copiosus ex perforatis manibus et pedibus profluit. *Intellectus.* Non frustra sane Jesus in cruce est; neque frustra divinus sanguis profunditur. *Voluntas.* Salvete millies salutis meae vulnera; salve sanguis pretiosissime, redemptionis meae lytrum; in his ego deinceps confidam unice. Hic ego in omnibus meis adversitatibus, in omni tristitia et pusillanimitate robur et auxilium inveniam. Innocentissimae manus tenete me, ne cadam in ullum praesertim grave peccatum. Sanctissimi pedes dirigite me, ut constanter ambulem in via virtutum, potissimum earum, quae statum meum decent. Aspice, o Pater, Jesum Filium tuum pro me in cruce, intuere illius Cor sensim pro me emoriens, et miserere mei, neque sinas animam meam tam caro redemptam aeternum perire.

XVI. Quando Sacerdos orat secreto usque ad Pater noster.

Memoria. Stabat populus spectans, et deridebat crucifixum Jesum. Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. *Intellectus.* Quam inhumana sunt Judaeorum corda, dum homini innocenti, et cum morte inter summos dolores luctanti, jamque moribundo irrident! *Voluntas.* Jesu mi, vere Fili omnipotentis et viventis Dei! haec pati potes, et vis? O cur non emisso e cruce fulmine blasphemos in tartara praecipites agis? sed nempe vincit in bono malum mansuetissimum Cor tuum. O quid non sperem ego ab hoc ipso magnus licet peccator! Eja cor meum, infidum quamvis, et rebelle hactenus, confide. Revertere ad Cor Jesu, ad Cor Patris, imo plus quam Patris; recipiet hoc filium prodigum.

Digitized by Google

XVII. Ad septem petitiones Orationis Dominicae, seu Pater noster.

Memoria. Jesus in cruce septies loquitur, simulque Mariae tanquam filium commendat Joannem, et huic ipsi tanquam Matrem Mariam: *Mulier ecce filius tuus: Ecce Mater tua.* *Intellectus.* Aequum erat, ut per testamentum moriens Jesus relinqueret Mariae optimam portionem, nempe Joannem dilectum suum discipulum, qui et recubuit super pectus Jesu. Sed et Joannes Cordi Jesu carissimus nullum carius legatum accipere poterat, quam Matrem Cordis Jesu. *Voluntas.* Benedictus sis millies, Jesu amabilissime! qui in Joanne nos quoque filios esse voluisti Matris optimae. Per illum amorem, quo Joannem loco omnium mortalium ad divinissimum pectus tuum admisisti, rogo te humillime, fac me ita esse dignum in hac vita Mariae filium, ut aliquando post mortem te cum Matre in aeternum laudare et amare possim.

XVIII. Ad Agnus Dei.

Memoria. Jesus agnus innocentissimus inclinato capite tradit spiritum. *Intellectus.* Aut amor, aut furor est; hic meus, ille tuus. *Voluntas.* Vivat amor Jesu erga me infinitus: pereat inhumanus meus, omniumque peccatorum erga Jesum furor! Tu autem, Pater aeterne, aspice emorientes Jesu Filii tui oculos, mortualem toto corpore erumpentem sudorem, immanibus doloribus plenum agonem, caput se in mortem inclinans, ultimum denique Cordis expirantis anhelitum: aspice, inquam, Jesum pro me jam mortuum, et per hujus amorem fac, ut et ego moriar mihi, tibique unice deinceps vivam.

XIX. Ad Domine non sum dignus.

Memoria. Lancea Jesu latus vulneratur, et corpus ipsum in novo monumento sepelitur. *Intellectus.* Quam

sancta jam habetur lancea, quae Cor Jesu tetigit: quam gloriosum jam est sepulchrum, in quo corpus Jesu jacuit! Sed numquid longe beatior ego sum, qui Cor et Corpus Jesu tam frequenter per sacram communionem et tangere et intra me recipere possum? *Voluntas.* Millies sis benedictus, o Jesu mi! pro hoc ineffabili amore tuo. Et ecce! jam nunc, cum per te ita liceat, quamvis non sum dignus, desidero te intra me recipere. Sitit anima ad te, o Jesu! o Jesu Eucharistice! Tu mihi sis in vita cibus, qui me totum immutet in te, ut et aliquando in morte accipere te merear viaticum pro felici aeternitate

XX. Quando Sacerdos calice iterum tecto ad cornu Epistolae orat, et denique benedicit.

Memoria. Jesus a mortuis resurgens post quadraginta dies coelos ascendit gloriosus impertita prius paucis duntaxat praesentibus benedictione. *Intellectus.* Paucis tantum Jesus benedixit, quia et pauci duntaxat erant, qui de Jesu Passione participarunt. *Voluntas.* O mi Jesu gratulor jam tibi ex animo, qui post tam acerbam passionem gloriosus in coelis ad dexteram Patris sedes. Sed et dignare ex alto, postquam saltem per piam memoriam tuam sanctam passionem participavi, mihi quoque benedicere. Benedic corpori, benedic et animae meae: benedic domui meae, benedic omnibus meae curae subjectis etc., ut cum his ipsis aliquando sanctissima sua vulnera gloriosa, praesertim sanctissimi lateris et Cordis tui, in cœlis aeternum videre et adorare possim. Amen.

APPENDIX.

EXERCITIUM VIAE CRUCIS.

Praemonitum I. *Si hoc exercitium privatim fiat sufficit meditari quamvis breviter de passione Domini, quod est opus injunctum ad acquirendas sacras indulgentias;* [1] *et personis simplicibus sufficit cogitare aliquo modo eorum capacitati accomodato de supradicta passione; quamvis omnes hortemur, obligationem tamen non imponendo, ut unum* Pater *et* Ave *recitent.* [2]

Praemonitum II. *Quamvis pro acquirendis indulgentiis aliquis corporis motus requiratur,* [3] *in publico viae crucis exercitio tamen methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita rite servatur, ut videlicet unoquoque de populo suum locum tenente sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, caeteris alternatim respondentibus.* [4]

---

1) *Clemens PP. XII.:* **Avvertimenti necessarii per ben regolare il divoto esercizio della via crucis d. d. 3. April. 1731., coll. Decret. S. Congreg. Indulgent. d. d. 16. Febr. 1839.: „Non quidem necessarium, expediens tamen erit legere meditationes seu preces illis passionis mysteriis correspondentes,“ necnon Decret. ejusdem S. Congreg. Indulg. d. d. 2. Jun. 1838.: „Recitatio orationis Dominicae et angelicae salutationis tum pro unaquaque Viae Crucis statione quam saltem ipsas preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria ad lucrifaciendas hujus Viae Crucis indulgentias.“**

2) **Benedict. PP. XIV.: Not. ad l. c**

3) **„De una ad aliam stationem transeundum est, quantum id permittit sive multitudo personarum viam crucis peragentium sive angustia loci in quo stationes erectae sunt.“ (Decret. S. Congreg. Indulgent. d. d. 30. Septemb. 1837. et 26. Febr. 1841.)**

4) **Decret. S. Congreg. Indulgent. d. d. 23. Jul. 1757.**

Digitized by Google

PRECES STATIONUM.

Statio I.

Christus ad mortem condemnatur.

Ave Jesu! qui damnaris,
Et ad crucem mox raptaris
Sic jubente praeside.
Fac o Jesu! ut loquendo
Et judicium ferendo
Parcam innocentiae.

Statio II.

Jesus suscipit crucem super humeros.

Ave Jesu! qui onustus
Gravi cruce, etsi justus,
Ad tormenta properas.
Fac o Jesu! ut amanter
Hauriam, sed et constanter
Omnes hic miserias.

Statio III.

Jesus prima vice cadit sub cruce.

Ave Jesu! qui jam fessus,
Gravi crucis jugo pressus,
Prima vice laberis.
Fac o Jesu! ut deplorem
Primum casum et errorem
Copiosis lacrymis.

Digitized by Google

Statio IV.

Jesus crucem bajulans occurrit Matri suae dolorosissimae.

Ave Jesu! cujus pia
Venit Mater hic Maria
Luctu plena obviam.
Fac o Jesu, ut Te patrem
Et Mariam meam matrem
Posthac semper diligam.

Statio V.

Jesus a Simone Cyrenaeo in bajulatione crucis adjuvatur.

Ave Jesu! quem ut ducem
Simon portans tuam crucem
Sequi tandem debuit.
Fac o Jesu! sim amicus
Crucis, sed et inimicus
Ventris, quem mens respuit.

Statio VI.

Veronica Christo sudarium praesentat.

Ave Jesu! cujus vultum
Sputis, plagis tot incultum
Terserat Veronica.
Fac o Jesu! ne idolum
Pingam aliquod, sed solum
Te in mea anima.

Statio VII.

Secundus lapsus Jesu ad portam.

Ave Jesu! cujus cursum
Ingens pondus sistit rursum.
Ecce! cadis denuo.

Digitized by Google

Fac o Jesu! ne peccata
Sacramento expiata
Repetam continuo.

Statio VIII.

Jesus filias Jerusalem flentes alloquitur.

Ave Jesu! qui jussisti
Flere semet planctu tristi
Filias Jerusalem.
Fac o Jesu! ut hanc meam
Conscientiam tam ream
Potius examinem.

Statio IX.

Jesus ad ascensum montis Calvariae tertio cadit.

Ave Jesu! qui sub ligno
Tuis humeris indigno
Tertio jam concidis.
Fac o Jesu! ut non cadam
Nec incautus largas vadam
Vias consuetudinis.

Statio X.

Jesus vestibus nudatur, et felle potatur.

Ave Jesu! qui nudaris,
Felle etiam potaris
Ob intemperantiam.
Fac o Jesu! ut me veste
Semper contegam honeste,
Gulae non indulgeam.

Digitized by Google

Statio XI.

Jesus cruci affigitur.

Ave Jesu! humi stratum
Quis Te cruci conclavatum
Laetus unquam videat!
Fac o Jesu! ut perfectus
Omnis meus sit affectus,
Et vagari nequeat.

Statio XII.

Jesus in cruce levatur, et moritur.

Ave Jesu! dira sorte
Ac funesta crucis morte
Denique qui moreris.
Fac o Jesu! ut per crucem
Impetrem aeternam lucem
Animabus miseris.

Statio XIII.

Jesus de cruce deponitur.

Ave Jesu! corpus tuum
Mater hic in sinum suum
Recipit moestissima.
Fac o Jesu! ut corona
Tua me, hoc quaeso, dona,
Pungat, non superbia.

Statio XIV.

Sepultura Christi.

Ave Jesu! colo multum
Corpus tuum hic sepultum
Glorioso tumulo.
Fac o Jesu! doce praxim,
Ut per sacram Te synaxim
Corde condam limpido.

Digitized by Google

Oratio de Passione Domini.

(E Rituali Romano.)

Oremus.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen. *(Indulg.)*

Digitized by Google

SECTIO II.

PIETATIS EXERCITIA ERGA PURISS. COR MARIÆ.

CAPUT I.

PIETATIS EXERCITIA EX LIBRIS LITURGIC. DEPROMPTA.

---

§. I.

EX MISSALI.

Missa Omnis gloria. [1])

Introitus.

Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus; adducentur Regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi.

Psalm. Eructavit Cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Omnis gloria.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde beatae Mariae Virginis dignum Spiritus sancti habitaculum praeparasti, concede propitius, ut ejusdem purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum.

---

[1]) Approbata a S. R. Congregatione die 21. Julii 1855. V. supra p. 337.

Digitized by Google

Lectio Libri Sapientiæ. Cap. 8.

Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam; si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale. Nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

℣. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Alleluja, Alleluja.

℣. Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 2.

In illo tempore: dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis: Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba haec in corde suo.

Offertorium. Quia fecisti viriliter, et confortatum est Cor tuum: ita et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in aeternum.

Secreta.

Majestati tuae, Domine, Agnum immaculatum offerentes quaesumus, ut corda nostra ignis ille divinus accendat, qui Cor beatae Mariae Virginis ineffabiliter inflammavit. Per Dominum.

Digitized by Google

Praefatio. Et Te in festivitate b. Mariae Virginis.

Communio. Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Postcommunio.

Divinis refecti muneribus Te, Domine suppliciter exoramus, ut beatae Mariae Virginis intercessione, cujus Purissimi Cordis solemnia venerando egimus, a praesentibus periculis liberati, aeternae vitae gaudia consequamur. Per Dominum.

Missa **Omnis gloria.**

(Ex Missali Gallicano.)

Introitus.

Omnis gloria, *ut supra p. 508.*

Oratio.

Deus, qui beatae Mariae semper Virginis Cor sanctissimum spiritualibus gratiae donis cumulasti, et ad imaginem divini Cordis Filii tui Jesu Christi caritate et misericordia plenum esse voluisti, concede, ut qui hujus dulcissimi Cordis memoriam agimus, fideli virtutum ipsius imitatione Christum in nobis exprimere valeamus, qui tecum vivit, etc.

Lectio Cantici Canticorum. Cap. 8.

Pone me, *ut supra.*

Graduale. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

℣. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Alleluja, alleluja.

℣. Ordinavit in me caritatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Digitized by Google

Sequentia.

Terra laetis sonet
Ubique vocibus.
Coelum nos admonet
Efferre laudibus
Cor sacrum Virginis.

Cor grande speculum
Omnipotentiae,
Cor tabernaculum
Coelestis gratiae,
Cor templum numinis.

O quis tanti canat
Cordis altum decus?
Vix spiritus queat
Illud angelicus,
Ut decet pangere.

Gemmae nitidius
Candore niveo,
Solis splendidius
Ardore roseo
Debet effulgere.

Hujus castissima
Cordis integritas,
Hujus sanctissima
Cordis humilitas
Coelo Verbum rapit.

Cordis virginei
Attractum gloria,
Servi formam rei,
In tuo, Maria,
Sinu Verbum capit.

Digitized by Google

Proh! quam miris calet
Virgo fervoribus
Divini eum latet
Amoris ignibus
Immersum Cor tuum.

Fontem laetitiae
Maria possidet,
Telo moestitiae
Laedi non accidet
Pectus innocuum?

Accidit, proh! scelus
Et dum Cor filio
Ensis haurit malus,
Doloris gladio
Cor ejus rumpitur.

Quis luctus intimi
Sensum possit dare!
Cordis tenerrimi
Dolor est ut mare
Quod ventis tunditur.

Ah! surge protinus
E portis inferi,
Te, Christe, cominus
Victorem Tartari
Laeta cernat parens.

Exspecta melius
Factum, Deipara:
En sede Filius
Surgit ab infera,
Omni damno carens.

Digitized by Google

O quale gaudium
Cor Virginis fovet!
Quantum incendium
Amoris commovet
Christi victoria!

Matris intus salit
Pectus impatiens;
Sequi natum velit
Qui coelum gestiens
Intrat cum gloria.

Illum spectans face
Colliquescit sacra,
Donec blanda nece
Functum volet supra
Quidquid non est Deus.

Cor spes fidelium,
Cor beans sidera,
Fac ut mortalium
Incendat pectora
Fervor aethereus. Amen.

Sequentia sancti Evangelii S. Lucam.

In illo tempore: invenerunt puerum Jesum parentes ejus in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum,

Digitized by Google

quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba haec in corde suo.

Offertorium. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

Secreta.

Deus, cujus majestati beatissima Virgo Maria immaculatam hostiam immaculata praesentavit, eum, qui in Corde ipsius ardebat, in nostris cordibus accende caritatis ignem, quo pariter mundati eamdem tibi hostiam offerre digni habeamur Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Praefatio. Et te in veneratione sanctissimi et immaculati Cordis beatae Mariae.

Communio. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, qui de virginalis uteri thalamo procedens in ejusdem intemeratae Virginis Corde suaviter ac perpetuo quievisti, quaesumus, ut peractis corporis et sanguinis tui mysteriis, jugiter in cordibus nostris habitare digneris. Qui vivis, etc.

Missa **Proba me.**

(Ex alio Missali Gallicano.)

Introitus.

Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas, et vide si via iniquitatis in me est.

Psalm. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam in gloria mea. Gloria Patri. Proba me.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui gratiae plenitudinem posuisti in Corde Mariae, ut per ipsum quasi canalem abundanter in nos flueret, concede nobis corde contrito poenitentibus nostrorum veniam delictorum, et tanto Christi et Mariae matris ejus amore cor nostrum accende, ut eo toti inflammati secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem D. N. J. Ch. etc.

Lectio libri Sapientiae.

Pone me, *ut supra.*

Graduale. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

℣. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Alleluja, alleluja.

℣. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi. Alleluja.

Post Septuages. Omissis Alleluja cum ℣. dicitur:

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

℣. Laetabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime.

℣. Tibi dixit cor meum: requisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.

Tempore Paschali omisso Graduali dicitur:

Alleluja, Alleluja. ℣. Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. Alleluja.

℣. Propter hoc laetatum est cor meum, exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. Alleluja.

Digitized by Google

Sequentia.

Laetabunda
Canant pie
Cuncta corda
Cor Mariae.

Cor amandum
Omni corde:
Cor laudandum
Omni mente.

Cor aeterni numinis
En factum est Virginis
Cor aeternum.

Haec est Virgo sapiens,
Haec est Virgo rapiens
Cor divinum.

Consors patris dexterae
Fit matris Deiparae
Cor et natus.

Flos Cordis Altissimi,
Flos Cordis virginei,
Flos et fructus.

Cordis nostri gaudium,
Exilii solatium,
Cor Mariae.

Amoris oraculum,
Vexillum, signaculum,
Liber vitae.

Caritatis speculum,
Thesaurus charismatum,
Thronus Christi.

Digitized by Google

Rubus ignem proferens,
Incumbustus permanens,
Fornax coeli.

O fornax mirifica!
In te manent socia
Ros et flamma.

Ros mire vivificans,
Flamma beatificans
Corda pura.

Infundatur omnibus
Ros ille pectoribus:
Accendatur cordibus
Flamma sacra.

O Jesu, Cor Mariae!
Ros, ignis, fons gratiae,
Ure, purga, posside
Corda cuncta.

O amor, propera,
Ubique impera,
In terris, ut super sidera:
Nova praecordia,
Nova fac omnia:
Ut Jesum laudent cum Maria.
Amen.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: dixit mater Jesu, *ut supra* *p. 509.*

Offertorium. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

Secreta.

Corda nostra, Domine, Spiritus Sanctus, perfecte possideat, qui sanctissimae Filii tui matris Cor maxime

Digitized by Google

caritatis inflammavit ardore, ut majestati tuae mundo corde servientes, faciem tuam videre in aeternum mereamur. Per eundem D. N. J. Ch.

Praefatio. Et te in festivitate Cordis b. Mariae.

Communio. Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum.

Postcommunio.

Accende, quaesumus, Domine, corda nostra igne caritatis tuae, et per merita Cordis Mariae, cujus solemnia celebramus, concede, ut te tota mente amemus, et ad te toto corde curramus. Per D. N. J. Ch.

---

§. II.

E BREVIARIO.

Officium approbatum a S. R. C.

Ad Vesperas.

Antiph. et Cap. de Laudibus. Psalmi ut in Officio parvo. Hymnus Ave Maris Stella.

℣. Exulta in omni Corde, filia Jerusalem:

℟. Rex Israel Dominus in medio tui.

Ad Magnif. Ant. Exultavit Cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo, quia laetata sum in salutari tuo.

Oratio *ut ad Laudes.*

Digitized by Google

Ad Matutinum.

Invitat. Ave Maria gratia plena * Dominus tecum.
Psalm. Venite, exultemus Domino.
Hymnus. Quem terra, pontus, sidera.

In I. Nocturno.

Ant. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Psalmi ut in Officio parvo B. Mariae.

Ant. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Ant. Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℣. Anima mea liquefacta est:
℟. Ut locutus est dilectus.

De Canticis Canticorum.

Lectio I. Cap. 4.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut vitta coccinea labia tua; et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclusus, fons signatus. Tu autem.

℟. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum * Ut timeat nomen tuum. ℣. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Ut timeat.

Digitized by Google

Lectio II. Cap. 5.

Veni in hortum meum soror mea sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo. Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Surrexi, ut aperirem dilecto meo, manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est. Tu autem.

℟. In Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea * Super excelsa deducet me. ℣. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Super.

Lectio III. Cap. 5. et 6.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum: qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Jerusalem. Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum. Pulchra es amica mea, suavis et decora sicut Jesusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt, et Reginae laudaverunt eam. Tu autem.

℟. Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, * Qui consolatus es me, et locutus es ad Cor ancillae tuæ. ℣. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis. Qui consolatus. Gloria Patri. Qui consolatus.

Digitized by Google

In II. Nocturno.

Ant. Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors dilectio:

℟. Dura sicut infernus aemulatio.

Lectiones II. Nocturni.

V. supra pp. 342 seqq.

In III. Nocturno.

Ant. Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

Ant. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Ant. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

℣. Ego dilecto meo: ℟. Et ad me conversio ejus.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. II.

In illo tempore: dixit mater Jesu ad illum: Fili! quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et reliqua.

De Homilia Ven. Bedae Presbyteri.

In Homil. Hyem. de temp. Dom. I. post Epiph.

Mater ejus, inquit Evangelista, conservabat omnia verba haec in Corde suo. Omnia quae de Domino vel a Domino dicta, sive acta cognoverat mater Virgo, diligen-

Digitized by Google

tius in Corde retinebat, sollicite cuncta memoriae commendabat, ut cum demum tempus praedicandae, sive scribendae incarnationis ejus adveniret, sufficienter universa, prout essent gesta, posset explicare quaerentibus. Imitemur et nos, Fratres mei, piam Domini matrem, ipsi quoque omnia verba et facta Domini ac Salvatoris nostri fixa in corde conservando. Tu autem.

℟. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem: * Neque flumina obruent eam. ℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio VIII.

Horum Domini verborum et actorum meditatione diurna et nocturna importunos inanium nocentiumque cogitationum repellamus incursus: horum crebra collatione et nos et proximos nostros a fabulis supervacuis, et male dulcoratis detractionum colloquiis castigare, atque ad divinae frequentiam laudis accendere curemus. * Si enim, fratres carissimi, in futuri beatitudine saeculi habitare in domo Domini, ac perpetuo illum laudare desideramus, oportet nimirum et in hoc saeculo, quod in futuro quaeramus, sollicite praemonstremus; frequentando videlicet Ecclesiae limina, et non solum in ea laudes Domini canendo, sed et in omni loco dominationis ejus ea, quae ad laudem gloriamque conditoris nostri proficiant, verbis pariter ac factis ostendendo. Tu autem.

℣. Spiritus meus super mel dulcis et haereditas mea super mel et favum. Qui audit me non confundetur. * Et qui operantur in me non peccabunt. ℣. Qui elucidant me vitam aeternam habebunt. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Digitized by Google

Lectio IX.

De Homilia Dominicae occurrentis; sed si extra Dominicam agi de hoc Festo contingat, tunc Lectio IX. incipiet ab asterisco posito supra Lectione VIII.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiphonae.

1. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliquis.*

2. Dilectus meus loquitur mihi: surge, propera, amica mea.

3. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

4. Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne suscitetis dilectam, quoadusque ipsa velit.

5. Ego dormio, et cor meum vigilat.

Capitulum. Cant. C. 8.

Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

Hymnus. O gloriosa Virginum.

℣. Qui me invenerit inveniet vitam.

℟. Et hauriet salutem a Domino.

Ad Benedict. Ant. Extollens vocem quaedam mulier de turbâ dixit illi: beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.

Digitized by Google

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde beatae Mariae Virginis dignum Spiritus sancti habitaculum praeparasti, concede propitius, ut ejusdem purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum.

Ad Primam.

In ℟. *br. dicitur* ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Ant. Dilectus meus.

Cap. Pone me ut signaculum.

℟. *br.* Anima mea * Liquefacta est. Anima. ℣. Ut locutus est dilectus. Liquefacta est. Gloria Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors dilectio. ℟. Dura sicut infernus aemulatio.

Ad Sextam.

Ant. Fulcite.

Cap. Eccli. 24.

Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam; ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est * Ut mors dilectio. Fortis. ℣. Dura sicut infernus aemulatio. Ut mors. Gloria Patri. Fortis est.

℣. Ego dilecto meo. ℟. Et ad me conversio ejus.

Ad Nonam.

Ant. Ego dormio.

Digitized by Google

Cap. Eccl. 24.

In omni terra steti, et in omni populo, et in omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor.

℟. *br.* Ego * Dilecto meo. Ego. ℣. Et ad me conversio ejus. Dilecto meo. Gloria Patri. Ego dilecto meo.

℣. Qui me invenerit, inveniet vitam. ℟. Et hauriet salutem a Domino.

In II. Vesperis

Omnia ut in primis.

℣. Viam mandatorum tuorum cucurri,

℟. Cum dilatasti Cor meum.

Ad Magnificat. Ant. Exultavit Cor meum in Deo salutari meo: quia fecit mihi magna qui potens est.

Ex Proprio Neapolitano.

Ad Vesperas.

Antiph. et Cap. de Laudibus. Psalmi de B. M. V.

Hymnus.

Ad Cor tam tenerum currite Virginis
Almae, vos miseri: fidite siquidem
Nulli se renuit; sed potius pium
Factum est omnibus omnia.

Ad Matris Cor adi, fide levaberis,
Infelix homo, nunc curre, quid ambigis?
Tu Cor comperies dulce, tenerrimum,
Cunctos quod levat, excipit.

Ipsum Cor timidos roborat, instruit;
Peccati tenebras lumine dissipans;
Accurrit malis, et noxia criminum
Delet sanguine Filii.

Digitized by Google

Accedant igitur quique laboribus
Pressi ad Cor tenerum; namque miserrimos
Hos Virgo reficit, sublevat, adjuvat
Tollens pondere criminum.

Si cor sit gelidum, Virginis en amor
Almae: dum refovet, pectora frigida
Ignescunt adeo, quo magis expetant
Incendi simul, et mori.

Sit laus Patri, sit gloria Filio;
Aequalis sit honor Spiritui quoque;
Almae sit pariter gloria Virgini,
Quae nos undique protegit. Amen,

℣. Cum jucunditate laudes Cordis Mariae Virginis celebremus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercedat apud Dominum Jesum Christum.

Ad Magnif. Ant. O Mater amabilis, beatam te dicent omnes generationes, quia respexit Deus humilitatem Cordis tui; ideo fecit tibi magna, qui potens est.

Oratio *ut ad Laudes.*

Ad Matutinum.

Invitat. Deum in sanctissimo Corde beatae Mariae Virginis regnantem, * Venite adoremus.

Psalm. Venite.

Hymnus.

Hoc Corde quid sublimius?
Abyssus alta gratiae.
Quid Corde tali dignius?
Est thronus Regis gloriae.

Digitized by Google

Thesaurus est fidelium,
Spes certa, turris valida:
Vires tu frange daemonum,
Nostrum tu sis sollicita.

Nos ergo tantae Virginis
Hoc Cor colamus igneum;
In quo beatitudinis
Summae manet compendium.

O Cor revera flammeum,
Flammis ure praecordia,
Ex quibus tu ardes, omnium
Accensa fac et pectora.

O Virgo, magnes fortior,
Quae cuncta tibi colligis,
Ambra revera dulcior,
Ad te cor nostrum subtrahe.

Laus sit Mariae, filiae
Patris, ac Matri Geniti:
Sponsaeque sancti Spiritus
Per saeculorum saecula. Amen.

Ad Laudes et per Horas.

Antiphonae.

1. O admirabile et venerandum Cor beatae Mariae Virginis, in quo omnis fons et plenitudo caritatis Christi Jesu inhabitat et regnat.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq.*

2. Invenit Dominus Mariam secundum Cor suum: et quae placita sunt ei, fecit semper.

3. Ego dormio, et Cor meum vigilat, et meditatio Cordis mei in conspectu Dei semper.

Digitized by Google

4. Benedictum sit semper Cor Mariae Virginis, quia fons vivus est benedictionis, abyssus gratiae et thronus sanctissimae Trinitatis.

5. Omnis spiritus laudet Dominum, quia in Corde dilectissimæ Matris suae fecit magnalia.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me, *ut supra.*

Hymnus.

Quid Corde Matris Virginis
Coli potest sacratius?
Cordi supremi numinis
Quid Corde tanto gratius?

Amoris est miraculum;
Triumphus almi Spiritus;
Dignum Deo spectaculum;
Foecunda spes mortalibus.

Levamen est lugentibus,
Zelator ardens mentium:
Cunctis datum fidelibus
Cor, vita, lux, oraculum!

O Cor, Dei triclinium,
Nostri exilii solatium:
Fac in tui vestigia
Nos simul vitam ducere.

O sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita cordium!
Cordis Mariae caritas
In corde regnet omnium. Amen.

℣. Ardens Cor Mariae laetabitur Domino in gloria.
℟. Et amabit Deum suum in aeternum.

Digitized by Google

Ad Bened. Ant. O mater amabilis, magnificent te omnes gentes: et benedictum sit fidelissimum Cor tuum in aeternum.

Oratio.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium Cor immaculatum Mariae divino Cordi Filii sui Jesu Christi caritate ac misericordia simillimum esse voluisti, concede, ut qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem meritis secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eumdem Dominum.

Ad Primam.

In ℟. *br. dic.* ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Ant. Invenit.

Capit. Pone me.

℟. *br.* Paratum cor meum Deus. * Paratum. ℣. Ut faciam voluntatem tuam. Gloria Patri. Paratum. ℣. Desiderium Cordis Mariae audivit Dominus. ℟. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.

Ad Sextam.

Ant. Ego dormio.

Cap. Lucae 2.

Omnes qui audierant, mirati sunt de his, quae dicta erant de Jesu a pastoribus. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

℟. *br.* Desiderium Cordis Mariae * Audivit Dominus. Desiderium. ℣. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus. Audivit. Gloria Patri. Desiderium.

Digitized by Google

℣. Omnis spiritus laudet Dominum. ℟. In Corde Mariae regnantem.

Ad Nonam.

Ant. Omnis spiritus.

Cap. Lucae 2.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis; et mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

℟. *br.* Omnis spiritus * Laudet Dominum. Omnis. ℣. In Corde Mariae regnantem. Laudet. Gloria Patri. Omnis. ℣. Vivet Cor Mariae, et laetabitur in Domino. ℟. Et amabit eum in saeculum saeculi.

In II. Vesperis

dicuntur omnia ut in primis.

Ad Magnif. Ant. Exultet Cor Mariae in Deo salutari suo, quia fecit sibi magna qui potens est.

Ex Proprio Panormitano. [1]

Ad Vesperas.

Antiph. et Cap. de Laudibus. Psalmi de B. M. V.

Hymnus.

Hic adsta docilis gens sacra Christo,
Audi, docta datur Virgo magistra,
Factis corda suis erudit intus,
Et virtutis iter praevia monstrat.

[1] De quo vid. supra p. 327 et col. p. 331.

Fervet mille modis pectoris aestus,
Dum fit grata Deo, fit sibi vilis,
Quae regem superum concipit alvo;
Ancillae titulo laeta superbit.

Secreta placidae mentis in aula
Audit blanda Dei verba loquentis;
Pro verbis tacitos, quos Deus afflat,
De puro gemitus Corde rependit.

Sponso casta suo sponsa fidele
Hic dat perpetui pignus amoris:
Hic desideriis icta supernis
Mens jam passa Deo praeripit astra.

Sit laus summa Patri, summaque Nato,
Compar Spiritui gloria sancto;
Quos in Corde foves Virginis aestus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer. Amen.

℣. Custodivit animam suam.
℟. Et memor fuit Domini in toto Corde suo.

Ad Magnif. Ant. Exultavit Cor tuum in Deo salutari tuo, quia fecit tibi magna, qui potens est.

Oratio *ut ad Laudes.*

Ad Laudes et per Horas.

Antiphonae.

1. Dilectus meus ordinavit in me caritatem: fulcite me floribus, stipate me malis.

2. Adjuro vos, Filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

3. Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus meus.

Digitized by Google

4. Totus desiderabilis; talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus.

5. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae, Deus, laetificaverunt animam meam.

Capit. Pone me, *ut supra.*

Hymnus.

Quae lingua, Virgo, pectoris
Narret tui miracula?
Quis pingat ignes, quos sacra
Diffundit intus caritas?

O Cor paterni criminis
Immune! coelo gaudia
Praebes stupenti, quae dare
Vel totus orbis non queat.

Templo parentes offerunt
Corpus tenellum Virginis:
Sed Virgo munus exhibet
Summo Parenti gratius.

Cor nempe sedem gratiae,
Cor efficaci praeditum
Virtute, Cor de sedibus
Verbum supernis attrahens.

Praesente Christo, quot novas
Felix anhelo congerit
Maria dotes in sinu!
Jam spirat humanum nihil.

Non laeta pectus molliunt,
Non dura pectus aggravant,
Immota ceu rupes manet,
Dant ipsa robur praelia.

Digitized by Google

Indigna tanto munere
Tellus videtur perfrui:
Quo te rapit fervens amor,
Te, Virgo, portant coelites.

Sit Trinitati gloria,
Quae Virginis Cor caelicis
Flammis adussit; pectora
Sic nostra semper ferveant. Amen.

℣. In te, beata Virgo, gratia omnis viae et veritatis.
℟. In te omnis spes vitae et salutis.

Ad Benedict. Antiph. Dedit confessionem Sancto et Excelso in verbo vitae, de omni Corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum.

Oratio.

Deus, qui B. Mariae semper Virginis Cor sanctissimum ad imaginem divini Cordis Filii ejus Jesu Christi caritate et misericordia plenum esse voluisti, concede, ut qui hujus dulcissimi Cordis memoriam agimus, fideli virtutum ipsius imitatione, Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum vivit et regnat.

Ad Tertiam.

Capit. Pone me, *ut supra.*

℟. *br.* Factus est Dominus in Corde meo, * Quasi ignis exaestuans. Factus est. ℣. Et defeci, ferre non sustinens. Quasi ignis. Gloria Patri. Factus.

℣. In toto Corde meo exquisivi te. ℟. In Corde meo abscondi eloquia tua.

Ad Sextam.

Capit. Cant. 3.

Surgam, et circumibo civitatem: per vicos, et plateas quaeram, quem diligit anima mea. Invenerunt me, qui

Digitized by Google

custodiunt civitatem; paululum quum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

℟. *br.* Anima mea * Exultabit in Domino. Anima mea. ℣. Et delectabor in salutari tuo. Exultabit. Gloria Patri. Anima mea.

℣. Cor meum et caro mea exultaverunt. ℟. In Deum vivum.

Ad Nonam.

Capit. Judith. 15.

Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, et confortatum est Cor tuum; ideo et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in aeternum.

℟. *br.* Concaluit Cor meum * Intra me. Concaluit. ℣. Et in meditatione mea exardescet ignis. Intra me. Gloria Patri. Concaluit.

℣. Quam bonus Israel Deus. ℟. His, qui recto sunt corde.

In II. Vesperis

Omnia ut in primis.

℣. Providebam Dominum in conspectu meo semper.
℟. Propter hoc laetatum est Cor meum.

Ad Magnif. Ant. Voluntas Cordis tui, o beata Virgo, et obsecratio ad Deum sit pro nobis in salutem.

Digitized by Google

CAPUT II.
VARIA PIETATIS EXERCITIA ROMANIS JUDICIBUS PROBATA.

§. I.
EX OPERE P. GALLIFET.

Exercitium ad purissimum Cor Mariae.

O' Maria, Mater Dei augustissima, hanc veniam servulo tuo clemens indulge, ut mihi liceat selectis illis famulis tuis conjungi, qui peculiari cultu et studio Cor tuum immaculatum prosequuntur, ut ipse quoque gratiarum, huic pietatis officio tibi ac Filio tuo gratissimo, affixarum, particeps effici merear.

O Cor Mariae, omnipotentissimae Dei manus opus perfectissimum, Cor sanctitate, puritate, nobilitate, sublimitate, Dei Matre dignum: simulque Redemptoris Matre, misericordia, humilitate, caritate, mansuetudine dignissimum. Tu, fons inexhaustus bonitatis, dulcedinis, beneficentiae, commiserationis. Tu, virtutum omnium perfectissimarum ac purissimarum exemplar. Tu, Cordis Jesu imago quam simillima. Tu, flammis amoris divini super omnia Seraphim indesinenter et ineffabiliter ardes. Tu, gloriae Dei plus servis affectionibus tuis vel levissimis, quam alii Sancti conferre possint cunctis operibus suis maxime arduis et heroicis. Tu, sedes pacis. In te, justitia et misericordia primum osculatae sunt. In te, concordia inter coelum et terram tractari, foedusque inter Deum et hominem iniri coepit. Tu, homines omnes incenso ac tenerrimo amore complecteris. Tu, illorum miseriis materno

Digitized by Google

semper affectu tangeris. Tu, semper felicitatis nostrae desideriis exarsisti. Tu, dolores immensos pro salute nostra pertulisti. Ergo, o Cor dulcissimum, amantissimum, sanctissimum, tot capitibus veneratione mea, amore ac fiducia dignissimum, obsequia, quae amore tui incensus tibi supplex defero, solita clementia admitte. Te summa qua possum, submissione revereor. Maximas tibi gratias ago, quod miseriis meis, pietate plusquam materna commotum, pios in me tam saepe misericordiae tuae effectus effuderis; tamque multis beneficiis ex illo bonitatis thesauro depromtis affeceris. Ego me hodie devotis tuis, qui in laudibus tuis, cultu et amore delectantur, cupidissime adjungo. Scilicet a divino, quo reguntur, spiritu edocti didicerunt, te certam esse viam, qua tuto ac recta ad Jesum pervenitur: tuaque potissimum opera nos uti debere, ut officia quaecumque Jesu debita, per te solvamus et impleamus. Per te Jesus adorandus est: per te amandus: per te laudandus ac benedicendus: per te rogandus: per te placandus: per te omnia nostra ei offerenda, dicanda, consecranda: ut ea demum ratione in omnibus, per te ipsum, imbecillitati nostrae subveniamus, atque egestati nostrae divitiis tuis provideamus ac suppleamus. Esto igitur, o Cor virgineum, augustissimum, amabilissimum, esto ex hora hac, ad ultimum usque vitae spiritum, venerationis meae et amoris mei objectum quotidianum ac perpetuum. Tu via eris, qua et ego ad Jesum accedam, et ipsius misericordia ad me veniet. Tu, refugium meum in necessitatibus, et consolatio in tribulationibus. Tu, speculum, quod assidue contemplabor. Tu, schola sacra, in qua Jesu magistri mei lectiones audiam. Te docente divina illius effata, consilia, virtutes ediscam. Tu veram ac perfectam exercendarum virtutum rationem monstrabis. Te duce, te suadente, te excitante studebo sectari

Digitized by Google

puritatem, humilitatem, mansuetudinem, caritatem, patientiam, mundi rerumque creatarum contemtum, sed maxime amorem Jesu Dei ac Redemptoris mei Filii tui. Has ego virtutes per te fidenter petam et impetrabo. O verus misericordiae thronus! cor meum peccatis inquinatum, inordinatisque cupiditatibus agitatum, tibi praesentare audeo, tuo conspectu licet indignum, oro, ne contemnas; sed tibi oblatum et dicatum purifica, sanctifica, a rebus terrestribus avoca, acerrimo peccatorum suorum dolore transverbera, tuo demum, ac Filii tui unigeniti Jesu Christi amore inflamma: denique tibi simillimum redde, ut tibi in Paradiso conjunctum, tecum amare Deum, Deoque frui aeternum possit. Amen.

Corolla precatoria ad honorem sanctissimi Cordis Mariae.

Continet haec corolla globulos majores septem, minores 33, secundum numerum dolorum B. Virginis, et annorum, quos cum Filio unigenito divina et ineffabili societate vixit. Initium sumit ab oratione sequenti:

Anima Mariae sanctifica me.
Cor Mariae amore Jesu accende me.
Pedes Mariae dirigite me.
Manus Mariae suscipite me.
Oculi Mariae respicite me.
Aures Mariae exaudite me.
Os Mariae intercede pro me.
Corpus Mariae purifica me.
Passio Mariae conforta me.
O Maria exaudi me.
Intra tua viscera admitte me.
Ne permittas me separari a te.

Digitized by Google

Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae protege me.
Et jube me venire ad te.
Ut cum Sanctis Dei Filii tui laudem te.
In saecula saeculorum. Amen.

Ante quemlibet globulum majorem dici debet:
Dulcissima Maria, fac cor meum secundum Cor Jesu.

Ad globulum quemlibet majorem dicitur salut. Angel.

Ave Maria, gratia plena etc.

Ad globulos minores dicitur:

Cor Mariae immaculatum, amore Jesu, quo ardes, inflamma cor nostrum.

In fine recitatur Oratio sequens:

Oratio.

Sanctissime Spiritus, qui omnia gratiae tuae charismata, in uno Mariae Virginis Corde mirabiliter congregasti, et illud divinitatis tuae dignum habitaculum effecisti: concede propitius, ut in illo sanctissimo ac suavissimo sponsae tuae Corde, tutissimum refugium, nunc et in hora mortis, invenire possimus. Per Dominum Nostrum.

Pii affectus ad Cor Mariae.

Cor Mariae ab origine immaculatum, Amore Jesu, quo ardes, accende cor meum.

Cor Mariae gratiae plenum, Amore Jesu, quo ardes, accende cor meum.

Cor Mariae, inter omnia corda benedictum, Amore Jesu, quo ardes, accende cor meum.

Cor Mariae sanctissimae Trinitatis sacrarium, Amore Jesu, quo ardes, accende cor meum.

Digitized by Google

Cor Mariae Cordi Jesu simillimum,
Cor Mariae, in quo Jesus sibi bene complacuit,
Cor Mariae humilitatis abyssus,
Cor Mariae sedes misericordiae,
Cor Mariae divini amoris incendium,
Cor Mariae bonitatis Oceanus,
Cor Mariae puritatis et innocentiae miraculum,
Cor Mariae speculum omnium divinarum perfectionum,
Cor Mariae primum omnium virginitatis voto consecratum,
Cor Mariae, in quo sanguis Jesu pretium Redemptionis nostrae formatus est,
Cor Mariae, desideriis tuis mundi salutem accelerans,
Cor Mariae gratiam peccatoribus impetrans,
Cor Mariae verba Jesu ac gesta fidelissime conservans,
Cor Mariae doloris gladio transfixum,
Cor Mariae in passione Christi afflictissimum,
Cor Mariae, Christo crucifixo cruci confixum,
Cor Mariae mortuo Jesu moerore consepultum,
Cor Mariae, Jesu resurgente, gaudio redivivum,
Cor Mariae in ascensione Jesu ineffabili dulcedine delibutum,
Cor Mariae in descensu Spiritus sancti nova gratiarum plenitudine cumulatum,
Cor Mariae consolatio afflictorum,
Cor Mariae peccatorum refugium,
Cor Mariae cultorum tuorum spes ac dulce praesidium,
Cor Mariae agonizantium auxilium,
Cor Mariae Angelorum ac Sanctorum omnium jubilus,

Amore Jesu, quo ardes, accende cor meum.

℣. Maria immaculata, mitissima et humillima.
℟. Fac cor meum secundum Cor Jesu.

Digitized by Google

Oratio.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem miserorumque perfugium, Cor sanctissimum et immaculatum Mariae divino Cordi Filii sui Jesu Christi caritate ac misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut, qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem meritis secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem Dominum N. Amen.

Aspirationes sacrae ad Cor sanctissimum Mariae.

I. Cor Mariae, Cordi Jesu simillimum, fac cor meum secundum Cor Jesu.

II. Cor Mariae, amore Jesu ardentissimum, amore illo, quo ardes, incende cor meum.

III. Cor Mariae immaculatum, cordis mei maculas absterge, eique puritatem tuam infunde.

IV. O Cor dulcissimum Matris meae, esto refugium meum in die tribulationis, et in hora mortis meae. Amen.

---

§. II.
EX ALIIS LIBRIS ROMÆ EDITIS.

Oratio ad SS. Cor Mariae.

O Cor Mariae, Matris Dei et Matris nostrae; Cor amabilissimum, in quo sibi complacuit adoranda Trinitas; Cor dignum omni veneratione et tenerrimo amore Angelorum et hominum; Cor supra omne aliud simile Cordi

Digitized by Google

Jesu, cujus es perfectissima imago; Cor plenum bonitate et tantopere compatiens nostris miseriis, dignare resolvere glaciem cordium nostrorum; fac, ut sint prorsus conversa ad Cor divini Salvatoris. Infunde ipsis amorem tuarum virtutum; inflamma ipsa sacro illo igne, quo continuo arsisti. Conclude intra te sanctam Ecclesiam; custodi illam. Sis semper dulce ejus asylum, ejusque turris inexpugnabilis contra omnes hostium incursus. Sis nobis via, qua tendamus ad Jesum, et canalis, quo recipiamus omnes gratias nobis ad salutem necessarias. Sis nobis in necessitatibus auxilium, in afflictionibus solatium, in tentationibus propugnaculum, in persecutionibus refugium, in omni periculo adjutorium, sed specialiter in ultimo vitae nostræ certamine, in hora mortis, quando infernus totus insurget contra nos ad rapiendas animas nostras; in tremendo hoc momento, a quo dependet aeterna nostra salus. Tunc, ah tunc, Virgo piissima fac nos sentire teneritudinem materni tui Cordis, et magnitudinem potentiae tuae in Cor Jesu, aperiendo nobis in ipso misericordiae fonte tutum refugium, ut possimus pervenire ad illum tecum in paradiso laudandum per omnia saecula saeculorum. Amen.

Laus Cordi Jesu et Mariae. Cognitum, laudatum, benedictum, amatum, obsequio honoratum et glorificatum semper et ubique sit divinissimum Cor Jesu et purissimum Cor Mariae. Amen. *(Indulgent.)*

Oratio ad Cor Mariae pro conversione peccatorum.

O clementissima Maria, refugium peccatorum, obsecro te per dolores Cordis tui compassione pleni, et per mortem dilecti Filii tui Jesu, impetra omnibus peccatoribus mundi, iis praesertim, qui scandalis et pravis doctrinis alios in peccatum adducunt, gratiam, ut sincere convertantur. Am.

Digitized by Google

Cor Mariae compatiens, succurre peccatoribus.

Cor Jesu, Cor summi sacerdotis, da mihi Cor sacerdotale, quod tui inflammatum amore totum se offerat et consumat pro salute miserorum peccatorum.

Cor Mariae, Cordis Jesu amantissimum, da mihi hujus Cordis amorem vehementissimum. Sancte Joseph da mihi tuum erga Jesum et Mariam amorem.

Oratio aereae laminae inscripta in parte aversa imaginis B. M. V. in Basilica Liberiana.

Ave augustissima Regina pacis, sanctissima Mater Dei, per sacratissimum Cor Jesu Filii tui, Principis pacis, fac, ut quiescat ira ipsius, et regnet super nos in pace. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. *(Indulgent.)*

Aspiratio ad SS. Cor Mariae.

Dulce Cor Mariae esto salus mea. *(Indulgent.)*

Commemoratio de SS. Corde Mariae.

Antiph. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, neque flumina obruent eam.

℣. Cor Mariae doloris gladio transfixum:

℟. Amore Jesu, quo ardes, accende cor nostrum.

Oremus.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sacro beatissimae Virginis Mariae Corde gloriantes summæ ejus in te caritatis et maternae in nos dilectionis commemorationem recolimus, ejusdem amantissimae matris et caritatem imitemur et patrocinia sentiamus. Per Ch. D. N. Amen. *(Indulgent.)*

Digitized by Google

CAPUT III.

VARIA PIETATIS EXERCITIA, QUAE A P. EUDES PROPOSITA EMUS. CARDINALIS DE LATERE LEGATUS CUM GRANDI PRÆSULUM ET DOCTORUM GLOBO PROBAVIT. [1])

Testamentum Julii II., Papae,

dicendum quando pulsatur ad salutationem Virginis Mariae.

(*Ex lib. VII. c. 1.*)

O gloriosissima Regina misericordiae, saluto venerabile templum uteri tui, in quo requievit Dominus Deus meus. Ave Maria.

O gloriosissima Regina misericordiae, saluto virgineum Cor tuum, quod purissimum fuit ab omni contagione peccati. Ave Maria.

O gloriosissima Regina misericordiae, saluto nobilissimam animam tuam, ornatam pretiosissimis donis gratiarum et virtutum. Ave Maria.

Salutationes SS. Cordis Mariae.

(*Ex S. Mechtilde, apud P. Eudes L. IV, c. 1. coll. l. XI. §. fin.*)

Ave, Cor sanctissimum;
Ave, Cor mitissimum;
Ave, Cor humillimum;
Ave, Cor purissimum;

---

[1]) V. supra pp. 304 seq.

Digitized by Google

Ave, Cor devotissimum;
Ave, Cor sapientissimum;
Ave, Cor patientissimum;
Ave, Cor obedientissimum;
Ave, Cor vigilantissimum;
Ave, Cor fidelissimum;
Ave, Cor beatissimum;
Ave, Cor misericordissimum;
Ave, Cor amantissimum Jesu et Mariae;
Et illumina; et sanctifica.

Te adoramus; te laudamus; te glorificamus; tibi gratias agimus; te amamus ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, et ex totis viribus nostris. Tibi cor nostrum offerimus, donamus, consecramus, immolamus. Accipe et posside illud totum, et purifica, ut in ipso vivas et regnes et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Salutatio SS. Cordis Mariae.

(Ex Antidotario animae typis edito an. 1495, apud P. Eudes l. VII. c. 2.)

Loquar ad Cor tuum, o Maria, speculum claritatis angelicae! Loquar ad Cor tuum mundum, Domina mundi, et adorabo ad templum sanctum tuum, ab interioribus animae meae. Salutabo ex intimis praecordiis meis immaculatum Cor tuum, quod primum sub sole fuit dignum suscipere egredientem de sinu patris Unigenitum Dei.

Salve sanctuarium singulare, quod dedicavit sibi Deus, in Spiritu sancto.

Salve Sanctum Sanctorum, quod dedicavit summus pontifex cœlorum, mirabili et ineffabili introitu suo.

Salve arca sanctificationis, continens in te scripturam digiti Dei.

Digitized by Google

Salve urna aurea, habens coeleste manna plenum deliciis angelorum; in te dulce convivium, in te omnes deliciae, in te electuarium et sapor omnis gratiae.

Salve Cor virgineum, sanctae Trinitatis inviolabile sacrarium et nobilissimum receptaculum, in quo divinitas humanitati unita est, per amoris osculum; jubilo sempiterno implearis.

Tu concha smaragdina, cujus viror nunquam expalluit, quae superno regi nostram salutem sitienti, probatissimae fidei dulce nectar propinasti, in illa hora qua ad salutationem Archangeli eructasti verbum bonum dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Magnificet igitur omnis anima te, Maria mater dulcedinis, et beatitudinem tui sacratissimi Cordis (unde nostra profluit salus) collaudet omnis lingua, per aeterna saeculorum saecula.

O caminus ille, in quo ardent seraphim! O paradisus voluptatis! oh! quantis pulsibus amoris concussum est Cor tuum! Virgo beata, cum vivificus Spiritus Dei, tanquam auster te perflavit et spiritum tuum totum sibi attraxit.

Sit benedictum in aeternum, o Maria! nobilissimum illud Cor tuum, omni sapientia coelesti decoratum et ardore caritatis inflammatum, in quo sacra conferens nostrae redemptionis mysteria, tempore congruo revelanda diligenter et fidelissime conservasti. Tibi laus, tibi amor, o Cor amantissimum! tibi honor, tibi gloria ab omni creatura, in saecula saeculorum. Amen.

Hymni in honorem SS. Cordis Mariae.

I.

Quem Cor supremi numinis
Effundit orbi filium;
Effundit et Cor Virginis,
Imago regis cordium.

Digitized by Google

Cor sanctitatis formula,
Cordis fidelis regula:
Dignum Dei sacrarium,
Cubile Jesu floridum.

Te candidata lilia,
Nardus, rosaeque fulciunt
Te mala coeli dulcia,
Amore languens ambiunt.

Cor matris agni melleum,
Amoris igne torridum;
Te corda cuncta diligant,
Tuos amores exprimant.

Sidus micans amantium,
Sol esto, duxque mentibus;
Fornax amoris, omnium
Accende flammas cordibus.

Redempta Christi gratia
Fac corda Christo vivere;
Calcare mundi somnia,
Se tota Jesu tradere.

Fac nos dolosi frangere
Fraudes malignas tartari;
Vita tua convivere,
Amore Christi commori.

Amor, sacri fons nectaris,
Mentes replens inebria;
Cordis sagitta Virginis,
Transfige cordis intima.

O sacro-sancta Trinitas!
Aeterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas,
In corde regnes omnium. Amen.

Digitized by Google

II.

Cerne devotos tibi, Virgo, coetus,
Quos juvat, totis animi medullis,
Inclyti, laeto celebrare cantu,
Cordis honores.

Cor sacrum gestans humilis Mariae,
Corde conceptum, Deiforme Verbum
Concinat noster chorus, et beatos
Matris amores.

Dum sinus divos Pater intuetur,
Concipit Cordis penetrale Natum,
Dives et verbum loquitur verendi
Lingua parentis.

Corde quod mater recipit capaci,
Patris arcanos imitata foetus;
Qualis acceptas animata voces
Concipit echo.

Cordibus flammas tepidis Maria,
Mitte, quas fornax vomit aestuantis
Pectoris, mentes rapiat tuorum
Coelicus ignis.

Perge bellaces animare cleros.
Ure languentes, revoca fugaces;
Omnibus primi redeant amores
Cordibus aevi.

Et redux nostram pietas revisat
Neustriam, dudum tibi dedicatam:
Prima conceptum venerata purum
Extulit aris.

Digitized by Google

Laus, honor, grates tibi praepotenti
Cordium regi, resonent in ore
Omnium, quales tibi Cor Mariae
Solvet in aevum. Amen.

III.

Quem turma coeli personat
In Corde natum numinis;
Hunc totus orbis concinat
In Corde regem Virginis.

Hoc Corde quid sublimius?
Abyssus alta gratiae:
Currus triumphans igneus,
Thronusque regis gloriae.

Thesaurus est charismatum,
Astris jubar fulgentius;
Coeli decus, sol, gaudium,
Coelumque coelis altius.

Summi Patris signaculum,
Vitae Dei compendium;
Turris salutis flammea,
Sedes tonantis ignea.

Nos ergo tantae Virginis
Cordisque tam mirabilis,
Colamus omnes regia,
Flexo genu, magnalia.

Eja, parens, cor supplicum
Intra pium serva sinum;
Amore nati langueat
Amore matris ferveat.

Digitized by Google

O Virgo! raptrix cordium,
Da Cor tuum colentium
Sursum rapi praecordia,
Ubi suprema gaudia.

O fax amanda cordium,
Flammis sacris nos devora;
Fac ut crementur omnium
Amore Jesu pectora.

O sacro-sancta Trinitas,
Aeterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas,
In corde regnes omnium. Amen.

IV.

Parenti regis gloriae,
Matri misericordiae,
Laudes cum sanctis omnibus
Totis canamus cordibus.

Haec est inventrix gratiae,
Reparatrix miseriae,
Consolatrix moerentium,
Peccatorum refugium.

Tibi Deus clementiae,
O Virgo! mater pauperum,
Sacrum misericordiae
Dedit gazophylacium.

Thesauros omnes gratiae
In sinu tuo possides,
Bonis coelestis patriae,
Terrarum ditas inopes.

Digitized by Google

Ad tuos ergo famulos
Dulces convertas oculos:
Vide fletus gementium,
Audi voces clamantium.

Peccatores non horreas,
Sed benigne respicias,
Sine quibus altissimi
Non fores mater filii.

O Maria! stella maris,
Per Cor tuum piissimum,
Redde placatum miseris
Cor Jesu clementissimum.

Oppressam mole criminum
Humanam vides sobolem:
Crudelem cernis daemonum
In hoc mundo tyrannidem.

Quot infelices animas,
Christi redemptas sanguine,
Sacro signatas flamine,
Trahunt sub orci tenebras?

Scis, quanta pro mortalibus,
Tormenta tulit filius:
Tanta non sint inania
Tantis malis remedia.

Eja! te cuncti sentiant
Miserorum solatium:
Te miserante pereant
Turbae malorum omnium.

Digitized by Google

Jesu, Mariae gaudium,
Per sacra matris viscera,
Per genitricis ubera,
Fac te reis propitium.

Patri summae clementiae
Honor, virtus et gloria:
Matri misericordiae
Per saecula sit laus omnia. Amen.

Canticum laudis SS. Cordis Mariae.

Cantemus Domino, in toto corde nostro: gloriose enim magnificatus est in Corde Mariae.

Venite, accedamus ad Cor altum Deiparae Virginis: et exaltabitur Deus in cordibus nostris.

Accèdamus ad sacri fornacem amoris: accendamur sanctis caritatis ejus flammis.

Benedicamus Cor mitissimum: laudemus, et superexaltemus Cor humillimum.

Benedicite, omnes angeli, Cor purissimum; benedicite, omnes sancti, Cor sanctissimum.

Benedicant coeli et terra Cor amantissimum: laudent et superexaltent Cor fidelissimum.

Omnis gloria filiae regis ab intus: diffusa est enim plenitudo caritatis in Corde ejus.

Paratum Cor ejus sperare in Domino, confirmatum est Cor ejus: Deus in medio ejus, non commovebitur.

Corde magno, et animo volenti fecit omnes voluntates Dei: ideo filium ejus prius in Corde, quam in ventre concepit.

Beatum Cor Virginis matris; echo animata Cordis aeterni Patris.

Eructavit Cor Patris verbum bonum: eructavit et Cor Matris verbum bonum.

Digitized by Google

Beatum pectus reginae coelorum: Verbi incarnati thronus et imperium.

In hoc excelso throno vide sedere virum: quem adorat multitudo angelorum psallentes in unum.

Ecce ubi imperii ejus nomen: est in aeternum.

Exultet Cor tuum, Virgo beata: in Deo salutari suo.

Qui respexit humilitatem ejus, et fecit ei magna qui potens est.

Secundum multitudinem dolorum Cordis tui: consolationes Dei laetificaverunt ipsum.

Sit benedictum in aeternum Cor tuum: quia diligentes te diligis: et thesauros eorum reples omnibus bonis.

Benedicat nos Jesus, Cor Mariae: benedicat nos Maria, Cor Jesu.

Et diligant Jesum et Mariam: omnia corda.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum regnantem in Corde Jesu et Mariae.

Paratum cor nostrum, Deus: paratum cor nostrum.

Ut cum Jesu et Maria faciamus omnes voluntates tuas: corde magno, et animo volenti.

Gloria Patri.

Invocationes SS. Cordis Mariae in forma Litaniarum propositae.

Litaniae pro die Dominico.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu audi nos. — Jesu exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Digitized by Google

Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor amantissimum,
Cor prudentissimum,
Cor fortissimum,
Cor justissimum,
Cor mitissimum,
Cor humillimum,
Cor purissimum,
Cor obedientissimum,
Cor nobilissimum,
Cor liberalissimum,
Cor vigilantissimum,
Vas aureum, omni lapide pretioso ornatum,
Vas in honorem sanctificatum,
Vas admirabile,
Opus excelsi,
Echo Verbi incarnati,
Apotheca Spiritus sancti,
Favus mellis,
Cella vinaria regis,
Fons nectaris,
Requies divinitatis,
Triclinium sanctissimae Trinitatis,
Speculum divinarum perfectionum,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,

Ora pro nobis.

Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.

Digitized by Google

Per divinissimum Cor tuum,
Per Cor amantissimum beatissimae matris tuae,
Per sanctissimam vitam ejusdem Cordis sacratissimi,
Per maximum ejus contra peccatum odium,
Per insignem ejus mundi contemptum,
Per profundissimam ejus humilitatem,
Per mellifluam ejus benignitatem,
Per specialem ejus erga sibi devotos caritatem,
Per singularem ejus erga crucem affectum,
Per ardentissimam ejus in te dilectionem,
Per summum ejus in Patrem aeternum amorem,
Per piissima illius desideria,
Per amantissima illius suspiria,
Per sacros languores ipsius,
Per acerbissimos dolores ipsius,
Per temporalia et aeterna ejus gaudia,
Per eminentissimam ejus gloriam,
Per omnes purissimos illius affectus,
Per omnes sanctissimos illius motus,
Per excellentissimam ejus cum Corde tuo unionem,

Exaudi nos Jesu.

O pretiosissimum Cor Jesu et Mariae, thesaurus cordis nostri, posside cor nostrum in aeternum.

O amantissimum Cor Jesu et Mariae, vita cordis nostri, vive in corde nostro in aeternum.

O dilectissimum Cor Jesu et Mariae, Rex cordis nostri, regna super cor nostrum in aeternum,

Jesu Cor Mariae, audi nos.
Jesu Cor Mariae, exaudi nos.

Oremus.

Omnipotens Deus, qui beatissimae Virginis Maria Cor amantissimum, sacrarium divinitatis, thronum omnium virtutum, totiusque sanctitatis thesaurum esse voluisti; da

Digitized by Google

nobis quaesumus ejusdem sanctissimi Cordis meritis et precibus, ipsius imaginem in corde nostro jugiter portare; ut, ejus imitatione, quae tibi sunt placita semper facientes, secundum Cor tuum in aeternum effici mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Litaniae pro feria II.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor unum cum Corde Christi,
Custos divini Verbi,
Clavis coelestis thesauri,
Ferculum Verbi increati,
Currus Jesu igneus,
Lectulus Dei floridus,
Hortus sponsi virginum,
Hortus florum coelestium,
Hortus conclusus,
Fons signatus,
Fons hortorum,
Puteus aquarum viventium,
Fons lucis et gratiae,
Fons aeternae vitae,
Fons olei sacri,
Fons vini deifici,
Fons lactis et mellis,
Fons omnis consolationis,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Fons perennis benedictionum,
Fons innumerorum bonorum,
Radius aeternae Deitatis,
Sanctuarium divinae Trinitatis,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,

Ora pro nobis.

Propitius esto.

(Cætera ut supra in litaniis d. Dominic.)

Litaniae pro feria III.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor innocentissimum,
Cor devotissimum,
Cor sapientissimum,
Cor clementissimum,
Effigies vera Cordis Christi,
Spes et laetitia cordis nostri,
Domus ignis,
Turris flammea salutis,
Turris David fortissima,
Castrorum acies ordinata,
Lampas sapientissimae virginum,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Lampas ignis atque flammarum,
Lampas inextinguibilis,
Lampas plena olei coelestis,
Armarium scripturarum,
Bibliotheca testamentorum,
Cella omnium aromatum,
Abyssus gratiae,
Thronus gloriae,
Reclinatorium aureum veri Salomonis,
Volumen caritatis,
Exemplum omnis perfectionis,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,

Ora pro nobis.

Propitius esto, etc., *ut supra.*

Litaniae pro feria IV.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor immaculatum,
Cor superangelicum,
Cor deificum,
Cor superseraphicum,
Cor Christigenum,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Cor deiferum,
Thesaurus vitae,
Domus sapientiae,
Cubiculum caritatis divinae,
Gazophylacium Ecclesiae,
Altare sempiterni thymiamatis,
Holocaustum divini amoris,
Caminus ignis coelestis,
Clibanus aeternae caritatis,
Thronus divinae voluntatis,
Lucerna ardens et lucens,
Arcana Dei custodiens,
Mysterium intrinsecus latens,
Omni creaturae absconditum,
Soli Deo cognitum,
Abyssus mysteriorum,
Abyssus immensarum Dei perfectionum,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,

Ora pro nobis.

Propitius esto, etc., *ut supra.*

Litaniae pro feria V.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.

Digitized by Google

Cor sanctissimum Mariae,
Amore Dei vulneratum,
Rex omnium martyrum,
Decus castitatis,
Honor virginitatis,
Schola divinarum scientiarum,
Officina coelestium gratiarum,
Officina omnium bonorum,
Paradisus deliciarum,
Ornamentum coeli pulcherrimum,
Rosa praefulgida coelicae amoenitatis,
Lilium candidum sanctae Trinitatis,
Aula regia summi imperatoris,
Basilica sacra mundi Salvatoris,
Sacellum Spiritus sancti,
Altare aureum ante thronum Dei,
Thuribulum aureum,
Phiala aurea coelestium odoramentorum,
Cythara benesonans Dei,
Echo Patris aeterni,
Cymbalum jubilationis Christi,
Organum Spiritus divini,
Psalterium jucundum coelestis chori,
Cor, secundum Cor Dei,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,

Ora pro nobis.

Propitius esto, etc., *ut supra.*

Digitized by Google

Litaniae pro feria VI.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.

Ora pro nobis.

Cor sanctissimum Mariae,
Rubus ardens et incombustus,
Thronus amoris igneus,
Margarita pretiosa,
Civitas Dei gloriosa,
Domus aurea omnipotentis,
Palatium aeterni regis,
Castrum inexpugnabile regum principis,
Propugnaculum christianae religionis,
Penetrale sacratissimum divini amoris,
Templum summi Pontificis,
Mons in vertice montium,
Coelum coelorum,
Sanctum sanctorum,
Candelabrum aureum,
Verum altare holocausti,
Arca testamenti,
Arca propitiationis,
Arca sanctificationis,
Tabula legis digito Dei scripta,
Vas aureum plenum manna,
Habitaculum Deo dignum,
Sanctuarium coelestium sacramentorum,
Abyssus miraculorum,
Cor ad omnia Deo placita paratum,

Digitized by Google

Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Ora pro nobis.

Propitius esto, etc., *ut supra.*

Litaniae pro die Sabbati.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Sol mundi,
Splendor firmamenti,
Tabernaculum Creatoris,
Requies Salvatoris,
Digna sedes Altissimi,
Gaudium Patris aeterni,
Deliciae Filii Dei,
Signaculum Spiritus sancti,
Regnum sanctae Trinitatis,
Sacrarium plenitudinis Divinitatis,
Armarium secretorum Dei,
Promptuarium mysteriorum fidei,
Liber vivus gestorum Christi,
Liber incomprehensus divini Verbi,
Memoriale Evangelistarum,
Evangelium aeternum,
Ora pro nobis.

Digitized by Google

Bibliotheca Apostolorum,
Thesaurus Sacerdotum,
Oraculum Ecclesiae nascentis,
Speculum clarissimum vitae Redemptoris,
Imago perfecta passionis et mortis ejus,
Origo totius sanctimoniae sacratissimae Virginis,
Principium omnis gloriae et magnitudinis ipsius,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri, — Ora pro nobis.
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Litaniae pro die festo SS. Cordis Mariae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.
Cor Mariae sanctissimum,
Amator divinae voluntatis,
Zelator animarum salutaris,
Sedes misericordiae,
Propitiatorium justitiae,
Forma innocentiae,
Norma patientiae,
Solium veritatis,
Corona fidelitatis,
Fornax divini amoris, — Ora pro nobis.

Digitized by Google

Triumphus maternae dilectionis,
Miraculum caritatis,
Gloria sanctae crucis,
Centrum omnis sanctitatis,
Thronus omnium virtutum,
Paradisus evangelicarum beatitudinum,
Custos fidelis omnium donorum Spiritus sancti,
Compendium ineffabilium perfectionum Dei,
Summa divinorum oraculorum,
Sidus amantium,
Coetus nostri gaudium,
Regula cordium fidelium,
Cordis nostri praesidium,
Raptor cordium,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Ora pro nobis.
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Litaniae pro die octava festi.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.
Cor Mariae sanctissimum, ora pro nobis.
Speculum divini Cordis, ora pro nobis.
Gaudium sanctae Trinitatis, ora pro nobis.

Digitized by Google

Thesaurus Patris aeterni,
Thronus Filii Dei,
Triumphus Spiritus sancti,
Secretarium Evangelii,
Liber vitae,
Oraculum misericordiae,
Templum pacis,
Gloria filiae regis,
Principium salutis,
Seminarium pietatis,
Claustrum virtutum,
Thesaurus charismatum,
Coelum splendoris,
Firmamentum contemplationis,
Paradisus mansuetudinis,
Abyssus humilitatis,
Jubar fidei,
Columna spei,
Speculum caritatis,
Collegium sanctitatis,
Amoris signaculum,
Amoris oraculum,
Amoris vexillum,
Dux amantium,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,

Ora pro nobis.

Propitius esto, etc., *ut supra*.

Digitized by Google

I. Officium parvum Purissimi Cordis Mariae.

Ad Matutinum.

℣. Sancta Maria, Mater Dei, fac cor meum secundum Cor tuum.

℟. Amen.

℣. Sanctissima Mater Dei, dispone cor meum et labia mea.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Domine, in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Jesu, Mariae gloria,
Cordis praeclara Virginis
Cor intonat praeconia:
Nostris adesto canticis.

Miranda Matris viscera,
Miranda sunt et ubera,
Regale sed Cor omnibus
Miraculis praestantius.

Quem sacra paucis mensibus
Portavit alvus parvulum,
Hunc Cor prius sacratius
Semperque gestat maximum.

O sacrosancta Trinitas,
Cordis Mariae sanctitas,
Aeterna vita cordium,
In corde regnes omnium. Amen.

Digitized by Google

Ant. Eructavit Cor Mariae Verbum bonum, quod lacte suo enutrivit, et pro totius mundi vita dicavit.

℣. Omnis gloria Mariae filiae regis ab intus.

℣. Quam supergressa est universas, quae congregaverunt divitias!

Oremus.

Deus, qui Unigenitum tuum in Corde tuo ab aeterno viventem in Corde Virginis Matris vivere et regnare in aeternum voluisti, da nobis, quaesumus, hanc sanctissimam Jesu et Mariae in Corde uno vitam jugiter celebrare, cor unum inter nos et cum ipsis habere, tuamque in omnibus voluntatem corde magno et animo volenti adimplere, ut secundum Cor tuum a te inveniri mereamur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

Ad Primam.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*
℟. Amen.
℣. Domine, in adjutorium meum, etc.
℟. Me de manu hostium, etc.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Ave, Cor admirabile,
Incomprehensa continens,
Vas Angelis spectabile,
Coeleste manna proferens.

Cor aula Regum Principis
Coelumque coeli splendidum,
Templum superni praesulis,
Altare pacis aureum.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Digitized by Google

Ant. Ager plenus odoris est Cor Mariae, in quo thesaurus Angelorum, imo et totus Dei Patris absconditus est. Felix qui vendit omnia quae habet, et emit agrum illum.

℣. Cor Mariae sacratissimum.

℟. Divino amore, quo aestuas, accende cor meum.

Oremus.

Deus, qui beatissimam Virginem Mariam supra omnes creaturas superiorem et Cordis Christi participem et imaginem perfectissimam esse tribuisti, concede nobis, quaesumus, sic interiora et Cor Mariae venerari, ut per ipsum Christo conformes fieri, et per ipsum in te ipso in unum consummari mereamur. Per eundem Dominum.

Ad Tertiam.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra ad Primam.*

Hymnus.

Arca quid hac sanctius,
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servat Dei mysteria.

Pars nostra, spes et gaudium;
Coetusque nostri gloria,
Amor perennis omnium,
Jungat tibi praecordia.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. Domum Dei decet sanctitudo. Cor Mariae: hæc est domus Dei, sponsum ejus Christum habitantem in ea adoremus.

℣. Omnis Spiritus laudet Dominum:

℟. In Corde Mariae regnantem.

Digitized by Google

Oremus.

Corda nostra, Domine, Spiritus sanctus perfecte possideat, qui sanctissimae Filii tui Matris Cor vulnerando tanto caritatis inflammavit ardore, ut sicut in illa ad nutum operatus est, sic in nobis carnem nostram cum vitiis et concupiscentia crucifigendo in sanctitate sua operari dignetur. Per eundem Dominum.

Ad Sextam.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Hymnus.

Amor, Deus, Cor numinis,
Cor esto mentis unicum,
Amor regens Cor Virginis,
Rex esto solus cordium.

Amoris est miraculum,
Triumphus almi Spiritus,
Dignum Deo spectaculum,
Jucunda spes mortalibus.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. O Maria, Mater Dei, Cor tuum est porta orientalis Domini, per quam ipse Dominus ad nos ingressus, per eandem nos ad se introire faciat.

℣. In Corde tuo, Sancta Maria, salus et vita consistunt:

℟. Laetitia sempiterna et aeternitas gloriosa.

Oremus.

Deus, qui Cor Mariae ab omni prorsus labe purum virtutibus omnibus ornatum esse voluisti, dignare, quaesumus, ab omni nos peccato liberare, et gratiis ac virtutibus abundantia replere. Per eundem Dominum.

Digitized by Google

Ad Nonam.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Hymnus.

Quid Corde Matris Virginis
Coli potest sacratius;
Cordi supremi numinis,
Quid Corde tanto gratius?

Levamen est lugentibus,
Zelator ardens mentium,
Cunctis datum fidelibus,
Cor, vita, lux, oraculum.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. O sacrum Cor Matris Dei, tu es Sancta Sanctorum, per quam Sol justitiae et Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur et egreditur. Thalamus Regis gloriae, quo jungitur Ecclesiae.

℣. Fac nos, Domine, amare Virginem Matrem tuam;
℟. Quam nobis ipse sic amantissimam Matrem dedisti.

Oremus.

Jesu dulcissime, qui Virginem sanctissimam amore tanto prosequeris, tantoque vicissim ab illa diligeris, praesta, quaesumus, ut sicut amore tenerrimo simul et ardentissimo tecum ab illa diligimur, te cum illa ardentissimo pariter atque tenerrimo amore prosequamur. Per eandem Matrem omnium suavissimam et tui Cor illius simillimum, qui vivis et regnas.

Ad Vesperas.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Digitized by Google

Hymnus.

O qualis haec benignitas,
Nostrum sibi cor abstulit,
Matris Patrisque caritas,
Suumque nobis contulit.

Vos proles sacra pectoris,
Sic vos amantum noscite
Tantae decus propaginis,
Et corda Cordi tradite.

Res mira! mortis spurios
Dant Cordis esse filios,
Tantos favores pendite,
Vices amoris reddite.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. Sanctissima Virgo, da nobis Cor tuum in pignus amoris, et in locum refugii, ut semper, maximeque in hora mortis nostrae, consolationem et requiem in illo inveniamus.

℣. Infunde gratiam de thesauris Cordis tui.

℟. Succurre nobis in fine, et inveniemus vitam aeternam.

Oremus.

Sancta Maria, Mater Domini Nostri Jesu Christi et mundi Domina, quae nullum derelinquis et nullum despicis, respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc sancti et immaculati Cordis tui laudes et merita devoto affectu recolo, aeternae beatitudinis bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti, donante Domino Nostro Jesu Christo, qui vivit.

Digitized by Google

Ad Completorium.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Hymnus.

Cordis Patris mirabilem
In corde vitam pingite,
Cordisque Matris nobilem
In mente formam sculpite.

O Cor Dei triclinium,
O exulis solatium,
Immensa sunt magnalia,
Immensa sunt praeconia.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. Benedictum sanctissimum Cor tuum, in quo inscripta sunt electorum nomina, et in quo, o Maria! fac ut meum quoque penitus inscribatur.

℣. O pretiosissimum Cor Mariae, vita cordis nostri:
℟. Posside cor nostrum in aeternum.

Oremus.

Domine Jesu, qui singulari beneficio hominum curam sumere dignatus es, Cor plenum amoris pro illorum salute sanctissimae Matri tuae impertiendo, cor plenum venerationis et amoris, vel potius Cor tuum et Cor Mariae nobis impertire, ut in aeternum illam cum tuo Corde, et te cum Corde sacratissimae Matris tuae diligere possimus. Hanc gratiam concede, qui vivis.

Digitized by Google

CAPUT IV.

PIETATIS EXERCITIA, VARIIS IN LOCIS EPISCOPIS RITE PROBANTIBUS EDITA.

II. Officium parvum Purissimi Cordis Mariæ *cum Litaniis.*

Ad Matutinum.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Jesu, Mariae gloria,
Miranda Cordis Virginis
Cor inchoat praeconia:
Nostris adesto canticis.

Quid Corde Matris Virginis
Cani potest suavius?
Quid Corde Matris numinis
Cani potest augustius?

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu Tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Digitized by Google

Ant. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et veritatis, in me omnis spes vitae, et virtutis.

℣. Benedictum sit in aeternum Christi Cor sanctissimum.

℟. Et laudabile Cor etiam Mariae.

Oremus.

Clementissime Deus, qui ad miserorum omnium salutem et totius mundi refugium immaculatum et sanctissimum Cor Mariae divinissimo Cordi Filii sui caritate et misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut, qui suavissimi hujus et vere materni Cordis memoriam agimus, ejus intercessione et meritis secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem D. N. J. Ch.

Ad Laudes.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Quam sancta Matris viscera!
Quam sancta sunt et ubera!
Regale sed Cor omnibus
Miraculis praestantius.

Ave Cor admirabile,
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servans Dei mysteria.

Digitized by Google

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio *ut supra.*

Ad Primam.

Cor Mariae flagrans amori mei, inflamma **cor meum amore tui.**

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Cor labis expers patriae,
Cor labis expers propriae
Fons puritatis integrae,
Omnisque sedes gratiae!

Te candidata lilia,
Nardus rosaeque fulciunt:
Te mala coeli dulcia,
Amore languens, ambiunt.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio *ut supra.*

Ad Tertiam.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma **cor meum amore** tui!

Digitized by Google

℣. Deus in adjutorium meum intende:
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Cor aula Regum Principis,
Dignum Dei sacrarium,
Arca superna foederis,
Altare pacis aureum!

Tu fons perennis gratiae,
Spes et salus clientibus:
Tu sinus indulgentiae,
Portusque naufragantibus.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio *ut supra.*

Ad Sextam.

Cor Mariae flagrans amore mei, **inflamma cor meum amore tui.**

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Cor melle dulci dulcius,
Coeleste manna proferens,
Cor sole puro purius,
Incomprehensa continens!

Digitized by Google

Tu sanctitatis formula,
Vitae Dei compendium,
Cordis fidelis regula,
Jesu cubile floridum.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio *ut supra.*

Ad Nonam.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma **cor meum amore** tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Cor Matris ardentissimum,
Jucunda spes mortalium,
Pars nostra, vita, gaudium,
Dulcedo, lux, solatium!

Sidus micans amantium
Sol esto, duxque mentium.
Fornax amoris, omnium
Accende flammas cordium.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu Tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio *ut supra.*

Digitized by Google

Ad Vesperas.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu
Non desinente anhelitu
Suspirat oblitum sui.

Utrumque amoris vinculum
Conjungit arctis nexibus:
Hoc ardet hujus ignibus,
Ignemque reddit aemulum.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio *ut supra.*

Ad Completorium.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. etc.

Digitized by Google

Hymnus.

Dei parentis optimae
Cor! o precamur, impetres,
Quo tu flagrasti maxime,
Nostris amorem cordibus.

Hoc sontis Evae filios
Nunc Virgo Corde protege:
Hoc et tuos jam filios
Mortis sub horam suscipe.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio *ut supra*.

Litaniae de dulcissimo Corde Mariae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu audi nos. — Jesu exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor Mariae sine labe originali conceptum,
Cor Mariae ab omni actuali peccato purum,
Cor Mariae omni virtute et gratia plenum,
Cor Mariae sanctitatis regula,
Cor Mariae per mysterium annuntiationis tabernaculum Dei factum,
Cor Mariae per mysterium visitationis novis gratiis cumulatum,
Cor Mariae ex intima apud te incarnati Verbi praesentia per novem menses recreatum,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Cor Mariae in partu Jesu Filii tui ineffabili gaudio inundatum,
Cor Mariae in praesentatione Filii in templo per prophetiam Simeonis doloris gladio transfixum,
Cor Mariae ex triduana Jesu amissione magnis doloribus affectum,
Cor Mariae ex ejusdem inventione mira laetitia perfusum,
Cor Mariae, quando Jesus tibi valedixit, afflictissimum,
Cor Mariae ex tristitia Filii tui in olivarum horto summe contristatum,
Cor Mariae in flagellatione innocentissimi Jesu totidem ictibus vulneratum,
Cor Mariae spineae coronae aculeis compunctum,
Cor Mariae onere crucis gravatum,
Cor Mariae cum crucifixo Filio pariter cruci affixum,
Cor Mariae omnium dolorum Jesu specialiter particeps effectum,
Cor Mariae in morte Filii tui prope crucem dolorum oceano obrutum,
Cor Mariae mortuo Jesu consepultum,
Cor Mariae ob tot peccata hominum afflictissimum,
Cor Mariae, Jesu resurgente, gaudio redivivum,
Cor Mariae in ascensione Jesu ineffabili dulcedine repletum,
Cor Mariae in descensu Spiritus sancti nova gratiarum plenitudine cumulatum,
Cor Mariae in gloriosa assumptione super omnes beatos spiritus exaltatum,
Cor Mariae causa nostrae laetitiae,
Cor Mariae salus infirmorum,
Cor Mariae solatium omnium miserorum,
Cor Mariae refugium peccatorum,
Cor Mariae cultorum tuorum spes ac dulce praesidium,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Cor Mariae agonizantium robur,
Cor Mariae animarum purgantium refrigerium,
Cor Mariae militantis Ecclesiae scutum,
Cor Mariae Angelorum et Sanctorum omnium jubilus,
Cor Mariae habitaculum Spiritus sancti,
Cor Mariae deliciae Jesu Filii tui,
Cor Mariae Cor secundum Cor aeterni Patris, Ora pro nobis.

Agnus Dei, etc., parce nobis Domine.
Agnus Dei, etc., exaudi nos Domine.
Agnus Dei, etc., miserere nobis.

℣. Dignare me laudare Cor tuum, Virgo Maria!
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Sancte Spiritus, qui omnia bonitatis charismata in uno Mariae Virginis Corde tanquam immenso gratiarum mari mirabiliter congregasti, et illud divinitatis tuae dignissimum habitaculum effecisti, concede propitius, ut in hoc sponsae tuae dulcissimo Corde tutissimum refugium nunc et in omnibus nostris necessitatibus, demum et in hora mortis invenire valeamus. Qui cum Patre et Filio vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Aspirationes ad SS. CC. Jesu et Mariae.

Jesu Pater dulcissime
Cor meum totum posside;
Cum tuo Corde colloca
In tuo, Jesu, latere.

Virgo Mater dulcissima,
Cor meum totum posside;
Cum tuo Corde colloca
In tui Jesu latere.

Digitized by Google

Auctarium pro moderatoribus Confraternitatum SS. Cordis Jesu et Societatis Apostolatus orationis.

I.

Methodus seu Praxis adhibenda, quum a SS. Jesu Corde nuncupandae

Primaequae Congregationi Romanae ad S. Mariam ad Pineam,* *vulgo* in Capella, *nunc ad* S. Mariam de Pace *conjugendae,* *statuentur.

1. Impetrabitur proprii Episcopi consensus, cujus autographum vel authenticum exemplum mittatur ei qui SSmi. Cordis Jesu Congregationis S. Mariae de Pace a Secretis est, et hic mittet cooptationis Diploma.

2. Imago Sancti Jesu Cordis decens et apta ad pietatem fidemque excitandam in Ara, vel sacra Sodalitatis aede exponetur, quam ante qualibet in hebdomada, seu saltem aliquando in mense publica exercitatio pietatis ad normam Romanae Congregationis peragatur.

3. Catalogus Fidelium, qui cooptantur in tabulario habeatur, ut suffragiis Ecclesiae post obitum ipsi juventur.

4. Cum typis mandandae sint pagellae cooptationis, certior fiat qui a Secretis est Romanae Sodalitatis, qui exemplar ad consuetam normam mittet.

5. Prope Aram Sodalitatis tabula pendeat sacrarum Indulgentiarum, et ante ipsam aliae binae tabulae cum precatione ad pietatem erga Cor SS. Jesu fovendam collocentur.

6. Pius sacerdos eligatur, qui moderatoris fungatur officio, eique non desit scriba a Secretis, qui nomina in album referat, et quidquid juvare possit ad Sodalitatis progressum curet.

Digitized by Google

7. Solemni cum ritu Sodalitatis initium celebretur, cui vel Triduanae, vel Novendiales preces praemittantur; dieque festo panegyrica Oratio, seu sermo rei conveniens habeatur: generalis Fidelium Communio indicatur, sacrae Imagines distribuantur, atque cooptationis Diploma publice perlegatur.

8. Conscius fiat sacerdos Romanae Sodalitatis a Secretis de nova Congregationis inauguratione; literaeque subscribantur a moderatore, seu illius vicario, suique sigillo obsignentur.

9. Exequi studeant adamussim Sodalitates cooptatae regulam inviolabilem, qua jubetur, ne pecunia, aliudve exigatur a cooptatis pro pagellis, caeterisque rebus ad piam cooptationem spectantibus; sed omnia ad gloriam et ob amorem Divini Reparatoris ejusque Sanctissimi Cordis peragantur.

II.

Statuta pro pia Societate Apostolatus Orationis.

Art. 1. Apostolatus Orationis neque sodalitas neque confraternitas proprie dicta est, sed potius foederatio quaedam precum, ad quam ineundam non privati modo fideles, sed maxime piae fidelium societates invitantur. Non magis igitur ac associatio pro Fidei Propagatione, cui in auxilium venire conatur, conditionibus Confraternitatum institutioni praefixis subjicitur.

Art. 2. Sola conditio sociis Apostolatus Orationis imposita, ut privilegiis huic associationi propriis frui possint, ea est, ut nempe intentiones omnes SS. Cordis Jesu sibi proprias faciant, offerendo saltem semel in die suas orationes, actiones et dolores pro intentionibus, pro quibus ipse Christus D. continuo orat, seque in sacrificium offert, sed maxime pro Ecclesia universali, et pro Summo Pon-

Digitized by Google

tifice Romano, uti pariter pro quibusdam aliis magis urgentibus necessitatibus a totius societatis moderatore singulis mensibus designatis.

Art. 3. Quum Apostolatus Orationis Archiconfraternitati SS. Cordis Jesu, Romae in Ecclesia dicta *della Pace* institutae, aggregatus fuerit diplomate diei 8. Aprilis anni 1861; omnes fideles qui Apostolatui aggregantur, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus dictae Archiconfraternitati concessis, ipso facto frui poterunt.

Art. 4. Religiosae Communitates, quibus in pia hac precum foederatione primus locus debetur, ad eam ineundam specialiter invitantur: ipsaeque eae in illa admitti poterunt, quarum regulae obstant, quominus ullum novum onus suscipiant, quum pro onere minime haberi possit suarum intentionum unio cum intentionibus SS. Cordis Jesu. Aggregantur porro hujusmodi Communitates per inscriptionem nominum singulorum membrorum, quae adscribi petunt, in catalogo a superiore cujuslibet Communitatis de licentia moderatoris totius societatis faciendo, et ad hunc in copia transmittendo, ut in catalogo generali referatur. Ipse superior schedas aggregationis a moderatore generali edendas singulis tradet.

Art. 5. Eadem ratione aggregari poterunt piae sodalitates, Confraternitates, hospitia, religiosi Convictus, imo integrae paroeciae. Verum singula harum societatum membra quae Apostolatum ingredi cupient, in peculiari catalogo inscribentur, et schedulam aggregationis a superiore, vel parocho, vel ab alia persona per moderatorem generalem, vel centralem directorem designanda accipient; neque ideo ad Apostolatum pertinere desinent, quia ex societatibus in quibus fuerant aggregati exibunt.

Art. 6. Ipsi illi fideles qui ad Communitates et societates, ut supra, Apostolatui aggregatas non pertinent,

Digitized by Google

in Apostolatum cooptari poterunt, si eorum nomina in catalogis, quae in singulis his Communitatibus et societatibus servantur, inscribantur, et schedulam aggregationis accipiant. Uniuscujusque porro erit, diem aggregationis eligere, qua indulgentiam plenariam pro aggregatione concessam lucrari volet.

Art. 7. Universae Associationis moderator non solum schedas aggregationis ipse emittet, verum localibus moderatoribus facultatem concedere poterit, similes schedulas, determinato numero, suo nomine emittendi.

Art. 8. In singulis regionibus ubi Apostolatus Orationis jam propagatus est, aut in posterum propagabitur, licebit generali ejus moderatori centrales directores instituere, qui diplomata aggregationis Communitatibus, parœciis, et aliis societatibus tradent: quamvis autem harum nomina generali moderatori transmittenda sint, valebit tamen aggregatio ab eo die, quo diploma a centrali directore accipietur.

Art. 9. In qualibet Dioecesi associatio in posterum non fiet, nisi prius accedat consensus respectivi Ordinarii, cujus praeterea jurisdictio super sociis suae Dioecesis salva esse debet ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Decretum.

SSmus. Dnus. Noster Pius Papa IX. in audientia habita ab infrascripto Dno. Secretario hujus Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 27. Julii 1866, suprascripta Statuta prout in hoc exemplari continentur, cujus autographum in Archivio ejusdem Sacrae

Digitized by Google

Congregationis asservatur, approbavit et confirmavit, prout praesentis Decreti tenore approbat atque confirmat.

Romae datum ex Secretaria ipsius Sacrae Congregationis hac die 12. Septembris 1866.

(L. S.) A. Card. QUAGLIA, Praef.

L. Svegliati, Secr.

Ex audientia SSmi. habita ab infrascripto Dno. Secretario Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, sub die 24. Maji 1867, Sanctitas Sua benigne annuit precibus Episcopi Anicien., ac praedicta Statuta ita moderari mandavit, ut directores locales non teneantur transmittere ad directorem generalem proprios catalogos sociorum; ut traditio schedae omitti possit iis tantum in casibus in quibus fieri nequit; atque ut director generalis piae Unionis sit unus ex Religiosis Societatis Jesu, a Patre praeposito generali pro tempore eligendus. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

A. Cardinalis QUAGLIA, Praef.

L. Svegliati, Secr.



Digitized by Google

Digitized by Google

PARS IV. LITERARIA.

INDEX
PRÆCIPUORUM AUCTORUM, QUI DE CULTU SS. CORDIS JESU ALIQUID COMMENTATI SUNT.

Digitized by Google

Quas habuimus hujus indicis conficiendi rationes, breviter expositas vide supra pp. 137 seqq. In tanta vero ac paene infinita auctorum multitudine, quae novorum librorum repente emergentium accessione in dies augetur, si, ut fieri amat, uspiam offendisse, si quem librum, qui huic catalogo inscribendus esset, praeteriisse videbimur, id nemo indiligentiae tribuat, nemo in malam partem accipiat, sed potius admoneat nos, auctiorem correctioremque indicem, si opus fuerit, daturos. Cæterum si quis et multo eruditior et ampliore instructus librorum copia ad idem argumentum cumulate exornandum, nobis præeuntibus ac provocante exemplo, curas adjecerit, laboris nostri fructus erit longe maximus.

Digitized by Google

I.

Scripta B. Margaritae Mariae Alacoque.

Vie et œuvres de la bienheureuse Marguerite Marie Alacoque. 2 vol. in 8°. Paray-Le-Monial (Saône-et-Loire), au monastère de la Visitation. Paris. Poussielgue.

Quae ad commendationem operum B. Margaritae Mariae maxime valent, exhibuimus supra ex Decreto S. R. C. pp. 209 seqq. Sed iis etiam non exiguum pretium accedit ex intimo illo nexu, quo ea, quae ad vitam Beatae pertinent, cum cultu Sacratissimi Cordis Jesu cohaerent. Quare a proposito nostro alienum non erit, ea de re unum alterumve testimonium hoc loco subjicere.

„Quum tanta in Deum et proximum caritate aestuaret, mirum non est, si ipsam Christus Dominus elegerit, ut immensi amoris sui in homines mirabili praeconio fungeretur. Quod ven. mulier praestitit maxime, quum, prout coelitus admonita acceperat, ad Sacratissimi Cordis Jesu venerationem fideles omnes inflammare sategit. Felix, cujus nomen ita cum alio illo sanctissimo conjunctum fuit, ut simul cum Corde Servatoris Divini Mariae Margaritae compellatio apud posteros personaret, et alterum in animis hominum memoriam excitaret alterius.“ (Postulatores in causa Beatificat. ven. Marg. Mariae an. 1864.)

„A beatificatione hujus venerabilis servae Dei instituta erga Reparatoris nostri Cor amantissima devotio latius proferetur et fidelium cordibus haerebit altius, atque ita multorum, quae refriguit, caritas divini amoris igne rursus exardescet. — Insuper aetate nostra eo de-

Digitized by Google

venit hominum scelus, ut non pauci daemonum astus aemulati teterrimo odio prosequantur Deum, atque ab omnium animis vel ejus ideam evellere adnitantur. Ut superbos hosce Deus confunderet, exeunte saeculo XVII sanctimonialem nostram excitavit, quae omnibus ignota, non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed per ostensionem spiritus, Jesu Christi Cor omnibus exhibuit, ut omnium corda divinae caritatis flamma succenderet. Nunc vero, quaquaversus quum abundet iniquitas, dilectam hanc suam sponsam Jesus ipse ad altiora vocat, quo sublimius elata aeterni amoris ignem latissime diffundat." (Votum Promotoris Fidei an. 1864.)

„*Ecquis pium cultum Sacratissimi Cordis Jesu exercet, quin simul occurrat memoria et nomen B. Margaritae Mariae, quae tam impenso studio ad ejus propagationem intendit? Imo ex canonizatione beatae mulieris permulti ex praestantissimis viris, qui supplices dedere preces, augurantur maxima bona Ecclesiae Dei obventura, eo quod actus ille solemnis plurimi valebit, ut fideles ad hunc cultum excitentur vehementius, scilicet inflammentur ad caritatem erga Dominum Nostrum, quae si profundas radices egerit in cordibus hominum, optima quaeque fausta et salutaria fas erit polliceri et ominari. Odium, quo increduli et impii Christum prosequuntur, peperit haec mala quae videmus et patimur; inflammata caritas in ipsum potest mederi malis, instaurare quae lapsa sunt, pessimam rerum faciem in bonam convertere.*" (Postulatores causae Canonizat. an. 1866.)

Digitized by Google

II.

Ephemerides de SS. Corde Jesu.

Peculiaribus libellis menstruis integrum hoc argumentum diligenter excolunt:

Ramière S. J. Le Messager du Coeur de Jésus. Bulletin mensuel de l' Apostolat de la prière. Paris. Lecoffre. Vals Près-le-Puy.

— Il Messagere del Sacro Cuore di Gesù. Bullettino mensile dell' Apostolato della preghiera. Bologna. Presso l' Uffizio del Messaggere del S. C. di G.

Morgades y Gili. El Mensajero del Sagrado Corazon de Jesus. Boletin mensual del Apostolado de la oracion bajo la direccion del R. P. E. Ramière de la Compania de Jesus. Traducido al espanol y arreglado á las costumbres y necesidades de Espana, con permiso de su Autor. Bajo la direccion del Dr. D. José Morgades y Gili, Canónigo Penitenciario de esta Santa Iglesia y Director central de esta obra en Espana. [1]) Barcelona. Librería de la Viuda é Hijos de J. Subirana.

Maher S. J. The Messenger of the Sacred Heart of Jesus. Monthly Organ of the Apostleship of prayer. London. John Philp.

---

[1]) Rmus. Dnus. Morgades y Gili vir est varia eruditione, linguarum peritia, judicii acumine, magna rerum divinarum intelligentia praestans. Impense pius ac fervens ut est, Apostolatum Orationis primus in Hispaniam invexit: in propagando hoc cultu in dissitis illis provinciis Patris Ramière fidelissimus atque indefessus adjutor. Clarissimo viro pro eximia sua, quam mihi in indicandis auctoribus Hispanis praebuit, benevolentia devinctissimum me profiteor.

Digitized by Google

Sestini S. J. The Messenger of the Sacred Heart of Jesus. A Monthly Bulletin of the Apostleship of Prayer. Georgetown, D. C. Mc Gill et Nolan.

Malfatti S. J. Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu. Monatsschrift des Gebets-Apostolats. Innsbruck. Felician Rauch.

Mathon O. S. B. Skola Bozského Srdce Páne. Mesícny list apostolátu modlitby a brastrstev v Cechách, na Morave a ve Slezsku.. Rajhrad (na Morave) *Bohem.*

Memoratis Ephemeridibus adjicimus

Analecta Juris Pontificii, tertio quoque mense edit. Romae et Parisiis (ap. Vict. Palmé), *opus peregregium, varia selectaque omnium literarum theologicarum, maxime juris canonici, eruditione refertum, in quo clarissimi editores inde ab anno 1857 plurima in lucem emiserunt vitae B. Marg. Mariae exornandae cultuique SS. Cordis Jesu illustrando idonea, quae ipsorum doctrinae magnitudinem et inexhaustum tabularia Romana excutiendi studium cum acri conjunctum judicio luculenter ostendunt.*

III.

Libelli precationum piis exercitiis Romae in Templo Deiparae Virginis DE PACE peragendis accomodati.

Esercizio Sagro che si pratica dalla Congregazione Primaria del SS. Cuore di Gesù in tutte le Domeniche dell' anno in Roma nella v. chiesa di S. Maria della Pace un ora e mezza prima del segno dell' Ave Maria; coll' aggiunta di alcune orazioni e pratiche divote. Roma. Tipograf. Perego-Salvioni.

Digitized by Google

Triduo in apparecchio alla festa del SS. Cuore di Gesù per la Congregazione Primaria stabilita sotto questo titolo in S. Maria della Pace. Roma. Tip. Perego-Salvioni.

Un ora di carnevale dinanzi al SS. Cuore di Gesù. Esercizio di pietà che si pratica in Roma nella v. chiesa di S. Maria della Pace nel giovedì di Carnevale dalla Congregazione Primaria dell SS. Cuore di Gesù. Roma. Tip. Perego-Salvioni.

IV.

Libri qui germanice editi non sunt.

*Exhibituris nobis indicem librorum duo haec quam brevissime praemonenda esse existimamus: alterum, quod in percensendis auctoribus illos asterisco * notavimus, qui vel aperte contra cultum SS. Cordis Jesu disputarunt vel saltem ejus rationes perverse sunt interpretati; alterum, quod in enumerandis operibus necessariam brevitatem sequendo nonnisi vetustioribus tempus adscripsimus, quo primum edita in lucem sunt.*

Albergotti, Card., Via della santità, *opus Cardinali Gerdilio maxime probatum.*

Ambrosi C. Il Venerdì dedicato all' amabile Gesù ed al suo divin Cuore. Considerazioni tratte dalle opere del P. Giac. Nouet S. J. Verona. Figli di Maria.

* **Amerista** *vid.* Georgi p. 110.

L' amore di Gesù proposto ai fedeli sotto il simbolo del S. Cuore. Brescia. 1775.

L' anima divota dei Cuori sacratissimi di Gesù e di Maria. Verona. Figli di Maria.

Antidoto contro i libri del Sig. Avvocato Blasi, o lettere di un suo Concittadino Osimano. Firenze. 1773.

Digitized by Google

L' amour du Coeur de Jésus inspiré par des exemples à la jeunesse. Lille. Lefort.

L' apostolat du Sacré-Coeur de Jésus. (Gautrelet) Paris. Lecoffre.

L' apostolato della preghiera ossia la preghiera d' intercessione in unione al Sacro Cuore di Gesù d' un Padre Francescano; trad. dal tedesco (p. A. Canestrini). Trento. Seiser.

Argenti, La divozione al S. Cuor di Gesù.

Arnoldus S. J. De imitatione sanctissimi Cordis Jesu. Einsiedeln. Benzinger.

— Imitation du Sacré-Coeur de Jésus, trad. du Latin. Tournai. Castermann.

— De la imitacion del Sagrado Corazon de Jesus .... traducida al castellano por el Pbro. D. Felipe Velazquez y Arroyo, doctor en sagrada teologia.

Association à la dévotion des Sacrés-Coeurs. Tournai. Castermann.

Bado S. J. La scuola del divin amore, aperta nel sacro Cuore di Gesù. Genova. Tipografia della Gioventù.

Baudrant, Neuvaines aux sacrés Coeurs de Jésus et de Marie. Paris. Lecoffre.

Bazetti, Divozione al SS. Cuore di G. presentata ai fanciulli. Milano.

Cenni (brevi) intorno la solennità del Corpus Domini e la festa del S. C. d. G. Torino. P. Marietti.

* **Blasius**, Dissertatio commonitoria de Festo Cordis Jesu, cum aliis opusculis ejusdem auctoris. *V. supra p. 110.*

Bonucci S. J. Anatome Cordis Christi Domini lancea perfossi. [1]) Romae an. 1703.

---

[1]) Librum inter Brasilos missionarius scripsit.

Digitized by Google

Bonucci S. J. Connaissance du Coeur de N. S. J. percé par la lance, trad. du Latin par Mgr. Luquet, Evêque de Hesebon. Paris. Vreyet.

Rmus. de Borghi, *Causae Beatificationis B. Marg. Mar. Alacoque postulator pervigil, ut cum eleganter Acta appellant, vir florens ingenii, eruditionis, industriae laudibus, vitae Beatae Margaritae Mariae diligens et indefessus pervestigatur, Sacratissimo Cordi Jesu apprime deditus ut est, in suis Scripturis apud S. R. C. propositis eundem cultum modis omnibus illustravit. Ex iis praeter alia in rem nostram adhibuimus quae habentur supra p. 63 et pp. 589—590.*

Borgo S. J. Novena in preparazione alla festa del Sacro Cuore di Gesù Cristo ad uso delle persone secolari e religiose. Ferrara 1786. Rinaldi. Opus indulgentiis a Pio PP. VII. concessis summopere commendatum. [1])

---

[1]) Decretum ea de re editum in forma extensa exhibere non piget. „Beatissimo Padre, I divoti del Sacro Cuore di Gesù il dì 15 Marzo 1809 ottennero dalla S. V. ad septennium per una volta l' anno l' indulgenza di 300 giorni per ogni dì della Novena, e plenaria in un giorno della medesima, e fra l' ottava, a chiunque de' fedeli che confessato e communicato avesse fatto in onore del Santissimo Cuore di Gesù la tanto lodata Novena del P. Borgo per uso delle persone religiose e secolari. E già da un anno terminato il settennio senza che sieno state confermate l' indulgenze suddette con discapito de' fedeli vivi e defonti. Inoltre non essendo stato ben inteso il sopradescritto rescritto, si è annunciato al publico con varie ristampe, che l' indulgenza era in perpetuo, e che si poteva lucrare due volte l' anno, cioè nella Novena precedente la festa del S. Cuore, un altra volta fra l' anno ad arbitrio. A riparo per tanto di tali difetti è umilmente pregata la S. V. dai divoti del S. Cuore di Gesù, a degnarsi benignamente accordare in perpetuo la sudd. indulgenza

Borgo S. J. Meditations on the Sacred Heart of Jesus Christ; being those taken from a Novena in preparation for the Feast of the same. London. Richardson and Son.
— Novene ter eere van het H. Hert van J. Ch. Kortyk. Gernay-Bouten.
— Neuvaine pour se préparer à la fête du Sacré-Coeur de Jésus, trad. de l' Italien. Avignon. Seguin; Paris. Perisse.

Brugière *vid.* Instruction catholique.

de Chazournes S. J. Les souvenirs du Coeur de Jésus. Paris. Ruffet.

Chesnal, Petites méditations sur le Sacré-Coeur de Jésus. Paris. Poussielgue.

Cirot, Imitation du Sacré-Coeur de Jésus. Paris. Leroux et Jouby.

Le Coeur de Jésus consolé dans la S. Eucharistie par la pratique de la communion réparatrice. Avignon. Aubanel.

Connaissance et amour du Coeur de Jésus: méditations selon la méthode de S. Ignace, suivies d' un Triduum au Saint Coeur de Marie. Paris. Poussielgue Rusand.

Coleccion de himnos y letrillas, para uso de las alumnas del Sagrado Corazon de Jesus. Barcelona. Subirana.

---

plenaria e parziale, tanto della Novena precedente la festa del Sacratissimo Cuore di Gesù, quanto in altra che se ne faccia fra l' anno.“

„Santissimus D. N. Pius PP. VII. supraenunciatas indulgentias tam in Novendiali festum Sanctissimi Cordis Jesu praecedenti, quam in alio infra annum uniuscujusque arbitrio peragendo, perpetuis futuris temporibus valituras pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus, benigne confirmavit, et quatenus opus sit, de novo concessit absque ulla Brevis expeditione, cum facultate etiam supradictas indulgentias in suffragium fidelium defunctorum applicandi, servato in reliquis tenore primae concessionis. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis indulgentiarum die 13. Januarii 1818.“

Digitized by Google

Colombière S. J. Retraite spirituelle. *V. supra p. 179.*

Collet, La dévotion au Sacré-Coeur de Jésus établie et réduite en pratique. Paris 1770.

Comire S. J. Chants au Coeur de Jésus. Toulouse. Martin.

Compendio storico istruttivo e prattico della divozione al SS. Cuore di Gesù e de' salutari frutti della medesima. Roma. Perego-Salvioni.

Considérations (33) sur le Sacré-Coeur, suivies de lectures. Clermont. Ferrand.

Corazon de Jesus consolado en la SS. Eucaristia. Barcelona. Subirana.

Il Cuor Santissimo di Gesù Cristo (Guadagnini). Brescia. 1775.

Croiset S. J. La dévotion au Sacré-Coeur. *V. supra p. 220.* [1])

— Motivi e mezzi per acquistare la divozione al S. Cuore di Gesù dal Francese.

---

[1]) Quod annotavimus supra p. 220, eam ob rationem in Indicem librorum prohibitorum relatum fuisse opus Patris Croiset, quod Officium SS. Cordis non approbatum exhibuisset, id verum esse non existimant alii; quia, inquiunt, Officium istud etiam in recentioribus editionibus non prohibitis sistitur. Idcirco potius in Indicem rejectum esse putant, quod in explicando objecto cultus auctor ipsum Cor verum Domini non satis curare videatur; eaque de causa factum esse conjiciunt, ut in plerisque omnibus recentioribus editionibus praeter alia multa et haec verba priorum editionum omissa sint: „*Ce qu'on prétend est de faire voir, qu'on ne prend ici ce mot de Coeur que dans le sens figuré.*" Quae verba revera non amplius reperiuntur in illis ex novis editionibus, quae nobis in promptu sunt. Optandum certe est, ut hanc quaestionem de rationibus judicii a Romanis censoribus contra librum Patris Croiset lati ab erudito aliquo theologo acutius subtiliusque pertractetur, atque excussis omnibus argumentis clare exponatur.

Digitized by Google

Cultus Sanctissimi Cordis Jesu, in gratiam pietatis Studiosorum typis datus. Pragae. Hagen. 1777.

Dalgairns, B. Dobrée. De la Dévotion au Sacré-Coeur de Jésus avec une introduction sur l' esprit de Jansenius, trad. de l' Anglais par l' abbé Poulide. Paris. Ambroise Bray.

Daniel S. J. Histoire de la bienheureuse Marguerite-Marie [1]) et des origines de la visitation. 1 vol. in 8° avec portrait. Paris. Lecoffre.

— Le même ouvrage 1 vol. in 18° jésus. Chez le même.

Deham S. J. Le Sacré-Coeur de Jésus offert à la piété de la jeunesse studieuse. Paris. Magnin.

Derouville Al. Esercizio di meditazioni ad onore del SS. Cuore di Gesù. Dal Francese. Roma. Fulgoni.

Desjardins S. J. Ascétisme et Littérature. Paris. Julien Lanier.

— Le Coeur de Jésus principe et modèle de perfection chrétienne. Paris. Lecoffre.

Devocion al Sagrado Corazon de Jesus. Barcelona. Subirana.

Dias Feliz consagrado a los cultos del S. C. de Jesus. Apud eundem.

Dissertatio Antiblasiana, seu Blasius Admonitor. Venetiis 1775.

* Dissertation dogmatique, ou Lettre d' un Prieur a un ami sur l' édition du livre de Mgr. Fumel. En France. 1777.

---

[1]) Ex scriptoribus qui ex occasione beatificationis Margaritae-Mariae idem hoc argumentum vel aliquam ejus particulam integris libris atque dissertationibus tractarunt plures quidem allegari possent; eos tamen ut ex aliis librorum indicibus, cui volupe est, cognoscat, malumus, praeter Patrem Daniel paucos hos adhuc nominominasse contenti: Guerrin, Marrel, Mariller, Cucherat, B...., et Bourdon.

Digitized by Google

Divozione al costato santissimo di Cristo per ottenere buona morte, entrando col nostro cuore nel Cuore di Gesù, come in luogo di sicurezza, cavata dalle seguenti parole di S. Agostino: *Longinus aperuit mihi latus, et ego intravi, et ibi requiesco securus.* Roma 1648. Manelfi.

La Divozione al SS. Cuor di Gesù per una Congregazione di Brera. Milano 1766.

Dreron S. J. Recueil de différentes publications concernant l' oeuvre de la communion réparatrice. Avignon. Aubanel.

Dufau S. J. Les beautés de l' âme contemplées dans le Coeur de Jésus. Bruxelles. Goemaere.

— Les magnificences de la grâce contemplées dans le Sacré-Coeur de Jésus et dans le Saint Coeur de Marie. Bruxelles. Lelong.

Entretenimentos con el Sagrado Corazon de Jesus. Barcelona. Subirana.

Esercizio spirituale per i Fratelli della Compagnia de' SS. Cuori di Gesù e di Maria. Venezia 1753.

Espíritu y Practica de la devocion al S. C. de J. Barcelona. Subirana.

Eudes, Le Coeur admirable de la très-sacrée Mère de Dieu. Liv. XII. *Le divin Coeur de Jésus.* [1] *V. supra p. 302.* Paris. Seguin ainé.

---

[1] Confer etiam l. I, c. 2. „Le premier Coeur de l' Homme-Dieu que nous adorons c' est son Coeur corporel, qui est déifié, ainsi que toutes les autres parties de son sacré corps, par l'union hypostatique, qu'elles ont avec la personne divine du Verbe éternel etc.“ Quibus ex verbis collatis cum capite finali lib. XII liquet, ex mente Patris Eudes ipsum Cor verum divini Salvatoris proprie ad objectum cultus Sacratissimi Cordis Jesu pertinere, quod non ita pridem aliqui infitiabantur.

Digitized by Google

Exercices de la dévotion au Sacré-Coeur de Jésus. Paris et Lyon. Pelagaud.

Faure S. J. Biglietti confidenziali critici. *V. supra p. 77.*

— Saggi teologici per formare un errata-corrige da aggiungersi ai due volumi che per apologia del Sigr. Blasi . . . ha recentemente publicati. Lugano 1773.

Federici, Note critiche contro il cabalistico, erroneo, scandaloso libro col titolo: *De Festo Cordis Jesu Dissertatio commonitoria.* Napoli 1788. Lorenzo.

Foschieri, Minor Conventuale, Orazione panegirica in lode del Sacro Cuore di Gesù Cristo. Casal-Maggiore 1783.

Franco S. J. La divozione al S. Cuore di Gesù. Firenza. Manuelli.

— De la dévotion au Sacré-Coeur, trad. de l' Italien par le chanoine Labis. Tournai. Castermann.

— Manuale dei divoti del SS. Cuore di Gesù. Milano. Boniardi-Besozzi.

Froment S. J. La véritable dévotion au Sacré-Coeur de Jéus-Christ. Besançon 1699. Rigoine.

Fumel, Evêque de Lodève, Le culte de l' amour divin, ou la Dévotion au Sacré-Coeur de Jésus, avec des réponses aux objections pour l' instruction et à l' usage des fidèles de son diocèse. 2. vol.

— Il culto dell' amor divino, ossia la divozione al SS. Cuore di Gesù, corredata di annotazioni da Luigi Mozzi. Bologna 1782. *V. supra p. 127.*

Gallifet S. J. De culto Sacrosancti Cordis Dei ac D. N. J. Ch. Romae 1726. Salvioni. *V. supra p. 223.*

— De l' excellence de la dévotion au Coeur adorable de Jésus. Paris. Regis Ruffet.

Garcia de Fulla, Ord. Praedicat., Compendio della verdadiera devocion al Sagrado Corazon de Nuestro Redemptor Jesus. Saragosa 1743.

Digitized by Google

Gautrelet S. J. Manuel de la dévotion au S. Coeur de Jésus. Bruxelles. Wagener.

— Le premier vendredi de chaque mois sanctifié par la dévotion au S. Coeur. Paris. Lecoffre.

— Il primo Venerdì di ogni mese santificato dalla divozione al S. C. di G. Roma. Morini.

— El Primer Viernes de cada mes santificado por medio de la devocion al S. Corazon de J. Barcelona. Subirana.

— Mois du Sacré-Coeur. Paris. Victor Palmé.

— Il mese di Giugno consecrato al Cuore SS. di Gesù in trentatre meditazioni. Roma. Morini.

— El nuevo Mes del Sagrado Corazon de Jesus, ó las principales virtudes de este adorable Corazon, consideradas en treinta y tres meditaciones correspondientes á los treinta y tres anos de la vida del divin Salvador. Traducido libremente. Barcelona. Subirana.

Gerdil, Card., Animadversiones in Notas Xav. Feller. Edit. Florent. an. 1849, tom. 6, pp. 187 seqq.

Gette, Petit office du Sacré-Coeur.

Giani S. J. Ragionamento sul S. Cuore di Gesù. Genova 1780.

Ginther, Speculum amoris et doloris in sacratissimo ac divinissimo Corde Jesu Incarnati, Eucharistici ac Crucifixi orbi christiano propositum. Augustae Vindelicorum 1771. Lotter.

* **Giorgi**, Antirrheticus. *V. supra p. 110.*

Goullard, Pratique de la dévotion au Sacré-Coeur de Jésus à l' usage de la confrérie. Paris. Lecoffre.

* **Grégoire**, Histoire des sectes religieuses, Tom. I, pp. 333—370.

Gourdan, Instruction et pratique pour la dévotion au Sacré-Coeur de Jésus.

Digitized by Google

Gourdan, Le coeur chrétien formé sur le Coeur de Jésus. *V. supra p. 223.*

Guidetti, Esercizj di divozione al Santissimo Cuor di Gesù e di Maria.

— Il divoto del SS. Cuor di Gesù nella sua sollitudine.

— Triduo in apparecchio alla Festa del SS. Cuor di Gesù.

— La settimana dedicata al medesimo.

— Lettera sulla divozione al SS. Cuor di Gesù.

— Il culto perpetuo del Cuor di Gesù.

— Catechismo sulla divozione suddetta.

— L' anno nuovo.

Guillon, Entretiens d' un coeur pieux avec le très-sacré Coeur de Jésus, trad. du Portugais. Paris. Perisse.

Hæftenus, Schola cordis. *V. supra p. 144.*

Haynal S. J. hungarice edidit *Cor Jesu sacrum imaginibus, rhythmis, orationibus expressum.* Viennae 1629.

d' Hérouville, Neuvaine en l' honneur du Sacré-Coeur de Jésus. Paris. Lecoffre.

Huguet, Mois du Sacré-Coeur des âmes intérieures. Lyon. Girard.

— Dévotion au S. Coeur de Jésus en exemples. Paris. Ruffet.

Imitation du Sacré-Coeur de Jésus Christ par un Père Jésuite. Paris. Lecoffre.

Instructions, Prières et Pratiques pour la dévotion au Sacré-Coeur de Jésus. Lyon 1722.

Instruction catholique sur la dévotion au Sacré-Coeur par Brugière. Paris 1777.

Intercession perpetuelle au Coeur agonisant de Jésus. Paris. Poussielgue frères.

Istruzione intorno della divozione al SS. Cuore di Gesù. Udine. Mureno.

Digitized by Google

Joly, Monial. Ord. Visit. B. M. V. an. 1687 *gallice scripsit* Officium, Missam et Litanias SS. Cordis Jesu, *ut ex Vita B. Marg. Mariae didicimus,* [1] *sed ea videre, utut cupidissimis et sedulo investigantibus, hucusque non licuit.*

Kubinszky, Jézus szivének ahitatossága. Kalocsán.

Lambruschini, Card., La Dévotion au S. Coeur, trad. par Douay. Paris. Victor Sarlit.

Languet, La vie de la vénérable M. Marg. Marie. *V. supra p. 219.*

Lanzi S. J. Della divozione al Cuore di Gesù. Bassano. Remondini.

Lettera di un Arcivescovo scritta a Mgr. Ricci sulla di lui Pastorale contro la divozione del C. d. G. *V. supra p. 66. not. 5.*

Lettera di un villeggiante sul libro contro la festa del C. d. G. Firenze 1771.

* Lettera al Nobile Sig.... di Bergamo sopra la divozione al Cuor di Gesù. Venezia 1780. Simone Occhi.

* Lettera di due Ecclesiastici [2] sopra la divozione al Cuor di Gesù. Bergamo 1781.

* Lettera istruttiva di un Teologo Romano. *V. supra p. 110.*

* Lettre aux Alacoquistes, dits Cordicoles, sur l'origine et les faites de la fête du S. Coeur de Jésus et de Marie. En France 1782.

* Seconde Lettre aux Alacoquistes. Avignon 1781.

---

[1] Vie et oeuvres tom. 2, p. XXXII, et p. 115.

[2] Conte Benedetto de' Passi e Francesco Sonzogni, canonici di Bergamo. (Anal. Eccl.)

Digitized by Google

* Lettera agli Alacoquisti detti Cordicoli sulla origine e le perniciose conseguenze della festa del S. Cuor di Gesù e di Maria. [1]) Pistoija 1784.

* Lettre de M. Veiluva, chanoine d' Asti du 29. Octob. 1804.

Lyonnard S. J. Le Coeur agonisant de Jésus et les agonisants de tous les jours. Paris. Lecoffre.

— Les souffrances continuelles du Coeur agonisant de Jésus et du Coeur compatissant de Marie. Paris. Ernoult et Vaillant.

Magnani S. J. De cultu SS. Cordis apud Patres Soc. Jesu in Alba Russia an. 1784. [2])

Manual de Piedad para uso de las educandas del Sagrado Corazon de Jesus. Barcelona. Subirana.

---

[1]) Relatae epistolae tribuuntur certo cuidam Renaud, parocho in Vaux.

[2]) P. Augustin. Magnani, Bononiensis, Venetae ad annum usque 1773 Provinciae adscriptus, postea in Collegio Polocensi in Alba Russia cum magna sui et Societatis commendatione matheseos professor, maxime in voculas malevolorum incurrit, quod testatus erat 21. Mart. — 1. April. 1784, illam in omnium membrorum Societatis animis haerentem ac defixam sententiam, *quod servata in Rossiaco Imperio esset non sine prodigio Societas, quodque paulatim augeri coepta sit, id SS. Cordi Jesu in acceptis referendum esse, et porro, quod speretur, de futura ejus restitutione in universum orbem, id pariter ab eodem SS. Corde unice sperandum*. Quae omnia quum ad intelligenda ea pertineant, quae supra de litisconsortio inter adversarios deletae Societatis Jesu et osores cultus SS. Cordis retulimus pp. 65 et 106, non alienum a re nostra erit, ex multis Patris Magnani pauca haec adscribere. „Superiores nostri, inquit, ingenue fatentur, et inculcant saepissime, nihil se in Societate servanda aut valuisse, aut effecisse, divino et singulari prorsus consilio ac providentia negotium isthoc stetisse. Imo vero confidimus, non in Russia modo conservandam esse a Deo Optimo Maximo Societatem Jesu, sed et hinc dilatandam, ac in

Manuel et Exercices de dévotion au S. Coeur de Jésus. Lyon. Girard.

Manuel de dévotion au S. Coeur de Jésus par l' abbé J. A. B. Paris. Victor Palmé.

Nouveau Manuel de la dévotion au S. C. de J. par A. M. D. G. Louvain. Fonteyn.

Nouveau Manuel des adorateurs du Coeur de Jésus. Valence. Favier.

Petit manuel de prières à l' usage des fidèles qui veulent augmenter leur dévotion aux sacrés Coeurs de Jésus et de Marie. Paris. Lecoffre.

---

universo orbe reparandam, atque in pristinum et illustriorem adhuc statum restituendam. — Piissimi et amantissimi Cordis Jesu bonitas et liberalitas haec nos modeste simul et audacter petere et sperare docet. Hujus Sanctissimi Cordis cultus plurimum hic efflorescit. Praeter maxime solemnem singulis annis festivitatem, cui etiam triduanas preces praemittere solemus, per omnia nostra Collegia quot mensibus tum proposita plenaria indulgentia, tum augustissimo Sacramento cum pompa exposito, tum verbis in concione de illo ad populum additis alitur et renovatur hoc pietatis solidissimum exercitium, quod caritas Cordis Jesu ad moderna tempora reservavit, ut recalesceret jam senescens et in amore Dei torpescens mundus. (S. Gertrud.) — Huic divinissimo Cordi A. R. Pater Noster adscribit, quidquid felicitatis nostram in Societatem hic derivavit. R. P. Franciscus Kareu Provincialis studiosissime ejus cultum inter Nostros Externosque procurat. . . . Hanc devotionem occultum tacitumque credimus fontem bonorum jam acceptorum; hanc speramus fore scaturiginem complurium adhuc beneficiorum, qnae Societati ac per eam Ecclesiae praestabuntur. Veneremur, amemus, imitemur hoc Cor, unde bona nobis omnia profluxerunt." Sed adeundus ipse Magnani, vel, si auctor in promptu non est, *Murr*, qui libellum magna ex parte sistit in sua ephemeride Norimbergensi *Journal zur Kunstgeschichte und allgemeinen Literatur, 13. vol. pp. 286 seqq. an. 1784.*

Digitized by Google

The little Manual of Devotion to the Sacred **Heart of** Jesus. Cincinnati. John P. Walsh.

* **Mare,** Marcello del, Pregiudizj legittimi contra **la nuova** divozione al Cuor carneo di Gesù. Pistoja.

Mattei, Serca prisveto Iczusovo razgledano zaljubljeno. u mletcih.

Marquez S. J. Defensio SS. Cordis Jesu. Venetiis 1781. Zatta. *V. supra p. 127.*

Maurel S. J. Petit Manuel de la dévotion au S. Coeur. Lyon. Girard et Josserand.

Méditations sur le S. Coeur de Jésus, ou connaissance et amour du Coeur de Jésus. Tournai. Castermann.

Misa en honor del S. C. de J. Barcelona.

Mois du Sacré-Coeur. Paris. Victor Palmé.
„ „ „ „ Victor Sarlit.
„ „ „ „ Poussielgue Rusand.
„ „ „ „ Régis Ruffet.
„ „ „ Lyon. Girard et Josserand.
„ „ „ „ Pelagaud.

Nouveau mois du Sacré-Coeur par Hubert Lebon. Paris. Lecoffre.

Mois de Notre-Dame du Sacré-Coeur. Issoudun. Missionaires du Sacré-Coeur.

Michettoni, Mese del SS. Cuore di G. Torino. P. Marietti.

Settimana santificata colla divozione del SS. C. di G. Torino. P. Marietti.

Mussipontan. Colleg. S. J. saeculo superiore de Corde Jesu libellum plane aureum edidit, qui in omnes fere linguas translatus est. *V. supra p. 224.*

Muzzarelli S. J. Istruzione pratica della divozione del sacro Cuor di Gesù per ottener la conversione del cuore e un vero fervore nella suddetta divozione. Napoli. Tramater.

Muzzarelli S. J. Dissertation sur la dévotion et le culte dû au Sacré-Coeur de Jésus-Christ. Bruxelles. Società nationale.

— Le dodici virtù del SS. Cuor di Gesù.

— Dissertation sur les règles qu'on doit observer pour parler et écrire avec exactitude sur la dévotion et le culte dû au Sacré-Coeur de Jésus-Christ. Paris. Lecoffre.

Del Nente, Ord. Praedic., Meditazioni sul divinissimo Cuor di Gesù.

Novelli, Curato in Viterbo, Gesù buon Pastore invita tutti i peccatori a ritornare all' aperto suo Cuore. Viterbo 1787. Pogiarelli.

Novena ad onor del S. C. di G. Dal francese trad. per Alberini. Macerata 1771.

Nouet S. J. Sopra le attrative infinitamente amabili di Gesù. Dal Francese.

Oficio del Sagrado Corazon de Ntro Sr. Jesucristo.

Les neuf offices du Coeur de Jésus. Paris. Lecoffre.

Los oficios del S. C. de J., ó Ejercicio de adoracion perpétuo, que puede servir de novena en honor del Sagrado Corazon, para uso de los sócios del Apostolado de la Oracion. Barcelona. Subirana.

Ottavario sopra i Cuori di Gesù e di Maria. Venezia 1753.

Passion du Coeur de Jésus renouvelée dans l' Eucharistie, ou trésor des Associés de la communion réparatrice. Avignon. Aubanel.

Pavani, Lettera teologico-critica sopra il culto del Cuor di Gesù. Napoli 1773.

Paulovich Lucik, Alcuni esercicj della pia insigne e cristiana pietà verso i purissimi e sagratissimi Cuori di Gesù e di Maria.

Penalosa S. J. La devocion al sagrado Corazon de Jesus. Madrid. Llorienci.

Digitized by Google

Pie considerazioni sopra il Cuore di Gesù. Roma 1768.

Pieux Rendez-vous donné aux amis du Coeur de Jésus à l' usage des associés de la communion rép. Avignon. Aubanel.

Poloni Episcopi in libello supplici oblato anno 1765 rationes cultus SS. Cordis Jesu diligentissime expendunt. Praeter ea quae dedimus supra pp. 84 seqq., 97 seqq. et pp. 285 seqq. prae caeteris memoratu dignum est, quod de revelationibus Beatae Margaritae Mariae factis habent quodque, quia idoneum est illustrando procedendi modo apud S. R. C., nec passim obvium, hic adscribere non piget: „*Revelatio reverendae matri Margueritae Alacoque, ex Ordine a Visitatione beatae Mariae Virginis nuncupato, divinitus facta jam adeo cognita et explorata est (quantum quidem fides humana ante Ecclesiae approbationem se extendit), vix ut sapiens quisquam rerum gestarum conscius de ea dubitari possit. Nam primo dicta revelatio in scripto authentico habetur manu ejusdem reverendae matris, obedientia cogente, exarato; secundo ejusdem virginis eximia sanctitas adeo elucet tum ex indubitatis vitae illius actis, tum ex multorum coaevorum testimonio, tum ex fama sanctitatis, tum ex informationibus ab Ordinario ex forma juris inchoatis, tum ex miraculis ejus intercessione patratis, ut ab omnibus jam digna judicetur, quae in beatorum numerum adscribatur. Legi possunt super ea re ad fidem pleniorem faciendam, quae in libro de cultu Cordis Jesu de hac serva Dei historiae narrata sunt, a quibus sane bene multa reperientur in genere eximiae sanctitatis admirabilia.*“

Porzia S. J. Ragionamenti duo della divozione al S. Cuor di Gesù. Bassano.

Digitized by Google

Positio concessionis Officii et Missae in honorem Cordis Jesu. Romae 1765. *V. supra p. 284.*

Le Pouvoir de Notre-Dame du S. Coeur prouvé par les faits. Issoudun. Missionaires du S. C.

Práctica de devocion al Sagrado Corazon de Jesus, obra la mas completa para las almas que desean dedicarse con fruto á tan saludable devocion. Barcelona. Subirana.

Pratica per onorare il SS. Cuor di Gesù, ripartita in nove differenti uffizj, che puo anche servire di novena in preparazione alla sua festa. Roma. Marini e Morini.

Pratiche divote in onore del Santissimo Cuore di Gesù per varj tempi ed occasioni, e singolarmente per la Novena di esso SS. Cuore. Fano 1791. Donati.

Pratique de l' amour envers le Coeur de Jésus. Paris. Poussielgue Rusand.

Preghiere che servir possono di coroncina ad onore del divin Cuore di Gesù Cristo Signor Nostro. Pistoja 1779. Bracali.

Divote preghiere al S. Cuore di Gesù. Bergamo 1767.

Raccolta di varj scritti, orazioni etc. sopra il Cuore di Gesù. Roma. Tip. Urbana.

Raccolta di divozioni per il Sacro Cuore di Gesù. Livorno 1793. Piattoli.

Ramière S. J. L' Apostolat de la prière, sainte ligue des coeurs chrétiens unis au Coeur de Jésus, pour obtenir le triomphe de l' Eglise et le salut des âmes. Le Puy. Marchesson.

— El Apostolado de la Oracion, santa liga de los corazones cristianos unidos al Corazon de Jesus para obtener el triunfo de la Iglesia y salvacion de las almas. Barcelona. Subirana.

— The Apostleship of Prayer. A Holy League of Christian Hearts united with the Heart of Jesus, to

Digitized by Google

obtain the Triumph of the Church and the Salvation of Souls. Transladed of from the latest French Edition, and Revised by a Father of the Society of Jesus. Baltimore. Murphy et Co.

Ramière S. J. Petit Manuel de l' Apostolat. Le Puy. Marchesson.

— Piccolo Manuale dell' Apostolato della Preghiera. Parma. Zolesi.

— Manual del Apostolado de la Oracion. Barcelona. Subirana.

— The Manual of the Apostleship of Prayer. Baltimore. Murphy et Co.

— L' Apostolat du Coeur de Jésus. Le Puy. Marchesson.

Regola della ven. Arciconfraternità del SS. Cuor di Gesù, eretta in Roma 1729 contro gli accidenti apopletici e morti improvise. Roma 1771.

Requeno y Vivès S. J. Esercizj spirituali, o sieno Meditazioni per tre settimane.

Retraite sur les vertus du S. Coeur de Jésus-Christ, ouvrage recueille de divers auteurs orthodoxes par M. D. S. Paris. Lecoffre.

Ricard, Nouveau Mois du Sacré-Coeur de Jésus, d'après la bienheureuse Marguerite Marie. Paris. Ruffet.

* Riflessioni sopra l' origine, la natura ed il fine della divozione al Sacro Cuore di Gesù. Napoli 1780.

Rigaud de Montenar, Ord. Carthus., L' esprit et la pratique de la dévotion au Sacré-Coeur de Jésus. Paris.

— Lo spirito e la pratica della divozione al S. Cuor di Gesù.

Roothaan, Praepos. Gen. Soc. Jes., pluribus epistolis encyclicis materiam cultus SS. Cordis Jesu solide et erudite pertractavit. Prae caeteris ea memoratu digna est, quam invitante, ut ipse ait, temporum acerbitate,

exul dedit Avenione in Octava Ascensionis Domini an. 1848: sacrum hoc argumentum tam pie quam scite et ad tempora accomodate illustrando, ut adeo in ea legenda et delectationis et utilitatis et aedificationis uberrimum fructum capiant Sanctissimi Cordis amatores.

Rosaire de l' Apostolat de la Prière. Paris. Lecoffre.

Rosario del Apostolado para uso de los sócios del Apostolado de la Oracion y del Rosario viviente. Barcelona. Subirana.

Schauenburg S. J. Amabilissimum Cor Jesu Dei-Hominis ad amandum et redamandum propositum a quodam Sacerdote Soc. Jesu. Monachii 1756. Thuile.

— Manuale Devotionis erga amabilissimum Cor Jesu piis hominum cordibus oblatum. Augustae Vindelicorum 1769. Dorner.

La Semana santificada por la Devocion al Sagrado Corazon, por un Padre de la Campanía.

Solicii, S. Cordis Jesu Laurea Theologica cum animadversionibus in Antirrheticum et epistolas anonymi. Venetiis 1774.

Sonnenberg S. J. Concio de SS. Corde Jesu. Saeculo elapso quater variis in locis prodiit.

Souvenirs d' amour entre le Sacré-Coeur de Jésus et l' âme pieuse, pendant le mois de Juin, par un Père de la Compagnie de Jésus. Paris. Lecoffre.

Stephanis (de), Il divoto de' Sacri Cuori. Roma. Propag. Fide.

Tetamus, De vero cultu et festo Sanctissimi Cordis Jesu. *V. supra p. 226.* [1])

---

[1]) Hujus libri veluti compendium dederunt editores Actorum *„Die neuesten Religionsbegebenheiten mit unpartheiischen Anmerkungen,“* III, 758 seqq. (Giessen, Krieger 1780), ubi censurant scribunt lucubrationis certi cujusdam Trunk, operis erronei et ineptiarum pleni.

Digitized by Google

* **Volpi**, curato d' Osio superiore, Sentimento sulla divozione al S. Cuore di Gesù. Bergamo 1781.

Waldner S. J. Le chrétien selon le Coeur de Jésus par la pratique de ses vertus, ou neuvaine en forme de retraite à l' honneur de ce Coeur adorable. Paris. Victor Palmé.

— Il cristiano secondo il Cuore di Gesù per la pratica delle sue virtù, ovvero novena in forma di ritiro in onore di questo Cuor adorabile. Venezia 1800. Curti.

V.

Libri germanice confecti.

Andachten zum allerheil. Herzen Jesu 2c. 9. Aufl. Augsb. Schmid.

Andachtsübungen und Gebete für fromme Verehrer des göttl. H. J. Innsbruck. Fel. Rauch.

Angelus P. Maria v. Udine, Neuntäg. Andacht zum hl. H. J. Nach dem Ital. Mainz. Kirchheim.

Anleitung die 6 Sonntage zum hl. H. J. nützlich zu halten. Innsbruck. Fel. Rauch.

Arnold P. S. J. Die Nachahmung des hl. H. J. in vier Büchern. Mit Guth. des Verf. nach der 2. Aufl. des latein. Orig. übers. v. St. Dosenbach S. J. Paderb. Junfermann.

Aufnahme-Formularien für den Apostolat des Gebetes bei Fel. Rauch, Innsbruck; Stein, Sarlouis u. A.

Aufnahms-Büchlein des Gebets-Apostolats sowie der Bruderschaft vom liebenswürdigsten Herzen unsers Erlösers Jesus Christus. Freiburg. Herder.

Kurzgefaßte Belehrung über das Apostolat des Gebetes in Vereinigung mit dem allerheil. H. J. Sarlouis. Stein.

Digitized by Google

Borgo P. S. J. Neuntägige Andacht zum hl. H. J. aus dem Ital. von Dr. M. A. Nikel. Mainz.

Boulangé Abbé, Leben der sel. Marg. Mar. Alacoque. Aus dem Franz. München. Lentner.

Constitutionen der Töchter des heiligsten Herzens Jesu. Aus dem Ital. Wien. Mechitaristen.

Croiset P. S. J. Das heiligste Herz Jesu. Ein Betrachtungs- und Gebetbuch, aus dem Franz. von einem Priester der Diözese Augsb. Regensburg. Manz.

Dalgairns J. B., Das heil. Herz Jesu; nebst einer Einl. über die Geschichte des Jansenismus. Aus dem Engl. Mainz. Kirchheim.

Devis P. S. J. Gebet- und Belehrungsbuch für Mitglieder der Bruderschaft vom hl. H. Jesu und Mariä. 8. Aufl. Münster. Coppenrath.

Dosenbach P. S. J. Grund und Uebung der Andacht zum hl. H. J. Paderb. Junfermann.

Effinger P., Nachfolge des hl. H. J. Betrachtungen über die Verehrung u. s. w. Einsiedeln. Benziger.

Forst Patrit., Katholischer Unterricht *vid. supra p. 73.*

Franco P. S. J. Vollständiges Gebet- und Betrachtungsbuch für Verehrer des hl. H. J. Nach dem Ital. frei bearbeitet von Fugger-Glött. Mainz. Kirchheim.

Gallifet P. S. J. Leben der gottsel. Mutter Margaretha Mar. Alacoque, von ihr selbst aufgezeichnet. Aus dem Franz. von J. Silbert. Regensburg. Manz.

Gaudentius P., Apostolat des Gebetes; nebst einem Gebetbuch zu Ehren des hl. H. J. Innsbruck. Fel. Rauch.

Goldhagen S. J. Andacht zum hl. Herzen Jesu. Soest. Nasse.

* **Gregoire**, Geschichte der rel. Sekten, übers. von Tzschirner. S. Archiv f. alte u. neue Kirchengeschichte von Ständlin u. Tzschirner I, 2, pp. 177 ff.

Digitized by Google

* **Hallerbrut**, Herz-Jesu-Andacht nach theologischen und historischen Gründen geprüft 1771.

Hattler P. S. J. Die neun Liebesdienste zur Verehrung des göttl. H. J. in Betrachtungen dargestellt. Mit den Legenden der neun Patrone. Wien. Sartori.

— Heiliges Stillleben im Herzen Jesu für alle Tage der Woche nach der Anweisung der sel. Marg. Alacoque. Wien. Sartori.

Herz-Jesu-Monat, neuer, von einem Mitgliede der Ges. Jesu. Nach der 13. Aufl. des Franz. bearbeitet. 3. Aufl. Paderb. Junfermann.

Hilf G. M., Die Nachfolge des allerh. Herzens Jesu in 33 Betrachtungen u. s. w. Nach dem Franz. Mainz. Kirchheim.

Huguet P., Die Andacht zum allerh. Herzen Jesu in Beispielen. Aus dem Franz. Regensburg. Manz.

Jungmann Jos. S. J. 5 Sätze zur Erklärung der Andacht zum hl. H. J. Innsbruck. Wagner.

Kleutgen P. S. J. Die Andacht zum Herzen Jesu. Münster. Theissing.

Languet P., Leben der gottsel. Mutter Marg. Mar. Alacoque, 2 Bde. 2. Aufl. Aus dem Franz. übers. von J. P. Silbert. Regensburg. Manz.

Lennartz Jos., Herz Jesu, du Wonne aller Auserwählten. Ein Gebet- und Andachtsbuch zum hl. Herzen Jesu. Aachen. Hensen.

Liebesdienste, oder Liebesbund zur Ehre des hl. H. J. Innsbruck. Fel. Rauch. (Auch einzeln.) Paderborn, Schöningh, Linz u. A.

Liguori A. M., Neue zum tägl. Gebrauch eingerichtete Andachtsübungen zur Verehrung der hl. Herzen Jesu und Mariä. Aus dem Ital. Augsburg.

Digitized by Google

Forinser Dr. F., Das heiligste Herz Jesu. Sieben Fastenpredigten u. s. w. Breslau. Aderholz.

Patiß P. S. J. Die Verehrung des göttl. Herzens. Ein Gebetbuch für alle Christen u. s. w. 3. Aufl. Innsbruck. Fel. Rauch.

Peter Jos., Flammen der Liebe. Ein Gebetbuch zur Verehrung des göttl. Herzens Jesu beim Besuch des hlst. Altarssakramentes. Einsiedeln. Benziger.

— Apostolat des Gebetes, ein Aufruf zur Verehrung des göttlichen H. J. für die deutsche Schweiz. Luzern. Räber.

— Streiter Christi, oder neue Anbetungsstunde zum göttl. Herzen Jesu. Einsiedeln. Benziger.

Pircher Joh., Gebet- und Erbauungsbuch zu Ehren des göttl. H. J. von P. Franco. Nach der 8. ital. Aufl. übersetzt. Innsbruck. Vereinsbuchhandlung.

Probst Ulrich S. J. Betrachtungen vom allerheil. Herzen Jesu. Augsburg. 1749 u. 1750. Dorner.

Pruner Dr. Jos., Herz-Jesu-Bruderschafts- und Ablaßbüchlein, 2. Aufl. Eichstätt. Verlag des bischöfl. Seminars.

Psalmen zum hl. Herzen Jesu nebst Litanei u. s. w. Augsburg.

Ramière H. S. J. Der Gebetsapostolat, ein Bund frommer Christenherzen, um in Gemeinschaft mit dem Herzen Jesu den Triumph der Kirche und das Heil der Seelen zu erzielen. Aus dem Franz. v. J. M. Röder. Saarlouis.

— Handbüchlein des Gebetsapostolates. Aus dem Franz. von dems. ebend.

— Der Apostolat des allerheiligsten Herzens Jesu. Aus dem Franz. v. dems. Trier. Groppe.

Sartorius W., Die Quellen des Heils im hl. H. Jesu. Freiburg. Herder.

Schmude Theod. S. J. Die Andacht zum hl. Herzen Jesu erläutert, nebst einem Gebetbuch zu Ehren des hl. H. J. Wien.

Digitized by Google

Schritte zum göttl. Herzen Jesu. Passau. Elsässer.

* **Schwarzl** K., Unterricht von der Andacht zu dem Herz Jesu, wie sie im wahren Verstande zu nehmen. Innsbruck 1781.

Sintzel, Fromme und heilsame Uebung zur Anbetung und Verehrung des allerh. H. J. Paderb. Junfermann.

Stöger J. S. J. Das größte Geheimniß der göttl. Liebe. Augsburg. Kollmann.

— Von der Liebe zu dem hl. Herzen Jesu. Graz. Sirolla.

— Herz-Jesu-Büchlein von der Liebe. Graz. Kienreich.

Strom M., Gesammelte Schriften der ehrw. Marg. Mar. Alacoque. Köln. Schwann.

— Kurze Lebensgeschichte der Marg. Mar. Alacoque. Ebendaselbst.

Sturmlerner P. Fr., Verehrung des hochh. Herzens Jesu, nebst einer monatl. Geisteserneuerung. Augsburg. Doll.

Tagzeiten zum hl. Herzen Jesu. Innsbruck. Fel. Rauch.

Trost des hl. Herzens Jesu im hl. Altarssakramente durch den Empfang der hl. Kommunion als Genugthuung. 2. Aufl. nach der 20. franz. Bregenz. Teutsch.

Unterricht über die Andacht zum Herzen Jesu. Cöthen.

Verehrung des göttl. Herzens Jesu in dem hlst. Altarssakrament. Innsbruck. Fel. Rauch.

* **Wachler** L., Die Andacht zum geheiligten Herzen Jesu in Ilgen's Zeitschrift f. hist. Theol. IV, 1, S. 270 ff.

Waldner Joh. S. J. Ein Christ nach dem Herzen Jesu, oder neuntägige Andacht die Tugenden des Herzens Jesu zur Nachfolge vorstellend. Augsburg 1768.

Weg zum Himmel in der Verehrung der hh. Herzen Jesu und Mariä. Gebetbuch u. s. w. 13. Aufl. 4 Bilder. Innsbruck. Fel. Rauch.

Weis Jos., Vollständiges Gebetbuch zur Verehrung des hl. Herzens Jesu. Innsbruck. Wagner.

Digitized by Google

Weithofer Matth. S. J. Apostolat des Gebetes in Vereinigung mit dem göttl. Herzen Jesu. Wien. Mayer.

Weninger Fr. X. S. J. Heiliger Liebesbund. Gebet- und Tugendbuch für Verehrer der hl. Herzen Jesu und Mariä. Gratz. Kienreich.

Wieseman N., 6 Hirtenbriefe über das hl. Herz Jesu als Anhang zu „Predigten über den Heiland und die allersel. Jungfrau." Aus dem Engl. übersetzt von Dr. Kayser und G. Schündelen. Köln. Bachem.

Woche, die durch die Andacht zum hl. Herzen Jesu geheiligte. Nach der 40. franz. Aufl. übersetzt. Luxemburg. Brück, und Bregenz. Teutsch.

ADDENDA.

Ad pag. 53.

Supplicatione cleri Romani pro obtinendo festo SS. Cordis Jesu cum Officio et Missa per Patriarchalem Basilicam Sancti Joannis Lateranensis proposita, Clemens PP. XIII. ipso hoc anno 1765 propensa benignitate concessit die 6. Augusti, ut festum in Urbe celebraretur cum Officio et Missa ante tres menses per S. R. C. approbatis.

Ad pag. 113.

Archiconfraternitas S. Theodori Urbis, vulgo *de' Sacconi*, d. 19. Januarii an. 1779 facultatem obtinuit, Officium et Missam anni 1765 cum novo hoc Officio et Missa Portugalliae commutandi.

Digitized by Google

Ad pag. 100, §. III, et pag. 105.

Benevolum lectorem monitum volumus, idcirco maxime a nobis hic affirmari, in altero Officio pro Portugallia approbato *verum ac carneum Cor Christi* potius *efferri,* quod in ejus Invitatorio physicum ipsum ac materiale Cor Jesu tanquam immediatum cultus objectum exhibeatur verbis in textu adductis, quodque, notante Benedicto PP. XIV., [1]) *in Invitatorio praesertim intentio Ecclesiæ* in instituendis festis *proponatur.* [2]) — Verum existimandum non est, Cor in proprio suo et naturali sensu acceptum ab hujus festi objecto in primo Officio excludi. Et primo quidem orationis verba: „*in Sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes*" non aliter intelligi posse, quam in sua naturali, quam prae se ferunt, veri Cordis proprietate, inter alios copiose et accurate probat Bened. Tetamus contra Blasium *Apologet. l. I, c. 4.* Deinde dilucida sunt adeo et perspicua, quae in Breviario in rem nostram habentur, ut sola lectione, non expositione indigeant; ut ecce quae habet, hymnus ad Vesperas:

Percussum ad hoc est lancea
Passumque ad hoc est vulnera,
Ut nos lavaret sordibus
Unda fluente et sanguine.

---

[1]) De can. Sanct. l. IV, p. 2, c. 31, n. 21.

[2]) Consule ***Muzzarelli,*** qui verba Invitatorii: „Cor Jesu caritatis victimam venite adoremus", egregie illustrat ostendendo accurate, ea translatitie accipi non posse: ***Dissertazione intorno alle regole da osservarsi per parlare e scrivere con esattezza e con proprietà sulla divozione e sul culto dovuto al Santissimo Cuor di Gesù.*** Roma. Fulgoni 1806.

Digitized by Google

Et hymnus ad **Matutinum:**

En ut superba criminum
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei.

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt;
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit.

E Corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur:
Hoc ostium arcae in latere est,
Genti ad salutem positum.

Et hymnus ad **Laudes:**

Te vulneratum caritas
Ictu patenti voluit;
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.

Quae omnia si conferantur cum Lectionibus II. Nocturni relatis supra p. 388 profecto ostendunt, physici ac vivi Cordis Jesu cultum non esse, juxta Ecclesiae mentem in primo Officio expressam, a festo SS. Cordis abigendum; ne tamen Cordis carnalis consideratio ita nude et simplex in hoc festo haberetur, ut a caritate Christi, cujus significandae vim habet, praescinderetur, Sacra Rituum Congregatio prudentissimo sane consilio statuit, ut in hymno ad Laudes complexio illa ex Corde carneo ejusque symbolica significatione amoris [1]) apertissime efferretur proposita hac strophe:

[1]) V. supra p. 77 et p. 272.

Digitized by Google

Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus sacerdos obtulit.

Et his quidem standum, si objectum festi ex authenticis monumentis interpretari volumus, quemadmodum recte monet Bened. Tetamus eo, quem indicavimus, loco.

Ad pag. 237.

Decret. S. R. C.

„Ut in recitatione divini Officii ac celebratione sacrosancti Missae sacrificii omnia disponantur et fiant secundum rubricas et Decreta Sacrorum Rituum Congregationis, hodiernus redactor Kalendarii Mechliniensis de expresso consensu, scriptis etiam manifestato, Emi. et Rmi. Dni. Card. Engelberti Sterckx, Archiepiscopi Mechliniensis, eidem S. Congregationi sequentia dubia proposuit, ut quid in casibus propositis sit agendum declarare dignaretur.

Dubium I. Dominica I. Julii occurrit festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Ch. Hoc vero anno 1859 sequenti die celebrandum erit ritu duplici majori festum Sacratissimi Cordis Jesu translatum ex die hesterna (quæ erat dies ejus fixa in Kalendario Mechliniensi juxta indultum diei 23. Augusti 1860.) Quaeritur, utrum in secundis Vesperis pretiosissimi Sanguinis omitti debeat commemoratio sequentis festi Sacratissimi Cordis, uti decretum fuit die 17. Augusti 1771 in concurrentia Octavae Corporis Christi cum eodem festo Sacratissimi Cordis?

Dubium II. Decrevit S. R. Congregatio in Ostunen. die 6. Septembris 1834, omittendam esse commemorationem sanctissimi Sacramenti in Missa solemni de Sacratissimo Corde Jesu celebrata cum cantu in ejus festo ante

sanctissimum Sacramentum expositum. Postea vero propositum fuit dubium: utrum omittenda sit commemoratio de Venerabili, quando Missa propria Sacratissimi Cordis Jesu dicitur ad altare, in quo sanctissimum Sacramentum patenter est expositum, si alioquin praedicta commemoratio esset facienda? Et Sacra eadem Congregatio die 22. Maji anni 1841 in Mechlinien. respondit: *ad modum collectae permitti posse.* Hinc in praedicta Archidioecesi differentia orta est in praxi. Alii scilicet dicunt, servandam omnino esse dispositionem Decreti in Ostunen. d. 6. Septemb. 1834, et Decretum posterius in Mechlinien. censent intelligendum dumtaxat esse de casu, in quo commemoratio de Venerabili praescripta sit ab Episcopo *ad modum collectae seu orationis imperatae.* Alii e contra dicunt, commemorationem de Venerabili semper addi posse, dummodo aliunde rubricae non obstent. Quaeritur itaque quisnam in memorato decreto diei 22. Maji 1841 sit sensus horum verborum: *ad modum collectae?*

Ejusmodi itaque dubiis una cum voto alterius ex Apostolicarum caeremoniarum magistris desuper exquisito per infrascriptum secretarium relatis in ordinariis comitiis S. R. Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis, Emi. et Rmi. Patres sacris ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, respondendum censuerunt

Ad I. Affirmative.

Ad II. Verba: *ad modum collectae* intelligenda esse de collecta seu oratione ob publicam causam ab Episcopo imperata.

Atque ita rescribi et servari S. Congregatio mandavit. Die 26. Martii 1859.“

Ad pag. 271.

De symboli ac cordis symbolici ratione legesis — praeter hoc quod truncatum exhibuimus caput 51 — etiam

Digitized by Google

l. I, c. 5, ubi solide et erudite ostendit Tetamus, praecipuum aequivocum Blasii caeterorumque scriptorum, qui Decreta Sanctae Sedis perverse interpretati sunt, in eo esse, quod ex verbis S. Congregationis „*Officii et Missæ SS. Cordis celebratione symbolice renovari memoriam illius divini amoris* (supra p. 51), Cor nude mysticum, figuratum, seu metaphoricum efficiant, atque adeo Cor, quod nullo modo carneum ac proprium sit, sed mere symbolicum h. e. tropice sumptum; quum contra tum ex postulatorum precibus (supra pp. 85, 97) a S. Congregatione admissis (p. 52, 129), tum ex Officii tenore, tum ex aliis adjunctis certo constet, ea ratione Cor symbolice sumi, quod Cor verum Christi symbolicam adjunctam habeat ejus caritatis significationem, atque adeo objectum cultus publici ac festi neque in nudo carneo Corde utut Verbo hypostatice conjuncto consistere, neque in praecisa significatione symbolica, sed in Complexo utrinque resultante. Unde, si probatae devotionis objectum Cor symbolicum dicere malint, id eo sensu accipi debet, non quod sit Cor figuratum, tropicum et mere mysticum; sed *figurativum*, quatenus Cor verum quum sit, figurativum est caritatis Christi, quae Divini Redemptoris caritas, utpote *res signata*, longe magis praecipuum imo princeps omnino est objectum cultus ac festi SS. Cordis Jesu, prout late ostendimus part. I, [1]) Sect. II, c. 1, pp. 78—92. Sed videndus ipse Tetamus, qui totam hanc materiam magna doctrina magnoque studio ac diligentia pertractat *Apologet. lib. I*, gravissime ibidem exagitando Blasii aliorumque de metaphorico Corde Decreti interpretationem.

[1]) Princeps hoc objectum primo loco efferendo Ferd. Tetam. mysterium festi recte etiam definit *amorem Christi symbolice in ipso materiali Corde demonstratum*, eam ob rem anno 1860 apud S. R. C. iterum laudatus. *V. supra p. 86 et p. 234.*

Digitized by Google

Et haec quidem ad cultum publicum pertinent, quando nimirum speciatim ille sensus est definiendus, quo Ecclesia vocem Cordis acceptam vult, ut sit objectum ac mysterium proprium hujus festi. Quodsi vero de cultu privato SS. Cordis agatur, patet ex praenotatis supra p. 76, et ex innumeris paene exemplis piorum et sanctorum hominum in cursu Commentarii adductis, quam merito, quam recte, quam catholice Cor omnibus illis sive propria sive translatis significationibus sumatur, quibus tum in sacris literis, tum alibi occurrit, et in quarum consideratione mens devota spiritualem gustum et consolationem invenit.

INDICES
Nominum et Rerum,
quae in Commentario produntur aut explicantur.

A.

Digitized by Google

B.

Digitized by Google

C.

Digitized by Google

Conventuales S. Francisci 56.

D.

E.

F.

Digitized by Google

G.

H.

Digitized by Google

I.

J.

K.

Digitized by Google

L.

M.

Digitized by Google

N.

O.

Digitized by Google

Digitized by Google

P.

Digitized by Google

Q.

R.

S.

Digitized by Google

T.

Digitized by Google

U.

V.

W.

Y.



Digitized by Google

ERRATA - CORRIGE.

Quae irrepserunt menda typographica boni lectores, ipsi litura corrigant scribantque:

Pag.	10	lin.	antepenult.	. . . . .	crêche.
„	54	„	7	. . . . .	intensissimi.
„	105	„	22	. . . . .	1778.
„	112	„	6	. . . . .	Mozzi.
„	135	„	1	. . . . .	Susonis.
„	136	„	2	. . . . .	*amorem*.
„	„	„	17	. . . . .	festi.
„	215	„	penult.	. . . . .	égaleront.
„	328	„	12	. . . . .	cutum.
„	331	„	12	. . . . .	*Is qui*.
„	597	„	not. l. 2.	. . . . .	opus.



INDEX.

PARS I.

De festo Sacratissimi Cordis Jesu.

Pag.

Procemium.

SECTIO I.

Historia festi ex Actis adumbrata.

Digitized by Google

SECTIO II.

De objecto ac fine festi.

Digitized by Google

SECTIO III.

Auctoritates adductae apud S. R. C.

Digitized by Google

SECTIO ADDITITIA.

Materiae variae.

Digitized by Google

PARS II.

De festo purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis.

PARS III.

Ascetica.

SECTIO I.

Pietatis Exercitia erga SS. Cor Jesu.

Caput I.

Pietatis Exercitia ex libris liturgicis deprompta.

§. 1.

Ex Missali.

Digitized by Google

§. II.
Ex Breviario.

Caput II.
Varia pietatis Exercitia Romanis judicibus probata.

§. I.
Ex opere P. Gallifet.

§. II.
Ex aliis libris Romae editis.

§. III.
Orationes quarum auctores cum laude memorantur in actis apud S. R. C.

Digitized by Google

Caput III.

Pietatis Exercitia variis in locis Episcopis rite probantibus edita.

§. I.

Officia parva.

§. II.

Preces sodalitiae in honorem SS. Cordis.

§. III.

Piae aspirationes ad SS. Cor Jesu.

Digitized by Google

SECTIO II.

Pietatis Exercitia erga purissimum Cor Mariae.

Caput I.

Pietatis Exercitia ex libris liturgicis deprompta.

§. I.

Ex Missali

§. II.

Ex Breviario.

Caput II.

Pietatis Exercitia Romanis judicibus probata.

§. I.

Ex opere P. Gallifet.

§. II.

Ex aliis libris Romae editis.

Digitized by Google

Caput III.

Pietatis Exercitia, quae a P. Eudes proposita Emus. Cardinalis de Latere Legatus cum grandi Praesulum et Doctorum globo probavit.

Caput IV.

Pietatis Exercitia variis in locis Episcopis rite probantibus edita.

Digitized by Google

PARS IV.

Literaria.




Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google